
ACTA ERUDITORUM







ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCXXXI publicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOHAN. GROSSII Hæredes, JO. FRID. GLEDITSCHII B. FIL. ET JO. CHRISTIANUM MARTINI.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.


KOENIGLICHE
WIEN



Candidis Lectoribus Salutem!

PRodit jam Actorum Eruditorum, quæ semiseculi Historiam Literariam complectuntur, annus quinquagesimus, seu Tomus, si novem Supplementorum & quatuor Indicum Volumina (quibus quintum mox accedet,) computes, tertius & sexagesimus, quo Opere nihil facile, quod momentum aliquod trahat in Historia Literaria, passim in Europa integro hoc intervallo editum, a nobis prætermissum fuisse judicamus. Equidem sola fere ante aliquot annos Lusitania Hispaniaque incognita fere nobis mansit, donec & illic Viri eruditi nobis commercium offerrent liberaliter, & hic Vir generosissimus, Dn. Johannes Dietericus de Schönberg, *qui docto Hispaniam itinere nuper peragravit, nobis conciliavit Virum admodum eruditum, qui, quæ in Hispania ab aliquot annis prodierint, quo in pretio ea sint habenda, nobiscum communicavit, Novis Literariis*

terariis Mensis Octobris hujus anni inserta, qui & similia, cum libros ipsos ex Hispania huc advehi perdifficile atque arduum sit, porro ad nos subinde dabit. Nec Russia, olim barbara, aut ipsa Turcia, excusos apud se libros nobis negavit, quorum recensum dedimus accuratum. Qua ratione versati fuerimus in administrando munere nostro, norunt omnes, nec ab ea discedemus in Novis, quae dicemus, Actis Eruditorum, nisi quod a Supplementis, quibus Opus gravari quidam nollent, deinceps abstinebimus, neminem tamen omissuri facile, qui vel Venetiis per Sebastianum Coletum, *vel Parisiis per* Montalantium, *vel Londini per* Joan. & Wilhelmum Innys, *vel Amstelodami per* Wetstenium, *vel per alios alibi, scriptorum suorum quicquam ad* Jo. Burchardum Menckenium *nostrum miserint, quod minus alienum ab instituto nostro fuerit. Ita futurum speramus, ut Nova haec Acta, quae condemus, eadem, qua priora, diligentia prodeant, nec quicquam a nobis posthac quoque desiderari jure possit. Valete.*



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXXI.

A REGISTER AND CHRONICLE ECCLEsiastical and Civil &c. faithfully taken from the Manuscript Collections of the Lord Bishop of Peterborough.

h. e.

REGISTRUM ET CHRONICON ECCLEsiasticum & Civile, continens res gestas ipsis verbis monumentorum publicorum descriptas & secundum seriem temporis digestas, cum Notis ad veram Historiam Angliæ concinnandam aptis, inde a restitutione Caroli II Regis. E Collectionibus MSS. Episcopi Petroburgensis.

Tomus I.

Londini, apud R. Williamson, 1728, fol. maj.
Alph. 10 pl. 14.

NE nihil dicamus de Autore, qui dedicationi ad Reginam M. Brit. tantum subscripsit *White Peterbor.* observandum putamus ex *Jo. le Neve* Fastis Eccl. Angl. p. 240, eum vocari *Thomam White*, qui A. 1685 Episcopatui Petroburgensi admotus, rursus ea sede, nescimus qua de causa, A. 1690 motus fuit. Otiosum certe non fuisse, vel hoc Opus testatur, quod specimen esse voluit Collectionis longe majoris, quam ab A. 1500 ad nostra fere tempora pluribus in fol. Voluminibus digesserat. Nam cum ea, quæ sub Carolo I aliisque Regibus gesta sunt, jam pluribus Collectionibus ex Actis publicis explicata sint, hanc sibi periodum potissimum illustrandam putavit, quæ inde a mense Januario anni 1660

ſeu a reſtitutione Caroli II ad menſem Decembrem anni 1662 porrigitur. Propoſitum vero ipſi fuit, non hiſtoriam juſtam condere, ſed ſubſidia fere tantum præbere hiſtoriam ſcripturis, & non annorum tantum, ſed & menſium atque adeo dierum accurata ratione habita, quod quidem optimi plerique Hiſtorici, *Clarendonius* quoque & *Burnetus*, inſuper habueraat, ex Reſcriptis Regiis, Parliamentorum ſcitis ac decretis, aliisque omnis generis Actis publicis, Epiſtolis etiam ſummorum in Rep. virorum (quales hic multæ ipſius Regis exulis, *Monkii* item & *Hydii* aliorumque exſtant) tum in Rep. tum maxime in Eccleſia geſta, nullo niſi temporis ordine obſervato, excerpere & notulis nonnullis ad marginem adjectis illuſtrare. Quanti enim uſus ſint ſimiles Annales, exemplis veterum, Chronici Saxonici, quod primus produxit A. 1692 *Edm. Gibſon*, hodie Epiſcopus Londini, monachorum Petroburgenſium, qui illud continuarunt, *Matthæi Paris* & *Rogerii Hovedeni*, qui Acta publica ſcriptis ſuis paſſim inſeruere, tum & recentium, *Burneti* in Hiſtoria Reformationis, *Bradii*, *Tyrrelli*, *Collierii*, *Strypii* aliorumque, quorum ſcripta nulla re magis, quam quod documenta ipſa ſub finem acceſſere, commendantur, in doctiſſima Præfatione inter alia lectu digna probat. Neque vero Eccleſiaſticam tantum aut civilem hiſtoriam promovet venerandus Autor; ſed hiſtoriam præterea literariam quoque mirifice illuſtrat, tam integras eruditorum, ſive Eccleſiæ Anglicanæ addictorum, ſive ſchismaticorum, vitas & controverſias, quæ illis cum aliis interceſſere, data occaſione explicans, quam eorum paſſim promotiones tum Academicas tum alias, vocationes ad Epiſcopatus & alia munia, maxime Eccleſiaſtica, remotiones item & translationes juſto tempori aſſignans. Inprimis autem nobis pergratum accidit, quod ſub finem cujusque menſis & anni Catalogos admodum luculentos dedit omnis generis librorum, qui illo tempore prodierunt, etiam perexiguorum, quos *Pamphlets* vocant Angli, in quibus plurimos ſcriptores Pſeudonymos & Anonymos, vel primis tantum literis deſignatos, detexit, varia ſubinde notatu digna de autoribus ac fatis librorum ſimul obſervans; quos ſi e majori Opere de-

decerptos & ad nostram ætatem continuatos, seorsim edere non gravaretur Autor, utique orbem literatum haud exiguo beneficio sibi obstringeret, tanto quidem magis, quod de continuando Opere ipso spem certam facere non audet Autor, jam gravi senio laborans, atque id tantum promittens, quod collectanea sua in eorum manibus relicturus olim sit, qui ea in ordinem redacta publico non invisuri sint. Nos interim, historiæ literariæ inprimis studiosi, ex iis, quæ huc pertinent, pauca tantum speciminis loco afferemus. *Georgium Dolgamum* refert p. 269.
librum suum, *Ars signorum vulgo Character universalis & lingua Philosophica*, pridem ante quam ederet Lond. 1660,8, cum *Jo. Wilkinsio* communicasse, unde is pervenerit in eas cogitationes, quas majori Opere, *an Essay towards a real Character and a Philosophical Language*, ib. 1668 in fol. prodidit. Dum *Jo. Doughtei S. T. P. Analectorum Sacr. seu Excursuum Philol. super diversis S. Scripturæ locis*, libri valde eruditi, *Partem* ib.
secundam Lond. 1660,8, editam memorat; nullam ejus hoc titulo prostare *Partem I* observat, sed vicem ejus præbere librum hoc titulo: *Phil. Iren. Alethei Velitationes Polemicæ*, additis literis *J. D.* Lond. 1652,8 prostantem. *Rob. Sheringhamus*, Autor libri doctissimi de Anglorum gentis origine, cum A. 1643, re- 299.
licta Cantabrigia, in Belgium se recepisset, ibique Roterodami & alibi Hebraicam & Arabicam linguam docuisset studiosos juvenes, tandem Collegio Caji Cantabr. restitutus A. 1660, ibidem A. 1670 apoplexia correptus, &, Nostro teste, in proximum caminum igne flagrantem prolapsus, misere periit. De *Roberto Bur-* 320,321.
tono, autore libri *the Anatomy of Melancholy*, qui A. 1624 primum in 4, ac deinde sæpius in fol. prodiit, magno typographorum lucro, notat Noster, eum Opus hoc ex multiplici lectione congessisse, ut ipse dispelleret vapores melancholicos, observatum tamen fuisse, quod Autor, qui antea certis saltem intervallis & inani sæpe de causa in effusissimos cachinnos erumpere visus sit, nunquam fere exinde riserit & ita fugerit hominum commercia, ut vix pedem e museo, quod in Collegio Ædis Christi Oxonii habebat, extulerit. Animadversum etiam, alios, qui librum hunc melancholiæ dissipandæ causæ in consi-

lium adhibuere, eo lecto longe pejores factos. Mortuus tandem in Collegio modo dicto eodem fere tempore, quo se moriturum constructo pluribus ante annis horoscopio prædixerat, Autor hanc nactus est Inscriptionem sepulchralem: *Paucis notus, paucioribus ignotus, hic jacet Democritus junior, cui vitam dedit & mortem Melancholia. Obiit VIII Id. Januar. A.C. MDCXXXIX.* Denique dum *Laurentii Rooke*,
p. 721. viri incomparabilis, Astronomiæ primum, post Geometriæ in Collegio Greshamensi, quod Londini est, Professoris, obitum ad d. 26 Jun. A. 1662 memorat, ejusque eruditionem pariter & virtutes commendat Autor, inter alia observat, illum ea ipsa nocte decessisse, quam aliquot ante annis attingere optaverat, ut ita absolveret Observationes suas Satellitum Jovis accuratissimas.

THE HISTORY OF GREAT-BRITAIN AND of the Kings of Scotland &c.

h. e.

HISTORIA REGUM M. BRITANNIÆ inde a primis ejus habitatoribus usque ad mortem Cadwaladeri, Britonum Regis ultimi; ut & Regum Scotiæ usque ad Eugenium V; cum relatione brevi de Regibus, Ducibus & Comitibus Britanniæ Minoris usque ad Ducatus hujus cum Regno Galliæ conjunctionem; Autore JOHANNE LEWIS, Equ. Juris Pract. Accessit HUMPHREDI LHUYD, Cambro-Britanni, Breviarium Britanniæ, a TH. TWINO ex Latino Anglice versum.

Londini, apud F. Gyles, Woodman, Davisium, 1729, fol. Alph. 4 pl. 15.

Librum, non novum, sed nunc demum typis excusum, producimus, quem Autor, de quo nihil memoriæ produnt Editores, eruditus certe, &, ut vel dialectus ejus indicat, gente Sco-

Scotus, Henrico, Jacobi I Angliæ, seu VI Scotiæ Regis Filio primogenito, quem constat ante Patrem vivis ereptum, non inerudita dedicatione inscripsit. Divisit Opus sex Libris, quorum primo generaliorem Introductionem dedit in Historiam Britanniæ. Hic de rerum antiquarum & Chronologiæ maxime incertitudine, ut & de *Beroso, Manethone* & *Megastene* nonnihil præfatus, prolixius docet, Gallos veteres, seu Celtas, Cimbros item & Britones eandem fuisse gentem, promittitque, se in fine libri vocabula quædam vetera Britannica adducturum, adeo nervosa, ut in nulla lingua exprimi sine circumscriptione possint. Sed hoc vocabularium nullibi comparere dolet Scholiastes anonymus, qui observationes passim & additiones Libro huic primo maxime adjecit. Agitur tamen hic etiam de nominibus & cognominibus Britonum, tum vero de Scriptoribus Historiæ Britannicæ, *Goffrido* inprimis *Monumethensi*, de nominibus Insulæ M. Britanniæ, ejusque quondam contiguitate, populi item moribus & cura circa venationem. Quibus adeo primo libro expositis, non alienum putavit Editor annectere *Eduardi Lhuydii* Præfationem ad Wallenses, *Archæologiæ* ipsius *Britannicæ* præmissam & e lingua Wallica in Anglicam translatam, qua Autor evidenter probat, duas nationes Insulam Britannicam inhabitasse, antequam Romani, Picti item & Scoti, in eam descenderint. Hinc Autor Libro II usque ad VI res in Britannia & Scotia gestas inde a Gomaro, quem Cambrorum & Gallorum veterum parentem vocat, usque ad finem seculi post C. N. septimi seu ad tempora Cadwaladeri Britanni & Eugenii Scoti deducit, & p. 223 appendicem addit de eruditis quibusdam, qui post hæc tempora floruerunt, quales *Jo. Scotus*, *Asserius Menevensis*, *Sylvester Gyraldus Cambrensis* aliique. Libro ultimo seu VII agitur de Britannicis insulis, Regibus item Monæ & insularum Scoticarum; cumque Autor alicubi in hoc Opere Merlinum ex incubo natum tradidisset, eaque occasione Dissertationem de incubis, satyris & id genus aliis inseruisset, quam postea rescidit, Editor eam, quod non nisi historica contineret, dignam existimavit, quam sub finem adjiceret. Postremo accessit *Humfredi Lhuyd Commentarioli*

tarioli Britannicæ descriptionis fragmentum, Col. Agr. 1572 in 8, nec usquam in Anglia editum, nunc Anglice sub titulo *Breviarii Britanniæ* a *Thoma Twyne* versum, qui tamen de multis erratis, in Coloniensi editione obviis, conqueritur, unde factum, ut nonnunquam aqua ipsi hæserit.

THE HISTORY OF ENGLAND DURING the Reigns of the Royal House of Stuart, by the Author of *the Critical - History of England.*

i. e.

HISTORIA ANGLIÆ SUB REGIBUS FAMILIÆ Stuartæ; Autore eodem, qui dedit Historiam Criticam Angliæ.

Londini, apud Jo. Pemberton, Rich. Ford & rel. 1730, fol. Alph. 9.

QUi non ignorant, quam acerbe Autor hic Regum Angliæ inde a Wilhelmo Conquestore pæne omnium res gestas in *Critica* illa, quam vocat, *Angliæ Historia*, Londini A. 1726 duobus Voluminibus in 8 secundum edita, & a *Zacharia Grew* in libro, *a Defense of our antient and modern Historiens against a late Pretender to critical History*, merito castigata, perstrinxerit, eundem in majori hoc Opere, minori licet & parum grato charactere impresso, sibi haud dissimilem reperient. Nec dissimulat in Præfatione, id sibi propositum, ut ostendat, Reges omnes e familia Stuartorum inde a Jacobo Primo ad Secundum, ad cujus abdicationem usque Historiam suam deducit, id curasse maxime, ut Angliæ constitutiones everterent. Cum vero frustra se laboraturum prævideret, nisi optimorum scriptorum, *Eduardi* inprimis *Comitis Clarendonii* & *Laurentii Echard*, fidem redderet suspectam; hinc tum in *Critica*, tum hac ipsa *Historia* persuadere Lectoribus conatur, *Clarendonianum* Codicem, antequam primum typis traditus fuerit Oxon. 1704 tribus in fol. Voluminibus, ab *Edmundo Smith*, docto alioquin Viro, *Alterburio*, aliisque fœde fuisse interpolatum: in *Echardum* vero, qui eum presso pede sequitur in Historia Angliæ, cujus

jus Tomus I 1707, Tomus II & III 1718 Londini in fol. prodiere, passim acerrime invehitur; contra ipse *Cokium* aliosque paucos (raro enim dictis fidem facit) in rem suam adducit, multumque crepat secretas literas Jacobi I, Caroli II, Jacobi II & Cromwellii, & nescio quos Commentarios manuscriptos a magnis Viris, quos quidem nominare non audet, secum communicatos, de quorum fide alii dispiciant. Ceterum ubique Reges hos eorumque ministros tyrannidis accusat, Cromwellii vero res extollit, ne elogia quidem Poetarum, quibus eum ornarunt, prætermittens. Nos quidem, quanquam non inficiemur, librum lectu haud injucundum, ut specimina aliqua hinc afferemus, adduci vix possumus, minime dubitantes, Anglos cordatiores Autoris nostri impudentiam ac fastum maxime detestaturos, nec passuros deinceps, ut famæ magnorum Principum tam procaciter insultetur.

JACOBI VOORDA, JCTI ET ANTECESsoris Frisii, ad Legem Falcidiam Commentarius, quo multa Juris Justinianei loca exponuntur, illustrantur, emendantur, vindicantur. Accedit ejusdem Dissertatio de Legato partitionis.

Harlingæ, apud Folckerum van der Plaats, 1730, 8. Alph. 1 pl. 7.

SCripsere ad Legem Falcidiam Jurisconsulti & antiquis temporibus, ut credibile est, plures, & superioribus, post instauratas literas, quod constat, aliqui. E veteribus quidem *Pauli* ad eam legem liber singularis memoratur, &, si modo vulgatæ inscriptionis in *lege 125 Dig. de Leg. I* autoritati, juncto indice Jurisconsultorum, quem Justinianus edidit, standum est, *Rutilii Maximi*. Utriusque libri quantilla portio in Digestorum hodie voluminibus extet, quinque aut sex admodum legibus, quas vocamus, disjuncta, norunt, quicunque in versandis Jurisprudentiæ Justinianeæ monumentis operam posuerunt. Reliquos antiquorum hujus speciatim legis interpretes, quos verisimile est extitisse eo potissimum tempore, eum paul-

lo

lo ante plebs Romana sciviſſet rogationem Falcidii, una oblivio involvit. Sancitur interim utcunque jactura, aliunde congeſtis Juriſperitorum veterum reſponſis, quæ in Digeſtis habentur, titulo ad Legem Falcidiam. Porro ne quid vel ea parte deſideraremus, in hoc elaboravit recentiorum quorundam induſtria, in quibus *Ferretus*, *Duarenus*, *Goveanus*, *Balduinus*, *Hottomannus*, *Franciſcus Husmannus*, alii, qui juſtis plerique Commentariis ſigillatim legem illuſtrarunt. Præter hos, quorum ſcripta pleraque uſurpavit Vir Conſultiſſ. *Jacobus Voorda*, Juris in Academia Franequerana Anteceſſor, ipſe ſuam induſtriam deſiderari paſſus non eſt, ita quippe verſatus in hoc Opuſculo, ut non modo uteretur inventis temporum ſuperiorum, excitatis ubique honorifica appellatione autoribus ſuis, ſed & promeret ſubinde ſuas opes, novasque interpretandi judicandique vias plurima diligentia tentaret. Si quando diverſum tenuit ab aliorum autoritate, ut ſane libere, ita modeſte tamen liberaliterque in confutandis egit opinionibus, & *injuriis*, ut ipſe de ſe profitetur ſub finem Præfationis, *laceſſivit neminem: ſic exiſtimans, hominibus liberis mentem linguamque liberas eſſe debere; maledictis certare, ingenuo indignum eſſe.* Primo quidem cauſas legis ex temporum rationibus memorat: deinde Autorem *P. Falcidium* tribunum plebis; item tempus, quo plebs ſcivit rogationem, ab Urbe condita DCCXIV; & ipſa legis verba, ex antiquorum teſtimoniis, & capita conſtituit: ſi modo ea, quæ feruntur, capita ſunt appellanda, quod ingenioſe vocavit in dubium *Franc. Husmannus* ad hanc Legem paradoxo III, IV, V, VI. Eandem tamen difficultatem ſcienter removet *Balduinus*, docetque, illis verbis, quibus conſtare caput legis Falcidiæ primum dicitur, ad ſpeciem otioſis & nudo procemio ſimilibus, revocari vim & uſum illius XII tabularum ſanctionis, *uti quisque paterfamilias. R. S. L.* adverſus legem ſive Furiam, ſive Voconiam, quæ, circumſcribens illam legandi libertatem, abroganda eſſet rogatione Falcidia. Nec abludunt ab hac ſententia, quæ monet Noſter Cap. III exitu §. 2 pag. 35. Cujus Commentarii ſummam percenſebimus. Poſtea, ubi de verbis Falcidiæ, ut vidimus, transactum
eſt,

eſt, vim ille legis & uſum perſecutus, quibus ea & quo pacto ſubveniat, ad quæ utiliter tracta, quas res afficiat, & reliqua id genus, diſquirit. Mox de exquirenda & computanda in rationum Falcidiæ hereditatis omnisque generis legatorum quantitate impeditam ſatis doctrinam ordine exponit, & aliquot Capitibus diſtinctam copioſe pertractat. Poſtremo ſingularia hujus juris, & contraria legi, jus item circa Falcidiam honorarium notat. *Cujacii* autoritate ſæpius utitur, aliquando tamen ejus ſententiam non ſpernendis rationibus labefactat: eodem modo in aliorum etiam opinionibus excutiendis præcipuam eſſe veritatis liberaliter exquirendæ legem recte cenſet. Quam cum & nobis ſtatuamus, licebit nonnihil annotare paſſim. Notam inſcribit *Iſidoro*, qui cum de lege ipſa rectiſſime ſentiret, inter alia ſcripſit, ſub Imperatore Auguſto Falcidiam latam eſſe; at Noſter, ***Triumvir***, ait, ***tum Auguſtus, nondum Imperator***. Condonemus primo aliquid illis, quibus *Iſidorus* ſcripſit, temporibus. Deinde ſi Auguſti dominatum Imperii nomine cohoneſtamus, & quod ſenſim in illam vim excrevit, in aliqua legitimi regni tempora includimus, ecquo tempore cœpiſſe Auguſtum dominari dicamus? Utrum a victoria ad Mutinam, cum civem exuere & leges inciperet ſpernere; an a Triumviratu inito; an a L. Antonio devicto, & pace cum M. Antonio ad Brunduſium compoſita; an a Lepido diſpoliato poſt bellum cum Pompejo finitum denique? Ubi terminum ſtatuere poſſis, non facile definias. Si jus & fas ſpectamus, ſane nullo ille per leges tempore unus omnia poſſe cœpit: ſin meram armorum fortunam, nihil ſane intereſt, a primo ejus Conſulatu, dubia adhuc tyrannide, an a ſecura & conſtituta, poſt æmulos omnes devictos, quod tertium Conſule accidit, imperitaſſe putetur. Illud ſane commodius eſt, quia jam tum, cum Triumvir audiret, Lepido irriſo, & Antonio ob Provinciarum ſortem procul ablegato, Romæ omnia poſſet, nec ulla magis re vis ipſa imperii differret, quam quod poſtea ſecurius exercita fuit. Quodſi Triumviratus ab Imperio Cæſaris omnino diſtinctus habendus eſt; eccur a victoria Actiaca potiſſimum incipiat? Si enim Conſul tum vicit, rei publicæ potentiam quæſivit, non

p. 19.

ſibi: ſin ſuam rem auctum iit Romani orbis Dominus; quod fuerat, non tum primum eſſe cœpit. Vicit ad Actium tertio conſulatu, deinde pacata per continuos honores Republica, ſexto demum Conſulatu, precibus Senatus concedens invitus ſcilicet, nomine principis, quod diſerte tradit *Tacitus*, quaſi purgato jam ſcelere Triumviratus & Conſulatus per vim ſumti, quæſitoque rebus ſuis legitimo titulo, decem annorum imperium ſuſcepit. Quin inde potius annos ejus, quando ducimur externa ſpecie, ordimur? Si ne hoc quidem ſatis tutum eſt, ab initio captæ per vim poteſtatis, an a conſtituta plane dominatione tempora putes, quandoquidem in verbis omnis verſatur differentiæ ratio, parum refert. Ideo notandus, noſtro quidem judicio, non erat *Iſidorus*, ut nec illi, qui ab arrepto primo Conſulatu, ad mortem Auguſti, annos regni ejus conficiunt LVI. Scilicet primo anno Conſul, aliquot inſequentibus Triumvir, mox pro Triumviro, deinde a tertio Conſulatu ad nonum perpetuo Conſul & Tribunitiæ poteſtatis, poſtremo etiam Princeps a Senatu appellatus, aliquanto, ſeneſcente jam dominatu, ſecurius, oppreſſam vi, dolis, & ad extremum clementia, rempublicam tenuit. Quo factum eſt, cum omnia ſenſim ad ſe traheret Auguſtus, ut poſt Falcidiam plebiſcita deſierint, & ut hoc ipſum poſtremum eſſe videatur, cujus quidem extet memoria. Id quod belle monuit *Balduinus* in Commentariolo ad hanc legem, digno ſane, qui inprimis legatur. Quem tantum inveſtigare ſe in Friſia annixum fruſtra fuiſſe, Noſter in Præf. teſtatur. Enimvero hoc ipſo anno liber iſte, quod hic obiter notamus, cum quibusdam aliis ejusdem autoris, ſuaſu *Gundlingii*, Halæ Saxonum iterum prelo exiit, leviore ſumtu parabilis. Quæ in *Cujacii*, *Vinnii*, *Heineccii* circa Senatusconſultum Pegaſianum & alia juris momenta reprehendit dictis *pag. 83, 84, 203, 204, 350, 351* & alibi, ea nos aliorum judicio relinquimus. Quod
p. 96, 97. vero e *lege 38 Dig. de mortis c. don.* verba illa Florentini exemplaris, *a mortis cauſa capi intelligitur*, ſana eſſe contendit, & archaiſmo defendi poſſe, ne *at* pro inficeto *a*, quod res ipſa cogit, legatur: id, veremur, ut omnibus perſuadeat. Neque enim loca, in quibus præpoſitio *ab* apud probos autores abundat, ad

hanc

hanc rem vindicandam quicquam efficiunt. Prodat dictum aliquod, ubi hæc vocabula, *causa, gratia, ergo*, præpositionem *a* vel *ab* ex abundanti recipiant. Illud non magis Latinum, quam si dicas, *a dicis causa multa fieri*, pro *dicis causa:* aut, *ab honestatis ergo salutis curam habere, pulchrum esse.* Præsertim, simulac ambiguitatem addita vel demta particula dicto conciliat, non patitur eam varietatem Latini sermonis ingenium. At multum hic interest, quemadmodum illa enunciemus. Sextus id genus verborum casus nude adhibitus, *instrumenti* significationem habebit, & *τὸ ex* potius, quam *a* vel *ab* subaudiri tum patietur: contra *τὸ ab* additum aut *causam*, Dialecticorum verbo, *efficientem*, aut *temporis* notam continet. Deinde quod e *Paulli* Sententiarum libris *Deorum dona* pro donariis accipit secundum *Schultingium*, in eo fine dubio, quod res est, judicavit. Ut non sane pecunia Deorum fanis legato tributa, quæ Falcidiam pateretur, e *l. 1 §. 5 Dig. ad L. Falc.* sed res potius intelligendæ sint aut re ipsa sacræ & Diis dedicatæ, aut destinatione saltem sacræ: quale verbi causa celebratum est candelabrum illud gemmeum, quod ex Antiochi Regis liberalitate Jovi Capitolino repræsentatum, deinde sacrilegio Verris interceptum, copiose persequitur *Cicero* in Verrinis. Eas res extra patrimonium constitutas sua natura, non computari in bonis ad rationem Falcidiæ, verum deduci ante eodem modo, quo æs alienum, sine dubio oportuerat. At enimvero privatus rem sua autoritate sacram facere non potuit, neque ex ejus hereditate donaria, quæ non essent in patrimonio, proficisci. Censemus, consecrare quidem per se non potuisse, sed habere tamen, ut sacellum in confinio ædium suarum, ita in eo donaria rite consecrata, potuisse: cum contra lararium, privata religione conditum, sacrum non esset. Quod si hoc unum te moratur, ut sacra illa, quæ & alio sensu publica, in privata hereditate haberi, non persuadeamus: nihil intererit, ut tantum intelligenda esse dicas vestimenta, vasa, alia id genus Diis speciatim testamento donata, & destinatione sola, ut modo ante monuimus, pro sacris reputata; diversa ratione, quam si pecuniæ certa quantitas Diis esset legata. Et certe eorum dona Capito p. 116.

hujus

hujus Commentarii VIII, ubi *de exquirenda bonorum quantitate*, censeri in eorum numero, nisi fallimur, debuerant, quæ in bonis defuncti computanda non sunt: ut illa ubique sibi constaret ratio. Cap. IX §. V non præter rem aliquod *Triboniani* emblema in *l. 68 pr. Dig. ad Leg. Falc.* & investigat secundum *Ant. Augustinum* aliosque, & verba imprudenter alienissimo loco inserta, tanquam summæ iniquitatis, & rationi adversa, reprehendit; at in fine tamen addit: *Plane non eo hac dico, quo autor sim cuiquam, ut negligat, tanquam absona, hac l. 68 verba*, ut ejus quantitatis Falcidia præstetur. *Ea legi inserta, virtute legis donata sunt. At durum illud. Obtemperandum tamen: nam lex ita scripta est.* At nostri JCti æquitati quoque locum relinquendum, nec cœco obsequio legibus parendum censent. Nec magis ultimo loco, ubi, ne quidem Justiniani novis Constitutionibus legata ad pias causas exemta esse e legis Falcidiæ ratione, & Novellæ 131 Caput 12 pertinere tantum ad heredem contumacem, disputatur, *Voordæ* nostri sententiæ possumus accedere. Nimis enim solicite Novella distinguit heredem, qui id genus legata *non impleverit*, (μὴ πληρώσει) id est, non plene solverit, Falcidiæ sibi jura vindicaturus ab eis, qui *distulerint* solvere. (εἰ ὑπερθῶνται τὸ τοιοῦτον ληγάτον παρασχεῖν.) Hi sane in pœnam contumaciæ & moræ, non solidum modo legatum, verum etiam fructus, usuras, & quodcunque legitimum commodum, a morte testatoris, præstare jubentur: ille contra nihil præter solidum, non deducta quarta. Vix aliud quicquam hanc in rem haberi poterit evidentius. Sed hæc hactenus.

p. 216, 217.

JO. FRID GUIL. PAGENSTECHERI, JC. & Antecessoris in Gelrorum Academia Jurisprudentia Polemica.

Hardevici, apud Gul. Luntersbosch, 1730, 4.

Alph. 1 plag. 3.

Absolvitur hoc Opus quæstionibus Juris XXII. Prima est: an jus altius tollendi sit servitus, vigore cujus vicino liceat

suis

ſuis ſumtibus vicini ædes altius evehere in commoditatem domus ſuæ? Aff. Opponitur *§. 2 J. de Act.* Si quis agat, jus ſibi eſſe altius ædes *ſuas* tollendi. Reſpondet Autor: mihi ſedet, Tribonianum *ſuas* ſcripſiſſe pro *ejus*, vicini ſc. ædes. Eſt enim hæc ſervitus ejusdem generis, cujus ſunt ceteræ ibidem, quæ referuntur ad vicinum. Olim etiam conſuetum fuiſſe, his voculis uti indifferenter. Qu. II. Utrum ad traditionem ſymbolicam requiratur, ut fiat in præſentia aut conſpectu rei tradendæ? Neg. Opponitur *L. 74 ff. de contrab. empt.* ubi Papinianus, *ſi claves apud horrea traditæ ſint.* Reſpondet, *apud* ibi poni pro *ad*, claves ad horrea. Nam iterum in promiſcuo hæc nonnunquam haberi. Atqui antecedit, *clavibus traditis*, reſpondet, particulam *ſi* hic non eſſe conditionalem, ſed poni pro *quamprimum, ſimul atque.* Qu. VI. An filia per nuptias exeat a patria poteſtate? Neg. Opponitur 1) *L. 195 §. ult. de V. S.* quod mulier familiæ ſuæ finis ſit. Reſp. quatenus proles illius non matris, ſed patris & mariti familiam ſequitur. Opponitur 2) confarreatione & coemtione uxorem tranſiiſſe in manum viri. Reſp. an patri ideo poteſtas ademta ſit, diſputari adhuc a Dn. *Thomaſio*, & Dn. *Heineccio.* Ritum iſtum veterem jam ante *Juſtinianum* abiiſſe in deſuetudinem. *Tacit. Ann. IV, 16.* Moribus autem hodiernis prævalere ſententiam contrariam, quod per nuptias exeat. Qu. VII. An liberi a ſponſo & ſponſa ante copulationem & benedictionem ſacerdotalem procreati, patre mortuo ſint legitimi, eique ſuccedant? Aff. quia nec jus divinum, nec Civile, neque Jus Canonicum talem ritum abſolute ullibi requirit, ſed cum exceptione, *niſi voluntas propria ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima.* Et teſtatur Leo Nov. 89, eum ante ſua tempora ſeculo nono non fuiſſe uſitatum. Opponitur Epiſtola Evariſti Pontificis ad Africanos, *ut a patribus accepimus, & a ſanctis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus traditum invenimus. c. 1 Cauſ. 30 Qu. 5.* Reſp. illam Epiſtolam a quibusdam pro ſpuria haberi. Innuitur ſcilicet Evariſti Epiſtola prima, quam *David Blondellus* exhibet p. 147. Suppoſititiam autem eam eſſe aſſeritur ibidem & in Prolegomenis Cap. 13. In ipſo ſane textu iſto Juris Canonici omittuntur

 ver-

verba ea prægnantia: *ut a patribus accepimus*, &c. Qu. X. Utrum creditor particularem solutionem admittere cogatur? Neg. Opponitur §. 1 *J. quib. mod. oblig. toll.* ibi: *sicut autem quod debetur, pro parte recte solvitur, ita in parte debiti acceptilatio fieri potest.* Resp. illud comma, quod est post *debetur*, tollendum ibi esse, & collocandum post verba, *pro parte.* Hoc modo: *sicut autem quod debetur pro parte, recte solvitur ita, ita in parte debiti acceptilatio fieri potest.* Per geminationem bis legitur *ita*, & agitur de debito per partes contracto. Qu. XI. An indebitum per errorem juris solutum repeti possit? Aff. Opponitur *L. 10 C. de juris & facti ignor.* Resp. rescriptum illud agere de iis, qui jura profitentur. Colligit id Noster ex verbis, *tibi notum est.* Sæpe quidem Imperatores ad alios homines inserere formulam, *notum est*, aut similes; ubi autem ad jus spectant, tunc addi pronomen, *tibi.* Ac forte hoc unicum occurrere exemplum in toto Corpore. Ad fœminam non fuisse hic rescriptum, ceu putarit Pater Nostri in *Irnerio*, & mendosam esse inscriptionem, *Araphiæ.* Substituendum vero, *Apro & Piæ*, secundum similem inscriptionem *L. ult. C. si omissa sit caus. testam.* Si quæras, an & *Pia* fuerit professa Jurisprudentiam? Respondet, causam utrique potuisse esse communem & libellum utriusque nomine conceptum, solum tamen gessisse causam negotii Aprum. Denegari autem repetitionem *Apro*, & concedi *Piæ:* ideoque geminat, *competere tibi, tibi notum est.* Qu. XII. An XXX dies computentur in mensem? Aff. Opponitur *L. 101 ff. de R. J.* in casu duorum mensium qui *sexagesimo & primo die* venerit, audiendus est. Resp. per conjecturam, scriptum fuisse, *aud audiendus est*, pro *haud.* Posse etiam dici, Paulum tantum innuere, diem termini non computari in termino, neque ideo extendere voluisse mensem ultra 30 dies. Laudat Vir Clarissimus aliquoties *Joannem Schraffertum*, excellentis ingenii & prudentiæ Virum, scriptisque inclytum, *de censu dominico*, tum & *Cogitat. Juridic. ad Juvenalem*, aliisque. Quorum notitia ut & nobiscum communicetur, optamus.

JOH.

JOH. PETRI DE LUDEWIG SINGULAria Juris Publici Germ. Imperii nova ratione fideque Diplomatum & medii ævi monumentis adornata. Instar CONRINGII de Finibus Imperii Librorum Commentarii.

Tomus I.

Halæ Salicæ, impenſis Orphanotrophii, 1730, 8.
Alph. 2 pl. 6.

Singularia ſcribere Juris Publici Germanici, diſciplinæ noſtro ſeculo cultiſſimæ, nemo facile inſtituerit, niſi Vir vaſtæ ſcientiæ, rariſſimis ſubſidiis inſtructus, longoque rerum uſu doctus & confirmatus. Ejusmodi laborem, fiducia ſtudiorum, ſuſcepit Ill. Autor, qui illud ſibi videtur conſecutus, ut ſe hic plus valere, quam alios, vere poſſit prædicare. Huic contigit, verſari in pluribus, quæ recenſet, publicis tabulariis; colligere p. 12 ſqq.
inſtructiſſimam librorum ſupellectilem; & præterea uſus Juris Publici a multis annis ei fere quotidianus eſt in maximis 16 ſq.
ſummorum Principum cauſis ac negotiis, ut per longævam conſuetudinem nunc proferat judicia & conſilia, inſtar agri culti ac fertilis. Proinde vulgaria Juris Publici expectari poſſunt 9 & 54.
ab aliis, ei vero ejusque induſtriæ ſingulari debebuntur ſingularia. B. *Hornii* Jus Publicum, tanquam optimum in eo genere compendium, ſibi ſumit annotationibus illuſtrandum, & principio *Horniana*, i. e. communia dogmata exponit, poſt addit ſua (quæ vocat) ſingularia, ut ita in utrisque proficiant auditores. In Præf. Cap. I docet, quam tenuibus initiis creverit Juris Publici doctrina, & quantum aberraverint a recta via reliqui doctores. Inde Cap. II falſa eorum recenſet principia ex diverſis fontibus deducta: 1) ex ſacro Codice, 2) ex Philoſophia naturali, 3) ex Jure & moribus gentium, 4) ex Jure Rom. 5) ex Juris Feud. Longobard. *2 Feud. 56* doctrina de Regalibus. Ubi Fridericum Barbaroſſam primum autorem facit Regalium in Germania, qui callide perſuaſerit Principibus noſtris, Principatus ipſos eorum eſſe proprios, Regalia vero Imperatoris, ex ejus-

ejusque manu petenda; cum quidem (si e Nostri opinione rem rectius perpendas) Regalia sint territoriorum accessoria & jure proprio exerceantur. 6) Ex LL. publicis Germaniæ, 7) ex Speculis, 8) ex Jure Can. 9) ex Opinionibus Dd. 10) ex Historia Carolingica. In confesso est hodie apud omnes, ex monumentis historicis repetenda esse principia Juris publici, sed Carolingorum tempora remotiora sunt, quam ut inde sequentium seculorum jura & mores demonstrari possint. Ergo ad id tempus respiciendum, quo Germania novam faciem, novam formulam accepit, qua adhuc servatur. Id quod contigisse videtur post fata familiæ Carolingicæ, quo tempore universam
p. 72 sqq. Germaniam sui juris factam fuisse atque in eadem Reip. forma perstitisse, Autor ex historiis singulorum Ducatuum & usu octo seculorum probare satagit. Jam hinc accedit ad illustrationem *Hornii*, quem in multis feliciter supplet & emendat.
142 sqq. Eleganter ostendit, in sola Germania Jus Publicum JCtis privatis docendum permitti, ceteroquin esse prohibitum & rem pe-
217 sqq. riculi plenissimam in orbe propemodum universo. Item inter alia egregie de Romæ veteris clientela disserit, Francis præstita, Francorumque & Pontificis rationibus & consiliis. Porro fal-
253 sqq. sitatem donationis Ottonianæ multis argumentis gravibus arguit, & Regalia omnia Cæsarum fuisse, quamvis Roma cum territorio fuerit donata Pontificatui. Argumentum vero de Finibus Imperii quam diligentissime stylo & judicio pragmatico tractat, & cum suis quæque mutationibus fide Diplomatum & historiarum ad hæc tempora deducit, additis in margine notis perpetuis, in quibus testimoniorum rationumque pondera. Passim refellit *Conringium*, eoque multo fortior ac vigilantior est
730. in vindicandis Imperii juribus; imo alicubi refert, annuo Gallorum ære permotum destitisse a causa Barrensi pro Imperio defendenda. In quæstione de Jure Imperii in Romam vulgo confundi docet præscriptionem cum derelictione. Præscriptionem, beneficium Juris privati, non habere locum in causis gentium liberarum, sed tantummodo derelictionem, i. e. animum porro non habendi. Atqui neutrum allegari posse contra Imperium Rom. Et quemadmodum Cel. Autor Jura diversa

verſa diſcernere ſolet accuratiſſime; ita etiam hic, ex apparatu p. 348–403.
Guichenoniani Operis, præclaro ſpecimine Principum Sabau-
diæ oſtendit, quantum a Germanicis Principibus diſtent Italici.
Quod argumentum cum nemo adhuc digne atque ex inſtituto
pertractaverit, cum ſint hodie in promtu fœcundiſſima ſubſi-
dia, optat ſibi otium ac vitam ad *Jus Publicum Italiæ*, tanquam 430.
alteram Juris Publici ſcenam, adornandum. Quin imo, ut tan-
dem noſtri Germani ſciant, quam digniores ſint Italis, quid
ipſis in Italia debeatur, quidve ſubtractum per injurias tempo-
rum, profitetur, ſe meditari tale Syſtema Juris Publ. Italiæ, illo 479 & 497.
demum tempore perficiendum, cum Socii Palatini antiquos
Italiæ Scriptores ediderint in lucem. Neque hoc ſolum Opus
eſt, quod Vir indefeſſæ induſtriæ pollicetur; expectamus, fide
ejus, novam editionem *Germaniæ Principis*, ampliori apparatu 123.
inſtructam; itemque *Commentarium Judicialem* ſive Juris pri- 58.
vati *in Libellum Taciti de Moribus Germ.* & alia. Longam
ergo ac vegetam ſenectutem Autori optimo apprecamur, ut
promiſſis ſtare poſſit. Certe ſingularia hæc Juris Publici, quæ
in Capite IV *Horniani* Operis ſubſiſtunt, & in Lotharingia Su-
periore finiuntur, novo jure ſibi reliquæ ætatis partem poſtu-
lant. In fine hujus Tomi non diſſimulat Autor ſua merita in
omnes partes Jurisprudentiæ & in Hiſtoriam univerſalem, ad-
juncto ſimul Catalogo Opuſculorum, quæ adhuc edidit.

HOMOBONI PISONIS CREMONENSIS, in Academia Patavina Medicinæ Practicæ Profeſſoris, Methodus medendi.

Patavii, typis Johannis Baptiſtæ Conzatti, 1726, 4.

Alphab. 2 pl. 9.

CUm methodus medendi caput ſit totius artis Medicæ, ſeu centrum, quæque ſola humanam ſalutem procurare & medentem adverſus fortuitos eventus tutari poteſt, ægrotantibus paucos annos, ſed artifici nominis immortalitatem allatura; haud parum mox in limine hujus Operis deplorat Clariſſ. *Piſo* modernæ Medicinæ conditionem, dum a pleriſque, qui

rationales se Medicos venditant, degenerem quandam & popularem methodum servari, veram a *Galeno* traditam negligi aut ignorari advertit. Quemadmodum igitur *Galenus* hanc suis temporibus despectam, antiqua vestigia, inprimis *Hippocratis*, secutus, omni conatu restituit; ita Noster idem præstare, atque Medicinæ pristinum nitorem conciliare, hoc in Opere annisus est, quod in XXII Capita distribuit. Nos mentem Autoris brevibus sumus exposituri, unde plenariam sciagraphiam

Cap. I. L. B. methodi medendi instituendæ habebit. Ante omnia de methodo medendi agitur, quæ habitus & instrumentum dicitur intellectus, quod ex cognito nocente juvans declarat, ut hominis deperdita sanitas reparetur; quam cognitionem lædentis & auxiliantis *Galenus* indicationem vocat. Tantum igitur Medicina rationalis præstat empiricæ, quantum virtus casui & fortunæ, quorum favori Empirici sua pleraque referunt accepta remedia, & quanto quis sapientior fuerit, tanto magis medendi methodo excellet, id est, plurium rerum consequentias videbit indicantium instrumenta reducendæ pulsæ sa-

II. lutis. Circa divisionem methodi medendi notandum, quod hæc non consistat in collectione præceptorum, ita ut horum ratione in generalem & particularem dividatur. Methodus enim versatur in eruendo ignoto ex cognito, non in cumulando præceptorum acervo. Præcepta vero inveniuntur methodo, quando rebus applicatur, eaque sunt inventa methodi, non methodus ipsa. Idcirco sicut Logica solet dividi in docentem & utentem; ita similiter methodus distinguitur, & præcepta nuncupantur methodus utens, seu rebus immersa & in usum redacta. Atque hac ratione methodus medendi in tot partes, ceu particulares quasi methodos distribui potest, quot sunt diversi

III. morbi, in quibus usurpatur. Finis methodi medendi est amissæ sanitatis restitutio, quem tamen obtineri non semper patitur mortalis hominum conditio: hinc ab officio Medici est discernendus. Nihil enim aliud subest Medici potestati, nisi congrua remediorum administratio, ad ægros sanandos, quam curationem vocant a sanatione distinctam, quæ fit a natura. Ut autem ille suo munere recte fungatur, in tria mentem defigat

gat oportet, in convenientem ſcilicet qualitatem & quantitatem remediorum utendique rationem, & ut cito, tuto atque jucunde curet, ſolicitus ſit. Curatio alia propria eſt, morbi Cap.IV.
ablationi conveniens, alia latius accepta, quæ cauſæ remotioni & ſymptomatis mitigationi ſtudet. Ex iisdem fontibus fluxit alia diviſio in legitimam & coactam; illa eſt, quæ morbum expugnatura prius tollit cauſam, hæc, quæ impedimenta removet, & ſymptomata mitigat; vel quæ in morbis complicatis urgentiori removendo ſtudet. Res ſummæ, circa quas verſa- V.
tur methodus medendi, ſunt duæ, natura, quæ ſui conſervationem, & nocens, quod ſui remotionem efflagitat; unde oriuntur duo indicantia, vitale & curatorium, quæ ſunt vel primaria, vel ſecundaria; illa per ſe & propter ſe adhibendum remedium demonſtrant, natura & morbus; hæc, quæ interventu primi indicantis medicationem deſignant, ipſi primo indicanti adhibendam ratione quantitatis, temporis &c. uſurpandorum remediorum. Hucque ſpectant contraindicantia & impedi- VI.
entia. Quod naturam ejusque indicationem primariam attinet, eſt natura robur corporis ſeu facultatum omnium, quo promti efficimur, ad functiones valide & ſecundum naturam obeundas, quod oritur a ſpiritibus, humoribus & ſolidorum ſubſtantia. Vires igitur, quæ præſentes ſunt, non ſolum conſervandæ, ſed & amiſſæ reparandæ erunt per congruum rerum non-naturalium uſum. Conſuetudo dicitur altera natura, at- VII.
que conſiſtit vel in uſu diuturno ſimilium rerum, vel in eo, quod inde in noſtris corporibus creatur, & vocatur adventitia natura, ingenitam æmulans & novum hominem formans. Eſt hæc vel bona vel mala; illa congruit præceptis Medicis, declinat extrema in quacunque re, & facit ad vitam producendam: hinc nunquam eſt deſerenda; hæc declinat a præſcriptis Medicorum, conjungitur tamen cum ſanitate. Prout pravus uſus nondum in naturam tranſiit, & ſenſim nativam conſtitutionem mutat, vel per aſſuetudinem vitioſam vim naturæ adeptus eſt, modo deſerendus, modo in morbo retinendus eſt. Per ſanitatem vero & vacationem curarum convenit malam conſuetudinem corrigere, ſi timemus, ne vel mutatione ætatis vel ali-

qua causa fortuita evadat perniciosa, vel speramus, meliorem
Cap.IIX. produci posse, sicque vitam produci. Quoad nocentium indicationem primariam sunt nocentia morbus, causa & symptomata. Symptomata una cum morbo desinentia nullam propriam habent indicationem. Morbus semper & primario curationem indicat. Causæ pariter suam præstant indicationem, non tamen omnes unam eandemque & a morbi postulato distinctam. Causarum enim continentium indicatio eadem est atque morbi; sin causæ, sublato morbo, remaneant, quælibet
IX. propria gaudent indicatione. Ad secundariam indicationem naturæ præter vires spectant ægri temperamentum, habitus corporis, consuetudo, ætas, sexus; præterea singularum partium substantia, temperies, actionis dignitas, sensus, &c. quæ
X. omnia sui custodiam postulant. Secundaria nocentis indica-
XI. tio victus rationem determinat; quemadmodum & sex res non-
XII. naturales quævis pro suo modulo curationem variant. Indicationum inter se comparandarum occasio quandoque oritur ex earum multiplici contrarietate, qua in ambiguo positi singularum vim & potestatem naviter expendere debemus. Primum confertur indicatio nocentis cum altera, seu virium; ubi, quotiescunque dubitamus de virium robore, solemus curationem auspicari a remediis minus debilitantibus, & inde capere argumentum aut progrediendi ad fortiora, aut primis insistendi. Deinde comparamus ipsius nocentis indicationes inter se, & tum morbus vel unicus est cum causa proxima & symptomatibus, vel cum aliis complicatus. In unico morbo duo tantum esse possunt sui ablationem primo & per se efflagitantia, causa morbusque, dum symptomata, quæ pendent a morbo, velut umbra a corpore, solum indicandi potestatem acquirunt, causæ naturam adepta. E duobus vero primis indicantibus, quando eodem tempore nequimus singularum indicationibus vacare, causa principalis primum sibi vindicat locum, sine cujus ablatione effectus haud potest summoveri. In quacunque vero affectuum complicatione semper ab urgentiore inchoan-
XIII. dum, atque ipsius indicatio reliquis est anteferenda. Verum curatio & conservatio principiis destitui haud potest. Cum enim

enim rationalis ſecta, quæ operis felicitatem a ratione magna ex parte mutuatur, non a caſu vel fortuna, neceſſe eſt, ut habeat certa atque indubitata principia, in ipſa natura expreſſa, per ſe fide digna aut ſaltem minimo artificio demonſtrabilia, a quibus reliquæ notiones derivantur & ad eadem perducuntur. Talia ſunt: Contraria contrariis curantur, ſimilia ſimilibus conſervantur. Præter hæc prima principia dantur alia, quæ Cap. XIV. vel ab aliis ſcientiis deſumuntur, vel Medicinæ ſunt propria. Ad priorem claſſem ſpectant: Non poteſt auferri effectus, niſi ablata cauſa, a qua producitur vel conſervatur; idem manens idem, ſemper facit idem reſpectu ejusdem; quicquid recipitur, per modum receptivitatis ſuæ recipitur; e duobus malis minus eſt eligendum. In poſteriore excellit: Natura eſt morborum medicatrix. Sed ad Præcepta Medica redeundum eſt. XV. Quicquid induſtria meditatio, Majorum obſervatione adjuta, univerſim aut privatim in morborum curatione decrevit, non ſola ſui inventoris autoritate, ſed ratione magis ſuffultum, medicum præceptum eſt. Sunt talia vel communia, vel particularia. Illa vel omnibus morbis vel pluribus horum ſpeciebus abolendis conferunt; ut, morbum principio curandum, & curationem a ſedanda cauſa eſſe inchoandam; hæc uni tantum morborum differentiæ aptantur. Quemadmodum igitur alia remedia pluribus diverſis morbis communia, alia vero unico morbo vel unicæ morborum ſpeciei propria ſunt; ita præcepta, quæ remediorum uſum præſcribunt, ſic ſe habent. Optime vero præcepta deſumuntur a *Galeno*. *Si enim multa ex* XVI. *plurimis*, dicit Autor Noſter, *quæ ſcripſit Galenus, minus recentiorum palato ſapiunt, fieri, ut arbitror, nequit, quin placeant libri de Methodo medendi locupletiſſimi, ad Praxin bene fortunandam, nempe quibus non fortuitas præceptiones, aut quasdam ex arbitrio medendi leges condit, at ſolertiſſime inveſtigat, oſtenditque tenendam rationem ad nanciſcenda auxilia morborum.* Quando rationem cum experientia comparant XVII. Medici rationales, falſo præcipiunt, data occaſione deſerendam eſſe rationem, ſequendam experientiam: hæc duo enim ſibi non opponuntur; & quodſi altera alteri opponi videatur, pro

Cap.XVIII. certo habendum eſt, aliquem errorem ſubeſſe. Utuntur Medici experientia, quæ in morbis cognitis nihil præſtat præter remedii materiam; ignorata vero propria morbi natura,ipſum remedium, ſeu quid agendum, ſuppeditare poteſt. Faciunt tamen ſpecifica etiam in manifeſtis morbis ad majorem medica-
XIX. tionis ubertatem aut celeritatem. In uſum etiam trahunt iidem analogismum, qui eſt comparatio & perceptio cauſarum juvantium per ſimilitudinem ſeu tranſitum ad ſimilia,& ad rationem potius quam experientiam ſpectat, verſaturque circa
XX. morbos, partes affectas & materias remediorum. Ignotus morbus eſt, quem neque olim obſervavimus, neque ab aliis obſervatum accepimus, neque per ſimilia ſymptomata referre ad aliquem ex manifeſtis, atque experientiæ vel analogismi ope curare poſſumus. In his cum *Hippocrate* curatio auſpicanda eſt a purgante non forti, cui bene cedenti attenuantia & vacuationes alias, maxime vero inſenſibilem tranſpirationem promoventia ſuccedunt, cibique reſtringantur. Ab exhibito purgante vel creſcente morbo vel non decreſcente contraria remedia ſeligantur; ſin morbus fuerit acutus, ferienda eſt vena. Si
XXI. morbus ſeſe offert, qui probabiliter cognitus eſt, a juvantibus & lædentibus indicationes deſumuntur; ſin minus liqueat, quid juvet vel lædat, curatio prudenter eſt mutanda ratione modi exhibendi remedium, vel hujus formæ vel materiæ, vel ad contraria auxilia tranſitus fit, dum ipſa ægrotatio in aliam
XXII. abiit. Methodum medendi nemo adipiſci, feliciterque exercere poterit, niſi qui duce *Galeno* ſerio Dialecticam excoluerit, iisque diſputationibus ſæpius incaluerit, quæ ingenium acuunt, vimque inſitam perficiunt, recte prompteque ratiocinandi captioſæque probabilitatis inſidias eludendi.

Quemadmodum autem *Galenus* in *Theſſalum*, ſectæ methodicæ principem, acriter invectus, de morbi definitione adverſus veteres Medicos prius diſputavit, quam ſua placita de methodo medendi communicaverit; ita Clariſſ. *Piſo* in calce hujus Operis de natura morbi agit, *Dominicum Gulielminum*, qui in Exercitatione de Idearum vitiis, correctione & uſu ad ſtatuendam & inquirendam morborum naturam, *Galenicam* morbi defi-

definitionem funditus evertere conatus fuit, refutans *Galenumque* defendens. Addit denique Autor Clariss. novam in sanguinis circuitionem inquisitionem, in qua demonstrare conatur, 1) difficillimum esse, causam efficientem ejus determinare; 2) nondum certas pro ea demonstratas esse vias; 3) celeritatem, qua creditur sanguis deferri, circuitioni opponi; 4) hanc doctrinam multa in Physiologia & Pathologia perturbare ac obscurare; 5) & securiori medicationi repugnare; 6) toti rei medicæ magis convenientem esse fluxum & refluxum sanguinis a *Galeno* propositum, quam motum rapidissimum in orbem; sicque 7) circuitionem sanguinis legitime non esse demonstratam.

COURS DE PHYSIQUE.

hoc est,

CURSUS PHYSICUS, CUM PLURIBUS Schediasmatis Physicis jam ante publicatis, & Excerptis criticis ex Epistolis LEEUWENHOEKII; Autore HARTSOEKERO.

Hagæ-Comitum, apud Joannem Swart, 1730, 4, chart. aug. Alph. 3 pl. 15, Tab. æn. 1.

CUrsus physicus, qui primum locum occupat, est Opus posthumum Cl. *Hartsoekeri*, qui in studio physico consenuit. Dividitur is in libros septem, qui singuli in sua Capita subdividuntur. Primo de principiis physicis, atomis materialibus, motu, gravitate, duritie, fluiditate, mollitie & elasticitate corporum sensibilium agit. Secundo de natura & proprietatibus ignis, de natura & proprietate radiorum luminis, de eorundem reflexione & refractione, atque de coloribus mentem suam exponit. Tertio naturam & proprietates aeris, aquæ, sulphuris, salium, Mercurii, phlegmatis & capitis mortui Chymicorum, metallorum, magnetis atque vitri, contemplatur. Quarto ad cœlum digressus, de distantia stellarum earumque magnitudine, de motu planetarum & satellitum eorundem, de maculis Solis, de Cometis & aliis quibusdam phænomenis cœlestibus dis-

differit. Quinto suam de fluxu & refluxu maris, de ventis periodicis & regularibus in Oceano, & de motu maris sententiam exponit. Sexto in causas meteororum, & septimo denique in originem fontium & fluviorum inquirit. Edidit Cl. Autor jam A. 1696 Principia physica, in quibus hypotheses suas physicas proponit. Ea A. 1706 in aliam formam transfudit, & sub titulo Conjecturarum physicarum in lucem edidit. Addidit A. 1708 Physiologiam, seu tractationem de œconomia corporis humani, sub titulo Continuationis Conjecturarum physicarum. Cumque non deessent viri eruditi, qui varia contra hypotheses ejus objiciebant, ad eas in Evolutionibus Conjecturarum physicarum respondebat. Quæ in Conjecturis physicis, & earum Evolutione continentur, si Continuationem Conjecturarum exceperis, mutato ordine proposuit in Cursu physico, atque hinc inde uberius exposuit. Hypothesin fundamentalem retinuit de duobus atomorum materialium generibus, quarum aliæ sunt perfecte duræ, aliæ perfecte solidæ per efficacem Numinis voluntatem. Notæ sunt *Leibnitii* contra illas objectiones; sed dum eas amoliri conatur, ita respondet, ut appareat, ipsum earum vim non satis percepisse. Motum habet pro effectu vis mechanicæ a Deo corporibus impressæ, quæ materiam corporis pellit, & homini quoque a Deo datam esse arbitratur facultatem vim corporibus imprimendi eademque ipsa privandi. Celeritatem etiam effectum vis motricis pronunciat. Materia perfecte fluida ignis ipsi elementaris est, & radios solis pro igne elementari ex sole effluente habet, quæ in foco per vitra caustica colligatur. Aer, si ipsi credimus, constat ex multis particulis per peripheriam circuli ita dispositis, ut, si aer comprimatur, figura circularis abeat in ellipticam. Aqua est congeries bullularum exiguarum politarum intusque cavarum. Enimvero cum de Principiis physicis in Actis A. 1697 p. 1 & seqq. de Conjecturis physicis in Actis A. 1707 p. 316, & A. 1709 p. 84, de Evolutione Conjecturarum in Actis A. 1711 p. 321 & de Dioptricæ Tentamine in Actis A. 1695 p. 482 abunde dixerimus; non opus est, ut de Cursu hoc physico plura in medium afferamus, quamvis negare non possimus, quod plura phænomena

nunc

nunc aliter ſolvat, quam in Principiis & Conjecturis. Plurimum tribuiſſe videtur hypotheſi ſuæ de lachrymis vitreis, cum eam tanquam inventum ſingulare cum Academia Regia Scientiarum Pariſina communicaverit. Quamobrem eam exempli loco proferemus. Exiſtimat itaque, dum lachryma in aqua frigida induratur, aerem intus concluſum, ut egredi nequeat, medium potiſſimum corporis occupare & reliquum exiguos formare canales in cauda coeuntes. Quare ſi cauda frangatur, aerem valde condenſatum maximo impetu per eam egredi & partes totius lachrymæ a ſe invicem divellere.

Curſum phyſicum excipit Collectio variorum fragmentorum phyſicorum, in quibus potiſſimum oſtenditur infirmitas Syſtematis *Newtoni*. De hac Collectione diximus in Actis A. 1722 p. 319, cum primum lucem publicam aſpexiſſet. Subjicitur explicatio phyſica de fluxu & refluxu admirando Euripi, & ultimo denique loco comparent excerpta ex epiſtolis *Leeuwenhœkii*, in quibus virum induſtrium & de ſcientia naturali optime meritum acriter perſtringit, irritatus dubio procul ſiniſtro judicio, quod de ipſo tulerat *Leeuwenhœkius*. Rationem inſtituti ipſemet hanc reddit, quod in ingente farragine obſervationum inutilium & chimæricarum contineantur aliquot laudabiles, quæ ad incrementum ſcientiæ faciunt. Se plurimum laboris ac induſtriæ his excerptis impendiſſe fatetur, cum non modo omnes epiſtolas integras ſumma cum attentione perlegere, ſed etiam examinare & plurimas repetere oportuerit, de quibus non ſine ratione dubitabat. Stylum rudem & incomptum carpit, qui in homine illiterato tolerari poterat. Reprehendit in eodem, quod eandem rem toties repetierit: quod commode evitari non poterat, cum epiſtolæ ſint privatæ ad diverſas perſonas diverſo tempore conſcriptæ de iis obſervationibus, quas vel repetierat, vel de novo inſtituerat. Reprehendit, quod repetierit ab aliis jam ante longe melius tradita, veluti de figura interiori lignorum & canalibus diverſi generis, quos a *Malpighio*, *Grewio*, *Perraltio* & *Mariotto*, nec non *Swammerdammio* multo accuratius deſcriptos

fuisse, affirmat. Reprehendit, quod figuræ ruditer fuerint delineatæ, ut ex iis nihil distincte percipere possis eorum, quæ repræsentare debent: id quod condonandum homini, qui artem delineandi objecta ipse non calluit. Adeo sublesta est Nostro *Leeuwenhækii* fides, ut facta etiam, quæ is commemorat, in dubium vocet, utut in re, quod carpat, non reperiat. Exempli loco sunt animalcula, in aqua pipere condita, & tubo vitreo hermetice sigillato inclusa, elapsis quinque diebus in conspectum provenientia: ubi factum Noster in dubium vocat. Refert autem *Hartsækerus*, quod *Leeuwenhakius* factus ipsi fuerit hostis capitalis, quia ipsum circa finem A. 1673 invisens cum *Hugenio*, circa anatomiam insectorum objectiones moverit, ad quas respondere non potuerit, & inimicitiam lepida historiola probat. Scilicet cum A. 1697 vel 1698 cum Consule illius urbis, in qua degebat *Leeuwenhækius*, eundem inviseret, objecta ipsius microscopica contemplaturus; humaniter ab eo exceptus, in conclave deducebatur, ubi objecta in tabula collocaverat, quæ hospiti adventanti monstrare decreverat. Enimvero, quamprimum Consul nomen *Hartsækeri* incautus proferebat, vultu indignabundo & contemtum præ se ferente *Hartsækerum* respiciens, nihil prorsus eidem ostendere volebat: imo parum aberat, quin violenter utrumque extra fores ejiceret. Ceterum *Hartsækerus* de singulis epistolis judicium suum interponit, quas secundum seriem temporum digessit, quibus fuere conscriptæ. Quoniam illarum epistolarum ingens profecto numerus est, nostri instituti ratio non patitur, ut de singulis sigillatim dicamus. Cum tamen in epistola, quam circa finem anni 1698 ad Consulem Roterodamensem *van Zælen* dictum conscripsit, de surrepto sibi ab *Hartsækero* invento animalculorum in semine animali plurimum conquestus, ansam dederit huic vitam juvenilem describendi, ut quædam de ea dicamus, e re Lectoris esse videtur. Puer adhuc multa cum voluptate stellas contemplabatur, in earum nomina inquirens, &, quæ in calendariis de distantia & magnitudine Solis, Lunæ, planetarum, aliisque phænomenis cœlestibus scribebantur, legens assidue. Quare cum anno ætatis duodecimo vel decimo tertio

audi-

audivisset, illarum rerum notitiam Mathesi deberi; continuis patrem precibus solicitavit, ut ne pateretur se Matheseos notitia amplius esse destitutum. Sed cum pater, veritus, ne negligeret, quæ sunt de pane lucrando, consentire nollet, ut Matheseos studio sese manciparet; nummos, quos poterat, corrasit, ut ipsemet haberet, quos solveret suo in Mathesi magistro. Circa finem igitur anni 1673 ad studium Matheseos accessit, Arithmeticæ practicæ adhuc rudis, cumque nummi, quos habebat, non nisi didactro septem mensium sufficerent, dies noctesque totus huic studio impendit, inscio patre suo, Ecclesiæ Remonstrantis Ministro. A magistro suo didicit artem poliendi vitra, cumque casu deprehendisset fili vitrei extremum ad flammam candelæ liquefactum in globulum abire; globulum hunc intra duas lamellas plumbeas coarctavit & in ejus foco crinem applicavit, quemadmodum viderat apud *Leeuwenhœkium*, cum prima vice cum patre suo in ædibus ejus fuisset, plurimum de microscopio excellente lætatus. Monet hac data occasione, *Huddenium*, magnum illum & suo merito celebrem Mathematicum, non satis mirari potuisse, quod nemo ante *Leeuwenhœkium*, hominem illiteratum & ingenii felicitate destitutum, usum globulorum in contemplandis objectis minimis perspexerit. *Hartsœkerus* verem integrum & maximam æstatis partem anni 1674 in contemplandis objectis per globulos suos microscopicos consumens, in semine humano stupendam animalculorum multitudinem observavit, quæ cum causæ morbificæ cuidam adscriberet, nemini de hoc invento quicquam aperuit. Anno eodem a patre Amstelodamum missus philosophiæ & humaniorum literarum discendarum gratia, & *Rajo* præceptore usus, in *Cartesianorum* castra transiit. A. 1675 in Academiam Lugdunensem profectus, sub *Drelincurtio* Anatomiæ, sub *Voldero* philosophiæ & sub *Cranio* Medicinæ operam navavit. Factus autem est Medicus prorsus *Cartesianus*, ita ut vereretur, ne a Professoribus Academiæ Cadomensis gradum Doctoris in Medicina ambiens repulsam ferret; sed responsionem ad primam quæstionem, num argentum haberet, ipsis adeo satisfecisse, ut responsiones ceteras non curarent. A.

1677 ex Academia Lugdunensi Roterodamum rediit in Galliam studiorum absolvendorum gratia; abiturus, cum denuo animalcula in semine humano observasset, suo in Mathesi magistro & amico cuidam suo id aperuit, cumque eadem animalcula in semine canis observarent, eadem in semine omnis animalis naturali in statu deprehendi collegerunt. Monstravit pluribus hæc animalcula Roterodami, etsi ignorari mallet, fluidum, quod pro saliva venditabat, esse semen humanum, atque hoc ansam dedisse suspicatur *Leeuwenhœkio*, ut profiteretur, se animalcula in saliva observasse innumera, qualia tamen nunquam in eadem appareant. *Hugenius* ex Gallia redux, cum de animalculis in saliva Roterodami a juvene monstratis audivisset, eorum videndorum desiderio inflammabatur. Accessit igitur eum *Hartsœkerus*, rogansque eum, ut literas sibi daret commendatitias ad eruditos Parisienses, ipsi atque fratri *Constantino Hugenio*, præsentibus adhuc duobus aliis, aperuit, fluidum tot animalcula alens non esse salivam, sed semen maris. Cum ipso A. 1678 Parisios profectus innotuit *Hautefeuilleo*, qui multum indignabatur *Hugenio*, quod ipsi surripuisset inventum pendulorum ad horologia portatilia applicatorum, cum ipsi non prima ejus idea deberetur, sed idem saltem perfecisset ipse ac utile effecisset. Quoniam is referebat, *Hugenium* in Diario Eruditorum Parisino publicasse, quod ope microscopii noviter inventi plurimas observationes admodum curiosas fecerit; regessit *Hartsœkerus*, illum microscopia ista a se accepisse, & se maximam istarum observationum partem eidem communicasse. Præsentibus omnibus ipsum rogantibus, ut, quod hic narraret, Diario Eruditorum inseri curaret, facile se persuaderi passus est, ut schedam invectivam contra *Hugenium* ab uno eorum compositam, cum linguæ Gallicæ nondum satis gnarus esset, describeret & autori Diarii offerret: quam cum is *Hugenio* dedisset, *Hartsœkerum* objurgavit, aliamque composuit de animalculis in semine animali detectis & aliis observationibus microscopicis sub *Hartsœkeri* nomine Diario insertam. Hac narratione satisfacere voluit Noster injustis *Leeuwenhœkii* querelis, quasi falso primam hujus inventi gloriam sibi tribueret.

Monet

Monet Editor, *Hartſœkerum* hæc excerpta multis annotationibus locupletaturum fuiſſe, niſi mors propoſitum intervertiſſet. Præmittitur Operi epiſtola *Hartſœkeri* ad *Fontenellium*, Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ Secretarium; qui ipſi exprobraverat, quod tanquam Membrum Academiæ Regiæ non ſatis obſervaverit Statutum de cenſuris iniquis aliorum membrorum, quam culpam a ſe remoturus citat elogia, quibus Membra Academiæ condecoravit, &, ſe potius ab iis contemtum fuiſſe, probat; quod nec ſchediasmata ſua in conventu prælegi voluerint, ſed *Mery* atque *Littre* filio ipſius reſponderint, magis ardua Academiæ eſſe negotia, quam ut in iſtis legendis tempus fallat, nec Conjecturarum phyſicarum, quas ad Academiam miſerat, in Hiſtoria mentionem facere dignati fuerint, cum tamen aliorum opera in iisdem recenſuiſſent. Conqueritur in eadem epiſtola, quod *Hugenius* ipſi ſurripuerit inventum diſtantiam fixarum inveſtigandi, ab ipſo in *Cosmotheoro*, a ſe autem dudum ante in *Dioptrica* publicatum, quam lectam fuiſſe *Hugenio*, quando *Cosmotheorum* ſcribebat, ſibi conſtet. Conqueritur etiam, quod *Philippus de la Hire* cauſam abbreviandi penduli in climatis meridionalibus, & cauſam effectuum pulveris pyrii, tonitrui, terræ motuum ſibi ſurripuerit. Exempla denique membrorum Academiæ profert, quibus impune violare licuit Statutum Academiæ de moderato ſtylo. Præmittitur etiam Elogium Autoris a *Fontenellio* conſcriptum: de quo dicemus ſuo loco, cum Hiſtoria Academiæ A. 1725, ex qua deſumtum, ad nos pervenerit.

ABREGÉ DES MATHEMATIQUES POUR l'uſage de ſa Majeſté Imperiale de toutes les Ruſſies &c.

hoc eſt,

COMPENDIUM MATHESEOS IN USUM Majeſtatis Imperialis univerſæ Ruſſiæ adornatum. Tomus III, continens Architecturam militarem.

Petropoli, typis Academiæ Scientiarum, 8 chart. aug. Plag. 12 Tabb. æn. XVIII.

DE primo & secundo Tomo hujus Compendii diximus in Actis A. 1728 p. 289 & seqq. ubi simul spem fecimus Compendii hujus Architecturæ militaris. Ejus Autor Cel. *Hermannus*, per quæstiones & responsiones rudimenta artis muniendi explicat. Terminis explicatis ichnographiam & orthographiam pentagoni regularis secundum methodum muniendi Belgicam absque operibus externis exhibet. Recenset deinde regulas artis muniendi fundamentales & methodum muniendi Hispanicam, omnium antiquissimam, Belgicam, Gallicam *Vaubonianam* utramque, Belgicam *Cœhornianam* describit. Addit regulas de arte muniendi irregulari, atque ita finit tractationem de Architectura militari defensiva. Progreditur inde ad Architecturam militarem offensivam, ubi opera in obsidione munimentorum excitari solita & modum obsidendi & oppugnandi loca munita delineat.

CONSULTATIO DE UNIVERSALI COMmercio Literario ad rei medicæ & scientiæ naturalis incrementum inter horum studiorum amatores instituendo.

A. d. 26 Augusti 1730, 4.

Plag. 1.

CONSULTATIO ULTERIOR DE UNIversali Commercio &c.

A. d. 20 Novembris 1730, 4.

Plag. 1.

EA quidem ævi nostri præ patrum avorumque nostrorum est felicitas, ut conditis Societatibus, quod singuli præstare non potuerunt, conjunctim omnes prompte perfecerint; unde non leves quotannis scientiis factæ sunt accessiones. Non omnibus tamen vel ob negotia vel librorum defectum vel alias causas adeo felicibus esse licet, ut ipsa volumina evolvere, vel, quæ a Societatibus congesta sunt, legere queant. Quamobrem ut hoc in passu artis medicæ pariter ac scientiæ naturalis incre-

cre-

crementum promoveretur, universale Commercium Literarium, si non per universum orbem, saltem per cultiorem ejus partem, Europam nostram, stabilire decreverunt Viri quidam non minus eruditi ac honesti & industrii, Norimbergæ hac de re deliberantes. Quam vero tractandi rationem scopo suo convenientissimam judicaverint, & sequi constituerint, hisce plagulis in cujuscunque notitiam perferre, medicinæ & naturalis doctrinæ amatores ad suppetias ferendas invitare, simulque rogare voluerunt, ut, si quo pacto emendari commodiusque reddi laudabile hoc institutum posset, mature monerent. Laboris hujus initium fiet cum novi anni auspiciis; singulis septimanis philyra una in lucem prodibit, in qua, quæ in disciplina medica & naturali inventa & propalata sunt, aut prelo parantur, ut & technica ab harum disciplinarum ambitu non nimis aliena, quam fieri poterit celerrime, commemorabuntur, quovisque absoluto semestri in ordinem justum redacti Commentarii oculis sistent, quæcunque hactenus fuerunt pertractata. De cetero legitur hic specimen aliquod exemplare, ex quo apparere possit, quo pacto promissæ schedæ se sint habituræ.

ELEMENTIS MEDICINÆ PHYSICO-Mathematicæ præmittenda. Liber unus; Autore JOANNE FRIDERICO SCHREIBER.

Lipsiæ, anno 1730, 8.
Plag. 10.

PRomisit Nobiliss. Autor in his Actis A. 1729 M. Nov. p. 500, se Medicinæ elementa, scientifica methodo, conscripturum atque suppositurum esse inprimis notiones propositionesque *Wolfianas* tanquam omnium maxime evolutas probatasque. Hujus promissi memor primum in hoc libello exhibet, eadem methodo, consignata illa, quæ illis ipsis elementis præmittere decrevit. Capitibus vero septem constat liber, e quibus præcipua afferemus. Caput I agit *de homine in genere.* Primo probat propositiones de anima & corpore metaphysicas: existentiam animæ,

animæ, ſimplicitatem, vim unicam, ac vitam. Ubi ad corpus humanum tranſit, evincit, ipſos Idealiſtas ſequentia æque legere poſſe, ac ceteros. De corpore humano loquens, ejus eſſentiam declarat, modosque in eam penetrandi: tum & de mutationibus ejus ac materie verba facit: docetque, quid ſit comprehendere mutationem partis cujusdam. Cumque cuivis parti corporis humani ſit ſua vis: vis totius corporis Autori eſt ſumma virium omnium partium corporis humani: inque annexo ſcholio, exſiſtentiam vis in corporibus ante *Leibnitium* jam aperuiſſe *Hoffmannum* variis locis, oſtendit. Cum vero natura & vis ſynonyma ſint, ſponte jam fluit definitio ejus, quod corpori humano naturale eſt: unde contra ſententiam Medicorum deducit, omnes actiones corpori humano eſſe naturales & conſentientem ſibi ea in re adducit *Peyerum*. Progreditur poſt ad notionem machinæ; unde & corpori humano, & cuivis ejus parti Machinæ nomen, & naturalis quidem, vindicat, demonſtratque, absque philoſophia mechanica nullas corporis humani mutationes comprehendi poſſe. Cap. II, *de vario corporis humani ſtatu*, primo probat vitæ corporis humani definitionem, quod ſit ille ejus ſtatus, quo vel vis totius corporis, vel aliquarum ſolum partium vires durant. Unde & ſcitur, quid ſit mors ejus. Notandum quoque, Autorem vitam aſſignare tanquam differentiam ſpecificam machinæ naturalis & artificialis. Evolvens autem ſanitatis morbique notiones, docet, quo modo partium fines a priori colligi queant, præmiſſaque definitione conſenſus diſſenſusque virium inter ſe, hanc notionem ſanitatis a priori deducit, quod ſit ſtatus corporis humani internus, quo vires partium ejus, determinato gradu, inter ſe conſentiunt. Unde & mox fluit notio morbi. Propoſitiones exſtantiores hic probatæ ſunt ſequentes, quod alia ſanitas ſit fœtui, alia infanti, alia adulto &c. & quod ſanitatem morbosque comprehenſurus, mechanice philoſophari teneatur. Tum agitur de viribus corporis humani vitalibus, morbo univerſali & particulari, & vita minima. Demonſtrata denique cognitione mathematica ſanitatis morborumque poſſibili, adſtruit, absque illa duos hoſce ſtatus accurate determinari

minari

minari non posse. Cap. III, *de Medicina & Medico in genere*, ex præmissis quibusdam experientiis deducit exsistentiam Medicinæ, quam ***naturalem docentem*** vocat, quæ est naturalis dispositio corporis humani, qua ægrum, mente præsentem morbum non comprehendente, sponte fertur in usum quorundam, quibus sanum redditur. Medicina autem *artificialis docens* ipsi est scientia dirigendi vires corporis humani ad sanitatem. Atque hoc loco rationem reddit Autor, cur a definitione, quam olim in his Actis dederat, discesserit: præcipua est, quod institutiones Medicas, exceptis υγιεινη & θεραπευτικη, ad Physicam pertinere statuit. Quia Medicina est scientia: in ea demonstrandum est. Autor ergo demonstrationes promittit, hicque jam actu dedit. Tum prædicata Medici theoretici & practici expenduntur: quod sit Philosophus & mechanice philosophari debeat de corpore humano. Sequitur post doctrina generalis de medicamentis. Definit autem medicamentum per instrumentum, quo vires corporis humani ad sanitatem dirigi possunt: unde demonstrat, medicamenta agere ob vim corporis humani, cui ergo effectus medicamentorum præcipue tribuendi sunt: ideoque vis illius semper rationem habendam esse, alias iners erit illud medicamentum. Solvit & problema pro constituendis summis & subalternis medicamentorum generibus. Proponit idem & in hoc Capite prærogativas Medicinæ scientificæ præ empirica; quod illa tradat philosophicam medicamentorum cognitionem, hæc historicam: illa certa præscribat medicamenta, & plures morbos fugantia: hæc incerta, & paucioribus opposita morbis: illa denique voluptate perfundat animos Medicorum, ab empirica non exspectanda. In Cap. IV exhibentur *Medicinæ partes*, quarum duæ sunt υγιεινη & θεραπευτικη: illa vero huic præmittenda, ut quæ huic principia exhibet. Tum & evincitur, methodum medendi esse partem θεραπευτικης, docentem indicantia ex morbo præsente colligere. Quia vero probavit, indicata indicantium determinata esse; indicatorum in definitione methodi medendi mentio facta non est. Dixerat autem Autor in anterioribus, vis corporis humani in

E exhi-

exhibendo medicamento ſemper rationem habendam eſſe: unde neceſſum duxit, novam cudere Θεραπευτικης partem, quam σημειωτικην Θεραπευτικην vocavit, quæ ipſi eſt ſcientia determinandi gradum vis in corpore ægro quocunque. Atque ab hujus ſcientiæ neglectu derivat omnem curationum incertitudinem, quod nemo ſtuduerit hactenus determinare, & quantum gradum vis corporis humani ad effectum ſuum requirat, & quantus præciſe in corpore ægro præſens ſit. Neque deſperat, principia ſcientiæ hujus jam exhiberi poſſe. Διαιτητικη autem eſt duplex, vel υγιεινη, vel θεραπευτικη: quarum notiones denominationes hæ lectori inſinuare queunt. Cap. VI tractat *de ſcientiis, in Medicina ſupponendis*. Prima eſt φυσιολογια, cujus definitionem probat, jam olim his in Actis datam: e qua concludit, διαιτητικην υγιεινην una cum φυσιολογιᾳ pertractandam eſſe. Secunda eſt παθολογια, quæ eſt ſcientia modi, quo determinatus gradus virium corporis humani conſentientium per corpus humanum, ſive ſanum, ſive ægrum, aſſumta quæcunque atque applicata externa tolli queat, & ſic potius tolli, quam aliter. Atque inde παθολογιαν in duas partes diſpeſcit: utraque ſupponit φυσιολογιαν; & omnium optime cum φυσιολογια pertractatur, quod alias ſaltim generalia complectatur morborum. Vid. Act. hor. Menſ. Novemb. 1729. Jam ad ſignorum ſcientiam pedem promovet: &, definita prius apparitione, probat, in quovis corporis humani ſtatu eſſe apparitiones quasdam, quæ in alio nunquam adeſſe poſſunt: unde & ſignorum certitudo fluit, pro quibus inveniendis ultimo generaliſſimæ propoſitiones demonſtrantur, in quibus continetur ratio prædictionum Hippocraticarum Galenicarumque. Quare non mirum, & hic evinci neceſſitatem, cognoſcendi ſigna. Denique omnis Matheſeos ac Philoſophiæ utilitas in Medicinam commendatur. Cap. VI tractat *de Medicinæ fundamentis:* quæ duo ſunt, ratio & experientia. Atque eodem loco, Medicinam ab omni ſecta & hypotheſibus liberam eſſe, inque Medicina libertatem philoſophandi concedi debere, oſtenditur. Ultimo tandem Capite *perfectio corporis humani in genere* proponitur. Exſtantiores propo-

ſitio-

fitiones ſunt hæ: corpus humanum ſanum eſſe perfectum: adeſſe debere regulas, per quas intelligi poſſit, cur talis potius partium corporis humani ſit fabrica, quam alia: fines partium in φυσιολογιᾳ expendendos eſſe; circa quod argumentum præcipuus laudatur *Galenus:* Deum in condendo noſtro corpore leges Architecturæ civilis obſervaſſe: unde in φυσιολογιᾳ probandum, corpus humanum eſſe venuſtum, firmum ac commodum. In fine promittit Autor mox ſecuturam Φυσιολογιαν ſuam, quæ ſtatum ſanum & ægrum, utriusque ſigna, finesque partium corporis humani continebit.

A DEFENCE OF THE HEBREW BIBLE &c.
i. e.
DEFENSIO BIBLIORUM HEBRAICOrum, in qua ad imputationem corruptionis, a WILHELMO WHISTONO in Tentamine ſuo tradente modum reſtituendi genuinum V. T. textum &c. ipſis factam reſpondetur, ejusque commenta ſpeciatim examinantur & confutantur a Rev. D. CARPZOVIO, ex Latino idiomate translata & notis inſtructa a MOSE MARCO, Judæo converſo Linguarumque orientalium Magiſtro.

Londini, ſumtibus Bernardi Lintot, 1729, 8.
Alph. 1.

NOn minorem gloriam & laudem Summe Rev. *Carpzovio*, decori adhuc Lipſienſi pereximio, nunc autem Lubecenſium ſacris præfecto, quam Anglis utilitatem conciliabit hæc converſio Anglica Partis III Anti-Whiſtonianæ Critices Sacræ, ante hos duos annos evulgatæ, & in Actis noſtris 1728 Menſe Dec. p. 529 ſeqq. recenſitæ. Neque indiligenter munere ſuo in convertenda hac lucubratione defunctus eſſe videtur *Moſes Marcus*, vir non indoctus, ſed Præfationem etiam ei præmiſit, nonnullasque annotationes textui ſubjecit, nomine ſuo inſtructas.

In Præfatione observat interpres, librum *Whistonianum*, qui rectius Tentamen tradens modum *confundendi* & *destruendi* quam *restituendi* textum Hebræum inscribi debuisset, Anglis multum detrimenti attulisse, & incredulis præcipue, quorum magna est seges, materiam triumphandi suppeditasse. Cum itaque nullus Anglicorum Theologorum ad perniciosum hunc librum adhuc data opera responderit: hoc officium in se suscepit Ven. *Carpzovius*, cujus responsionem, magno judicio & eruditionis apparatu conscriptam, omnique ex parte commentis Whistonianis satisfacientem, Anglice sibi convertendam esse Noster existimavit, ut lectores libri Whistoniani Anglicam etiam responsionem haberent. Neque dubitat *Moses Marcus*, quin hanc responsionem ad *Whistoni* Tentamen omnes plenissimam sint judicaturi, & nemo meliorem optare posset, neque alia adhuc opus esset, si modo ipse interpretis partes rite administrasset. Postquam deinde interpres noster Cel. *Carpzovii*, quem Lipsiæ sæpius vidit, atque in Germania tanquam alterum *Buxtorfium* coli audivit, Introductionem ad Libros Canonicos V. T. & ipsam Criticam sacram paulo fusius recensuerat idoneisque laudibus exornarat: monet commode, se certo scire, Cl. *Whistonum* nostri Autoris Disputationem Anti-Whistonianam statim A. 1724 vidisse & legisse, quæ quanquam non tam luculenta esset, atque hæc ipsa lucubratio, nihilominus tamen *Whistoni* nimiam fiduciam sui parumper deprimere potuisset. At enimvero tantum abest, ut *Whistonus* ad illam adhuc responderit, ut potius ab illo tempore in omnibus scriptis suis ad hoc Tentamen, tanquam ad opus suum palmarium provocarit, quasi hic ipse liber indubitabilis esset fidei, & veritatis a nemine oppugnatæ. Neque vero hæc Carpzoviana lucubratio solius *Whistoni* objectiones difflat, sed una fidelia aliorum Criticorum commenta, in sacrum Textum injuria, atque a *Whistono* tantum infausto sidere recocta, *Jo.* scilicet *Morini, Jac. Capelli, If. Vossii, Rich. Simonii, Pauli Pezroni* & *Jo. Clerici* explodit, cujus ultimi interpolationem novem versuum, quam sibi Genes. XXXVI post vocem *Horitas* deprehendisse visus est, a doctissimo Episcopo *Cumberlando* in suis *Origini-*

ginibus Gentium ita confutatam esse Noster scite observat, ut nihil plane dubii adhuc supersit. Quanquam autem hæ præclaræ virtutes, cum singulari modestia & in sacrum Codicem religione conjunctæ, quas unusquisque in libro *Carpzoviano* admiratur, Judæum nostrum conversum facile permovere potuissent ad versionem ejus Anglicam conficiendam; aliam tamen adhuc caussam sibi fuisse non dissimulat, ut scilicet Judæos, fratres suos secundum carnem, ab objecto ipsis sacrilego corruptionis sacrarum literarum crimine vindicaret, quem laborem etiam quondam alius Judæus conversus *Joannes Isaacus* adversus *Wilb. Lindanum*, Pontificium Doctorem, jam A. 1559 suscepisset. Atque sic satis superque instituti hujus caussas perorasse censendus est Noster, qui sancte asseverat, se non tantum omni studio elaborasse, ut ubique sensum Autoris fideliter exprimeret, sed etiam *Whistoni* objectiones ipsius verbis paulo susius, atque in Latino Opere factum erat, repeteret, ne quid dicamus de verbis Hebraicis in hac Critica Anti-Whistoniana obviis, quorum lectionem etiam in gratiam Lectorum Anglorum, linguæ Hebraicæ expertium, literis Anglicis adjecit.

Quod ad Annotationes interpretis attinet, earum, cum paucæ sint, nec adeo magni momenti, specimen hic afferre supersedemus, quin potius, ut Ven. *Carpzovius* novam editionem libri *Goodwini, Moses & Aaron* dicti, uberioribus notis a se instruendam, nec non Antiquitates Biblicas ex *Genesi* & *Exodo*, quæ sub finem Catalogi scriptorum *Carpzovianorum* promittuntur, in lucem propediem emittat, boni publici amore incensi exoptamus.

HUGONIS GROTII, BELGARUM PHOEnicis, Manes ab iniquis obtrectationibus vindicati; Partes duæ.

Delphis Batavorum, 1727, 8 maj.

Alph. 2 pl. 13.

NOn plane prætermittendam duximus in annalibus nostris men-

mentionem libri hujus, licet ſerius aliquanto factam; qui tum in argumento nobiliſſimo verſaretur, *Grotii* ſcilicet, ſine pari hominis, vindiciis, tum vero erudite admodum atque jucunde eſſet conſcriptus, &, cum Lipſiæ re vera impreſſus ſit, elegantiam tamen chartæ ac typi Belgarum non infeliciter æmularetur. Illius Autor, qui verecundia inductus nomen ſuum profiteri noluit, cum tantam animo venerationem *Grotii*, non ex doctrinæ magis, humanam fere ſortem ſuperantis, amplitudine, quam virtutis potiſſimum, in rebus agendis prudentiæ, integritatis, conſtantiæ in adverſis tolerandis, & religionis teſtatiſſimæ exemplis concepiſſet, indigne admodum tulit, nullum hactenus ex Batavis civibus inventum fuiſſe, qui popularium ſuorum Phœnicis (hoc vero nomine non in Indice tantum libri, ſed etiam in ipſo Opere paſſim *Grotium* Noſter appellat) famam, atrociſſimis invidorum, poſt fata etiam, calumniis læſam indigniſſime, aſſereret; atque hinc ipſe hoc in defunctum ſuſcipere in ſe, ſinceri, quod ait, amoris officium voluit. Hujus vero inſtituti hanc ſibi rationem præſcripſit, ut, enarratis ordine vitæ ipſius præclariſſime actæ potioribus circumſtantiis, ſtrenue ſimul ipſius cauſam agat; ubicunque vel iniquior fortuna vel maledicorum infrunita pravitas inſontem tantum non opprimere tentavit; quod quidem a pueritia inde ad vitæ usque finem ſæpius magnaque quadam cum vehementia factum eſt. Vindiciarum ſpecimen aliquod tanto minus afferre nobis animus jam eſt; quanto magis pretium operæ facturos putamus quoscunque, qui verſare hoc Opus eleganter ſcriptum, & variis ſeculi antecedentis, quæ quidem in *Grotii* ætatem inciderunt, & quorum ipſe non minima interdum pars fuit, momentis cognitu digniſſimis refertum, inſtituerint. Illos etiam, qui infinitum fere ſcriptorum *Grotii* ex univerſa doctrina ſive ſacra ſive humana reconditiori depromtorum, editiones, verſiones, Commentatores &c. cognoſcere geſtiunt, adjunctus triplex tum editorum tum ineditorum conſpectus, curate admodum ac diligentiſſime concinnatus, juvabit.

Kurtze

Kurtze Reformations-Historie der Reichs-Stadt Memmingen.

h. e.

HISTORIA REFORMATIONIS CIVITAtis S. R. I. liberæ Memmingensis ex dignis fide monumentis compendiose descripta a JO. GEORGIO SCHELHÖRN.

Memmingæ, apud Michaelem Friesen, 1730, 8.
Plag. 20.

EGregie de patria sua meriturus Cl. *Schelhornius*, occasione nuperi festi secularis ab Evangelicis in memoriam formulæ Augustanæ celebrati, curatius inquirere instituit in statum rei sacræ apud Memmingenses hos ante ducentos annos, & mutatæ ibi religionis initia; hoc quidem consilio, ut singulari hoc argumentum Commentario, tum civibus suis, tum aliis historiæ ecclesiasticæ amatoribus, explanatum proponeret. Promoverunt laudabile hoc institutum reipublicæ Memmingensis Patres conscripti aditu ipsi libero ad publicum ἀρχεῖον concesso, unde repeteret atque in usus converteret suos varii generis documenta, tum stabiliendæ narrationis fidei, tum illustrandis variis momentis, maxime comparata. Enata ipsi hinc est præsens opella, si molem quidem externam spectes, non nimis ampla, referta tamen rebus scitu dignissimis. Ut eo magis parabilis fieret civibus suis liber, brevitatem sibi maxime sectandam proposuit, compensandam olim fortasse *Documentorum spicilegiis*, ad *Historiam Reformationis* non *Memmingæ* solum, sed *Sueviæ* universæ, collustrandam pertinentium. Septem omnino Capitibus Opus absolvitur: quorum I observationes quasdam sistit ipsam Reformationem Lutheri antegressarum rerum notabilium. II Initia, III vero progressus religionis emendatæ apud *Memmingenses* exhibet; illa tenuia admodum, ut fieri fere consuevit, scriptis tamen *Erasmi*, jam anno MDXXI avide ac diligenter ab iisdem lectis, facta, magis vero per *Christophorum Schappelerum*, Helvetium, Theologum non doctrina minus ac facundia quam morum integritate

tate præstabilem, insequentibus annis promota, quamvis non sine motibus res processerit, dilucide a Viro Clar. descriptis, quibus autem repetendis nos abstinemus: hos vero magis luculentos, doctrinæ moribusque repurgandis strenue insudantibus *Simperto Schenckio*, *Joanne Vannero* s. *Vannio*, & *Ambrosio Blaurero*, quamvis singuli *Zuinglii* partibus ac *Lutheri* addictiores essent. Caput IV historia notissimæ illius Confessionis Tetrapolitanæ, communi IV urbium, Argentoratensis, Constantiensis, Lindauiensis & Memmingensis, nomine in Comitiis Augustanis anno MDXXX exhibitæ, absolvitur. Sequens Caput V de susceptis ab Augustanæ Confessioni addictis A. MDXXXII in Smalcaldici fœderis societatem quatuor illis urbibus exponit; cui *Memmingenses* præcipue fideliter atque constanter adhæsisse, licet in variis ritibus ab Ecclesiis Saxonicis discreparent adhuc, Autor noster ostendit; donec, quæ VI Capitis summa est, A. MDXLVIII famigeratissimæ illi *Formulæ*, quæ titulo *Interim* celebratur, subscribere cogerentur; qua simul occasione, cum clarissimus *Joannes Erdmannus Bieckius* in vernacula *formulæ hujus Historia*, ante aliquot annos edita, nihil plane de *Memmingensi* urbe annotavisset, in Operis illius supplementum rei illius luculenta admodum notitia panditur. Postremo denique eodemque VII Capite docetur, qui, mutata in melius rerum facie, ab anno inde MDLII formula *Interim* abrogata, purior Dei cultus sensim restitui cœperit, cujus liberum exercitium per *pacem* posthæc *Religionis Augustæ* A. MDLV solenniter conditam, uti Protestantibus, quos vocant, universis, ita *Memmingensibus* quoque fuit confirmatum. Nos, quibus hæc jucunda admodum lectu sunt, impense optamus, ut laudabili doctissimi *Schelhornii* exemplo excitati plures alii eruditi viri simili instituto liberarum potissimum Imperii civitatum historiam religiosam condere suscipiant, magnam laboris sui gratiam apud intelligentes quoscunque relaturi.

COMMENTARIUS HISTORICUS DE Augustæ domus Brunsuigio-Luneburgensis meritis in rem Lite-

Literariam, e documentis editis atque ineditis conſcriptus Autore HENRICO JO. BYTEMEISTER, *Lib. Art. M. & Philoſ. D. Acad. Juliæ Aſſeſſore.*

Helmſtadii, ſumtibus Autoris, 1730, 4.

Alph. 1 pl. 2.

NOn ignotum in Republica Literaria Cl. Autoris nomen eſt, quippe qui ante biennium nobis dedit Commentarium Hiſt. *de vita, ſcriptis & meritis ſupremorum Præſulum in Ducatu Luneburgenſi* cum mantiſſa Epiſtolarum & documentorum, quo de *Godeſchalco Cruſio, Henr. Boccio, Urb. Rhegio, Mart. Ondermarck, Ge. Bonſacco, Chriſtoph. Fiſchero, Chriſtoph. Silbermanno, Jo. Arndio, Jo. Wezelio, Mich. Walthero, Joach. Hildebrando, Franc. Eichfeld* & *Polycarpo Lyſero* non vulgaria tradidit. Nunc novum nobis dedit Commentarium, quo dum Principes domus Brunſuico-Luneburgicæ pleroſque inde a Witekindo ordine Genealogico percenſet, paſſim, quæ in literarum commoda geſſere, diligenter obſervavit, inter veteres eos inprimis hic recenſens, qui monaſteria, literatorum hominum ſedes, condiderunt. Nos aliquos, qui recentioribus ſeculis floruerunt, commemorabimus. De Wilhelmo, Ottonis p. 77. filio, tradit, eum adeo in rebus Theologicis fuiſſe verſatum, ut integros Tractatus de articulis fidei tum Latine tum Germanice conſcriptos reliquerit, mortuus demum A. 1642. Singularis etiam memoratur Auguſti doctrina, qui Guelferbytanæ Bi- 80 ſq. bliothecæ fundamenta jecit, & Orationes reliquit, quas Rector in Academia Roſtochienſi ac poſtea Tubingenſi recitavit, Harmoniam item Evangelicam, Cryptographiæ ac Steganographiæ Libros II & Tract. de ludo latronum ſeu Schachiæ. Neque 87 ſq. ſilentio prætereunda putavit Cl. Autor trium fratrum, Rudolphi Auguſti, Antonii Ulrici & Ferdinandi Alberti nomina, quorum ad ſe literas ſub Selenianorum Auguſtalium titulo publicavit *Jo. Valent. Andreæ*, ut taceamus primum & ſibi ipſi collegiſſe Bibliothecam, ab *Hermanno von der Hardt* deſcriptam, & non modicum librorum apparatum Miniſterio Eccl. Brunſuicenſis, Academiæ Juliæ & cœnobio Riddagshuſano donaſſe, alterum vero ac tertium ſcripta reliquiſſe haud vulgaris argumenti. Ceterum

rum,quæ de Corpore doctrinæ Julio, deque Formula Concordiæ & inprimis Academiæ Juliæ exordiis & incrementis Noster fusius tradidit, apud ipsum legi merentur.

LA VIE DE MAHOMED PAR MR. LE COMte de BOULAINVILLIERS.

h. e.

VITA MOHAMMEDIS, AUTORE COMITE BOULAINVILLERIO.

Londini,& prostat Amstel. apud P. Humbertum, 1730,8.
Alph. 1 pl. 5.

CUm famosus ille Arabum Rex ac Propheta, Mohammedes, novæ religionis simul ac Imperii fundamenta jecerit, nobilissimus Autor noster non simplicem tantum, more reliquorum vitæ ejus scriptorum, historiam tradere atque ex iis compilare voluit, sed & præcipua tam stupendæ ac singularis rei momenta pensiculate magis investigare, ac variis meditationibus exornare duobus libris constituit. Ac in primo quidem generatim p. 6 historiæ Arabicæ, illustrium exemplorum ac admirandorum eventuum varietate, Romana & Græca minime inferioris, cum ipsa lingua, neglectum, summopere dolet, ac p. 7 se ipsum quoque eam ignorare, quod hominis est sinceri ac ingenui, fatetur. Dein p. 8 seq. ad Arabiæ descriptionem pergit, ac ejus divisionem in Felicem, Desertam, & Petræam examinat, & p. 12 sq. originem & differentiam Arabum exponit. P.17 seq. Geographicas Arabiæ divisiones, *Abulfedæ*, *Nasireddini*, (uti legi debet pro *Rassiredin*) & *Ulugbbeghi*, allegat, ac insigniorem ejus partem, Hegias dictam, p. 19 seq. considerat; cum præter alia memorabilia, urbes maxime celebres, Meccam & Medinam complectatur; ac p. 24 seq. quartam & quintam illius partem annectit. P. 28 in nationis Arabicæ indolem, ac in causas similitudinis linguæ & morum gentis Judaicæ & Arabicæ inquirit. P. 35 seq. Arabum corporis & animi dotes describit, eosque summis laudibus effert, ac p. 40 seq. duritiem & barbaram crudelitatem ipsis exprobratam vulgo, rationibus quibusdam emollire studet. P. 47 de illorum studiis disserit. P. 49 ad recentiores Meccæ & Medinæ descriptiones

ptiones denuo progreditur, p. 58 seq. ex iis templum Meccanum delineat, ejusque historiam sub Chalifis addit, p. 79 seq. montem Arafath & vallem Mina in transitu velut attingit. P. 84 sq. de nigro lapide Caabæ, & puteo Zeinzem, aliisque divinitati templi hujus signis vulgo reputatis, loquitur. P. 91 seq. Medinam describit, ac erroneam communem opinionem de sepulchri Mohammedis forma convellit. P. 96 sq. res in Arabia gestas inde a Patriarcharum ætate usque ad Mohammedis tempora persequitur, Judaismi ac Christianismi in Arabia & Persia propagationem enarrat, Regum Jamanensium & Iracensium, Gaswanensium, & Hegiasensium historiam ex *Pocokio* contractam exhibet, ac regni Palmireni fata exponit. P. 132 sq. statum religionis ante Mohammedem, inter Sabios maxime, ac reliquum dein cultum & cærimonias illustrat, dum circumcisionem, immundorum comestionem prohibitam, lotiones frequentes, polygamiam, ex causis naturalibus, politicis & moralibus, usque ad p. 160 deducit.

Liber secundus Genealogiam & vitam Mohammedis, ad primam usque Hegiram, seu primum Aeræ Mohammedicæ annum, continet, ubi monstrat Nobiliss. Autor, quibus adminiculis novam religionem cum Imperio stabiliverit, eumque singularibus animi & corporis dotibus instructum, numinisque velut afflatu quodam tantum opus aggressum fuisse, ostendit, ac in utroque veras tam admirandi eventus causas invenisse sibi visus est, cum quibus ipsam religionis ab eo institutæ naturam, rationi & sensibus amicam, conjungit. P. 166 sq. *Ockleji* Historiam primorum Chalifarum, ac dein *Humphredum Prideaux* taxat; p. 205 & 244 de ejus cum Sergio Monacho & Judæo Abdia colloquiis, ad novam religionem pertinentibus, dubitat. P. 238 sq. doctorum Mohammedicorum argumenta, quibus Prophetæ sui lasciviam excusare conantur, adducit. P. 247 sq. duo vulgaria præjudicia, de summa religionis Mohammedicæ absurditate, & de insigni autoris illius stupore & barbarie removere contendit. P. 249 sq. num Mohammedes Prophetæ characteres habuerit, disputat, p. 259 sq. de Alcorano, p. 273 sq. de primis proselytis Mohammedicis prolixe agit. P. 306 sq. Meccensium & Medinensium dubia contra novam Mohammedis doctri-

doctrinam, de uno Deo, de resurrectione mortuorum, miraculorum defectu, &c. peculiari legatione ipsi proposita, eorumque solutiones recenset. P. 329 sq. Prophetiam, Capite 30 Alcorani contentam, de Romanis seu Græcis a Persarum Rege Chosroë superandis, adversus *Maraccium* & alios ei vindicat, neque tamen exinde, verum Prophetam fuisse, p. 343 concludit. Accessit in fine liber tertius, vitam Mohammedis a primo Aeræ Mohammedicæ anno usque ad mortem complectens, sed nullis meditationibus stipatus, atque ab alio Autore, ex *Abulfeda*, *Prideaux*, *Maraccio*, *Herbelotio*, collectus, quibuscum doctiss. *Assemanus* conferri meretur, qui nuper T. III P. 2 Biblioth. Orient. Arabum historiam inseruit amplam & accuratam.

ACTII SYNCERI SANNAZARII, PATRICII Neapolit. Opera Latine scripta ex secundis curis JANI BROUKHUSII. Accedunt GABR. ALTILII, DAN. CERETI, & fratrum AMALTHEORUM carmina, vitæ Sannazarianæ & Notæ PETRI VLAMINGII.

Amstel. apud Herm. Vytwerf, 1728, 8 maj.
Alph. 1 pl. 9.

DE *Sannazarii* Carminibus post tot editiones atque elogia dicere velle, nostrum non est. Itaque hac editione quid præstitum sit, breviter indicabitur. Commendant illam typorum nitor, notæ singulis carminum paginis subjectæ, & accessiones luculentæ, de quibus in ipso titulo mentio facta est. Speciminis causa quasdam observationes, historiæ literariæ studiosis forte non ingratas, depromemus. In Dedicatione ad *Jac. de Witt* discimus; pervenisse ad hunc Virum Ampl. ex *Hoogstratani* legato *Magiri Eponymologicum*, adversariorum loco a *Broukhusio* olim habitum, ad quem librum quantos literariæ notitiæ thesauros ille congesserit, specimina aliquot produnt in Notis Cl. *Vlamingii* obvia, p. 593 de *Joviano Pontano*, p. 618 de *Jucundo Veronensi*, p. 627 de *fratribus Amaltheis*. Ab eodem *Wittio* petit Noster, ut edat *Marcum Antonium Flaminium suum*, *lectissimis observationibus ornatum*. In Præfatione docet, a laudato *Davide Hoogstratano* hanc provinciam ad se pervenisse, postquam ille morte præventus admini-

miniſtrare illam non potuerit. Monet, ſe reſtituiſſe ea, quæ in Patavina *Vulpii* editione omitti ex Indicis expurgatorii præſcripto neceſſe fuerit, & peſſimum inſtitutum vocat, *quo barbaris librorum cenſoribus liceat adeo ſævire in optimos autores.* Lepidum eſt, quod ex fide *Balthaſ. Caſtilionei* Comitis monet, *verſus aliquos recitatos Sannazario vivo adhuc dum ſed falſo adſcriptos, & ab omnibus ſummo cum applauſu & admiratione exceptos, ſtatim ubi reſcitum fuerit, alterius poetæ fœtum eſſe, minus quam mediocres,* ut certe erant, *viſos fuiſſe.* Præter *Altilii* Epigrammata, a *Broukhuſio* jam edita, adjecit Cl. *Vlamingius* ejus Epithalamium Jo. Galeatio Sfortiæ ſcriptum. Sequitur *Danielis Cereti* Salix Ecloga, & *Amaltheorum* trium fratrum poemata, ut à *Grævio* edita fuerant, tum vita *Sannazarii*, a *Jo.Ant.Vulpio* ſcripta, & ſuperiorum editionum Præfationes. Ultimum locum occupant Editoris Notæ, quibus pasſim, dum Poeta illuſtratur, hiſtoriæ etiam illorum temporum lux accenditur. Breves illæ forent, niſi inſeruiſſet Autor etiam loca aliquot majora, ex *Mongitoris* Bibl. Sicula & aliis bonæ notæ libris, ſed aliquantum raris, depromta. Age ἀξιομνημόνευτα quædam etiam ex illis decerpamus. P.587 ex *Campanili delle inſegne de' Nobili* p.121 profert partem barbari Epitaphii, unde apparet, gentem illuſtrem *Balſiorum* ſ. *Bauciorum* (*del Balzo*) originem ſuam referre ad *Baldaſſarem* illum commenticium, cui inter tres Reges ſ. magos locus aſſignatur. P.590 ſq. dat nobis vitam *Jo. Joviani Pontani*, ex viri magni Operibus ipſius fere verbis collectam. P. 600 Elogium eſt *Franciſci Puderici*, cui recitare Opus de partu virginis ſolebat *Sannazarius*, quem aures adeo delicatas habuiſſe referunt, *ut ſæpe poſt decem recitatos verſus ejusdem ſenſus vix unum Actii probaret.* Quos juvat elegantiora Italorum ejus temporis ingenia noſſe, quod illorum fuit feraciſſimum, illi multa in hoc libro invenient, non quidem quæ ſitim eam reſtinguant, ſed quæ fontes indicent, unde hauriri plura posſint. Optabile ſane eſt, ut præter illa ad Eponymologicum Magirianum collectanea *Broukhuſii* etiam aliud viri doctiſſimi Opus protrahatur, quoad ejus fieri poſſit, in lucem, Scriptorum Belgicorum Bibliotheca a *Valerio Andrea Deſſelio* inchoata, & inſigniter aucta a *Broukhuſio*, quæ apud Ampl. *Wittium*, quod ex

Præfatione Cl. *Vlamingii* discimus, extat. Non minus certe debebitur ei, qui hoc munere cupidos earum rerum afficiet, quam debebunt Belgæ *Vlamingio* suo, cum in lucem proferet, quod sperare nos jubet, Arcadiam *Sannazarii*, sermone Belgico soluto pariter & ligato redditam. Illud forte monendum superest, accessisse huic editioni imaginem tum ipsius *Sannazarii* satis elegantem, tum monumenti in marmore manu *Jo. Angeli* Florentini affabre sculpti, cui *Petrus Bembus* carmen inscripsit:

Da sacro cineri flores, hic ille Maroni
Syncerus Musa proximus, ut tumulo.

Das Nord- und Oestliche Theil von Europa und Asia.
i. e.

PARS SEPTENTRIONALIS ET ORIENTALIS Europæ & Asiæ, quatenus comprehendit Russiam omnem cum Siberia & Magna Tartaria, Descriptione Historico-Geographica horum & superiorum temporum illustrata a PHILIPPO JOHANNE DE STRAHLENBERG.

Holmiæ, sumptibus Autoris, 1730, 4.

Alph. 2 pl. 15 cum charta Geogr. majori & Figg. Tabb. 21.

ETsi minime eruditum se fateatur Cl. Autor, factum tamen haud exiguo literarum bono, ut in tredecim annorum captivitatem deductus in Russiam, occasione oblata, remotissimas provincias scrutari & accurate in tabula delineare, præterea mores incognitarum gentium & linguas ac monumenta antiqua perdiscere, eaque, quæ usum habere possunt, publico prodere potuerit. Inprimis vero Tabulam Geographicam multo labore dedit, majorem quidem, quam ut cum libro ipso compingi possit, de qua prolixe egit in præmissa libro Introductione, quam simul variis observationibus Geographicis tum veterum tum recentiorum exornavit, variam ubique prodens optimorum Autorum lectionem. Sigillatim etiam hoc loco usum ostendit Tabulæ suæ polyglottæ, quam Introductioni subjecit, gentium Boreo-Orientalium seu Tartarorum 32 diversas dialectos complexæ, cui & additur Vocabularium Calmucko-Mungalicum. His præmissis, sigillatim C. I de variis Russiæ nominibus, eorumque origine, C. II de finibus, situ & climate Russici Imperii, C. III de veteri & nova Russiæ divisione in provincias, C. IV de veteribus & novis ejus Impe-

pera-

ratoribus ac sede præcipua, C.V de initio & successu Principum e familia Romanoviensi, C.VI de regimine Petri I Imp. C.VII de titulo Czari & Magni Ducis, it. de sigillo, C. VIII de religionibus Russiæ, C.IX de magistratu Russiæ ecclesiastico, C.X de proventu Russiæ, C.XI de potentia militari Regni Russici, C.XII de ejus familiis illustribus, & C.XIII de aliis memorabilibus, quæ ad commercia, mineras, vegetabilia, naturalia, antiquitates &c. spectant, commentatur, quæ quidem ordine alphabetico singula recenset & explicat. Ex hoc, cum Autor nihil facile memoret ab aliis jam antea observatum, pauca enotabimus. Amianti seu asbesti magnam copiam continere montem in Siberia prope Catharinoburgum, circa 1720 observatum est, unde lintea, chirothecæ, tibialia parentur incombustibilia. p. 311. Apud Ostiacos reperit Noster nummum seu discum ex ære, quem a majoribus suis Scythis ad se pervenisse dicebant, cultum ei divinum exhibentes: hujus characteres e veteri lingua Arabica ita explicavit Cl. *Kebrius* noster, ut sensus sit: qui Deum quærit, illi omnem felicitatem largitur; ubi simul ostendit, ritum adorandi numismata ejus generis, seu discos, veteribus Persis jam receptum fuisse. 313 sq. 317. De larice, quæ in Siberia maxime frequens, observat, lignum ejus intensissimum præbere calorem, ac facile petrefieri, si per anni dimidium in aqua simoti & deinde aliquandiu in aqua pura jacuerit. 391. Populos ad mare Lamnium sitos antea variolis caruisse notat, sed postquam Russi eos sub jugum misere, adeo quoque hoc morbo infectos esse, ut multi eo abstrahantur. 415. Ceterum, quæ sub titulo, *antiquitates, hieroglyphica*, & similibus exponuntur, lectu inprimis digna sunt apud Autorem; sed nos illis inhærere nunc nolumus. Illud addimus, librum hunc, etsi Holmiam in titulo præferat, revera tamen hic Lipsiæ excusum esse.

Dännemärckische Norwegische Staats- und Reichs-Historie.
i. e.
LUDOVICI HOLBERGII, ASSESSORIS CONSISTORII & Professoris Publici Academiæ Regiæ Hafniensis, Regnorum Daniæ & Norvagiæ Historia status, anno superiori Danice edita, nunc Germanice versa a FRID. GERHARDO VOSSIO.
Hafniæ, apud Hier. Christiani Pauli viduam, 1731, 4.
Alph. 4 pl. 19.

QUod modo de antecedenti Opere annotavimus, idem fere nobis de hoc dicendum, nempe illud non Hafniæ, ut titulus præfert, sed pariter Lipsiæ nostræ excusum esse. Et nobis quidem tanto minus tacenda videtur hæc Historia, quanto majori diligentia ac fide conscripta est a Viro rerum patriarum admodum curioso, qui rerum origines inprimis ac vicissitudines statumque tum publicum tum literarium summo studio sectatus est. Excussit omnia XV Capitibus, quorum primo de indole ac charactere nationis, 2 de qualitate regionis, 3 de forma regiminis, ubi simul Legem Regiam

giam Friderici III communicat, 4 de religione, pagana inprimis, cujus antiquitates eleganter depingit, tum & Lutherana, historia ejus satis dilucide exposita, 5 de Academia Hafniensi, 6 de Regibus Daniæ stirpis Oldenburgicæ, 7 de divisione incolarum in classes, 8 de commerciis & negotiis, 9 de re nummaria, 10 de insignibus Danico-Norvagicis, 11 de potentia terrestri ac navali, 12 de origine & successu Regni Danici, 13 de tribunalibus Daniæ & modo procedendi in iisdem, 14 de ordine equestri, & 15 de Collegiis gravioribus eorumque assessoribus commentatur. Dum de Academia agit, simul omnem literarum in Dania statum considerat, ac tres inprimis memorat Historicorum Daniæ classes, primam hypotheseos vulgaris eorum, qui a Dano ceu primo Rege historiam repetunt, ut *Saxo Grammat.* qui etsi in antiquis fabulas admiscet, in iis tamen temporibus, quæ ipse attigit, cum fructu legi poterit, *Alb. Cranzius* in Libris IX de Dania, qui commendari meretur, *Haraldus Huitfeldius*, cujus fidem probant tot documenta passim inserta, *Pontanus* item, quem *Huitfeldium Latinum* vocant, *Joh. Meursius* & *Vitus Beringus*; alteram hypotheseos Gothlandicæ, quæ longe altius ascendit, atque inde a Gomaro Danos deducit, monumento Gothlandico persuasa, quam sequitur *Nic. Petrejus* in originibus Cimbro-Gothicis, *Claudius Lyschander* in Chronicis parvis Danicis & *Jo. Nic. Strelon* in Chron. Gothlandiæ; tertiam hypotheseos Islandicæ, seu scriptorum Island. quæ non tam alte rem repetit, sed ab Odino incipiens primum Danorum Regem Skioldum constituit, ut ex *Thormodi Torfæi*, doctissimi Islandi, Serie Dynast. ac Regum Daniæ apparet. Noster autem Regum tantum stirpis Oldenburgicæ gesta descripsit, maxime postremorum, id quod a nemine adhuc ex dignitate factum esse queritur, legique inprimis merentur, quæ de statu hodierno commerciorum Danicorum tradidit. Nec ineleganter agit de moneta, qua diu caruere Dani, donec Canutus Magnus, Anglis inprimis monetariis usus, denarios invexit, inscriptos literis Romanis, quæ postea sub Waldemaro II in rotundiores monasticas conversæ sunt. Observat vero, ante Reges stirpis Oldenb. nec annum nummis additum, nec Regum ejusdem nominis numerum, adeo ut ex. gr. tot Ericorum nummos difficulter admodum distinxeris; & sub Christiano III & IV demum rem numismaticam in ordinem reductam & majora numismata cudi cœpta fuisse. Obiter quoque hic producit duos nummos notabiliores sub Christiano IV cusos, alterum maximi moduli, A. 1626 in memoriam Principum Luneburg. quorum in insigni equus, ut in Danico leo, cernitur, eo tempore a fœdere Danico discedentium, cusum, in cujus aversa leo cernitur equum discerpens, cum inscriptione:

Frustra te opponis, frænande caballe, leoni;
Albus eras, rubeus, si modo pergis, eris.

alterum aureum, vulgo dictum Brillen-Ducaten, in quo sub perspicillo legitur: *Vide mira Domi*, quo Rex ille eos quodammodo sugillavit, qui auri minas in Norvagia inventas dubitabant. Sed hæc hactenus.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXXI.

LES MONUMENS DE LA MONARCHIE Françoise, qui comprennent l'histoire de France.

h. e.

MONUMENTA FRANCICÆ MONARCHIÆ, quæ Franciæ Historiam complectuntur, cum iis cujusque Regni figuris, quibus injuria temporum pepercit; Autore Dom. BERNARDO DE MONTFAUCON, Ord. Bened. e Congr. S. Mauri.

Tomus I.

Lutetiæ, apud J.M. Gandovin & P.F. Giffart, 1729, fol. maj. Alph. 5 pl. 3 Tabb. æn. 55.

CUm monumentorum ea sit ratio, ut ad memoriam magis spectare debeant posteræ ætatis, quam ad illius, quo conduntur, temporis gratiam; non possumus non plaudere instituto Celeberrimi *Montfauconii*, qui de industria collegit monumenta, quæ ad historiam Franciæ pertinent. Quinque enim justæ magnitudinis Tomis, incisis in ære tabullis refertis, exhibiturus est Opus, quod Francorum historiam complectitur cum monumentis omnibus, quibus injuria temporum pepercit, quæque ad Reges spectant, ad Reginas, Principesque Regiæ stirpis, ad Pares Franciæ, Duces Comitesve, quorum ditiones in regno sitæ erant, ad ministros denique regios. Tomo I, quem præ manibus habemus, illa monumenta cum erudito orbe communicat, quæ faciunt ad illuminandam historiam Francicam usque ad tempora Philippi I. Generatim p. IV.

illam obſervat methodum, ut, licet præcipue monumenta, quæ Reges ſui temporis repræſentant, exhibeat, illa tamen penitus non omittat, quæ poſterioribus ſeculis ſunt condita. Statuas & imagines affabre in æs incidi curavit; & maluit nimium multas tabulas in aere inciſas cum lectore communicare, ut eidem anſam aperiret ſibi nondum obſervata ex monumentis eruendi, quam nimis paucas exhibere. Ubi enim monumenta Childerici I profert; tam curate ſingula excudi curavit, ut &
p. III. ſoleam ferream equi regii repræſentari p.16. Quæ quidem monumenta ut eo melius a lectore intelligantur, iisdem eorumque explicationi hiſtoriam integram ſingulorum Regum ex ſcriptoribus comparis ætatis petitam interſerit, hancque fuſius, quam in compendiis fieri ſolet, pertractat. Ex monumentis ipſis nonnunquam conſectaria elicit; quibus non ſolum Francica hiſtoria, ſed & varii ritus conſuetudinesque veterum explicari poſſunt. Gallico textui autem interpretationem latinam in quavis pagina ſubjungit, ut illorum etiam commodis ſerviat, qui Gallicæ linguæ non ſunt gnari.

Cum pleraque, quæ ex imaginibus diſci poſſunt, ad externum habitum pertineant; a mente *Montfauconii* non aberrabimus dicendo, illum Diſſertationem præviam huic Operi præmiſiſſe eo conſilio, ut facem præferret ad meliorem intelligentiam monumentorum, quæ in ipſo Opere prolaturus erat. Illa enim maximam partem exempla ſunt obſervationum, quas in Diſſertatione prævia propoſuit. Agit autem hic de inauguratione priſcorum Regum Franciæ, de nimbo, de coronis, de Liliorum origine, de ſolio, de ſceptro, de manu juſtitiæ, & de veſtibus regiis. Curate hanc Diſſertationem recenſebimus, deinde etiam ſummatim expoſituri ſingularia, quæ in ipſo Opere de monumentis Francicis obſervat. Sic enim de ratione hujus Operis Lectori optime conſtabit.

p.XVII. Et ad *inaugurationis ritum* quod attinet, de ſententia Celeb. Autoris communis ille fuit priſcis Regibus Franciæ cum Germanis & reliquis ſeptentrionis populis. Etenim recens conſtitutus Rex, impoſitus ſcuto, & a primoribus Imperii omnium conſpectui expoſitus, acclamationibus militum & popularium

rium excipiebatur, qui novo Regi gratulabantur regni auſpicia, & proſperrima quæque precabantur. Idem inaugurandi ritus p. XIX, XX. Conſtantinopoli adhibebatur. Id quod concludas ex depicta imagine, quæ habetur in elegantiſſimo Codice Græco Bibliothecæ Regiæ decimi ſeculi, quam in æs incidi itidem curavit, ubi Regis Davidis inauguratio exhibetur ſecundum morem tunc Conſtantinopoli receptum. *Nimbum* Reges Francorum primæ ſtirpis Imperatorum exemplo in ſtatuis & imaginibus apponi curarunt. Etenim ex monumentis pateſcit, a *Chlodoveo I* priſcos Francorum Reges cœpiſſe nimbum in ſtatuis ſuis & depictis tabulis exprimere. Qui Chlodoveus forſan ab illo tempore ornamenta Regia Imperatoriis ſimilia aſſumpſit, quo Conſulatum geſſit. Uti autem nimbi uſus ſub initium Monarchiæ XXIV. Francicæ in Gallias inductus eſt; ſic probabile eſt, ejus uſum ante finem primæ ſtirpis ceſſaviſſe. *Pipini* enim & *Caroli M.* tempora nullum ejus conſuetudinis indicium præbent. Ita in oſtio majori antiquiſſimæ Eccleſiæ S. Dionyſii in Francia ſedecim Regum & aliquot Reginarum imagines deprehendas, nimbum vero prorſus nullum. Neque etiam in ſtatuis & picturis Caroli M. nimbum reperias. De induſtria enim a nimbi uſu abſtinuiſſe ſecundæ & tertiæ ſtirpis Reges ex eo colligas, quod, cum ſtatuæ erigerentur Regibus primæ ſtirpis, quorum imagines quondam nimbum geſtaverant, nimbus non adhibitus ſit. Forſan, ut conjicit Noſter, re attentius perpenſa, religione ducti, noluere ſtatuis ſuis apponi ornamentum, quod Chriſto, B. Virgini, Angelis & Sanctis omnibus tantum competeret. De *Coronis* obſervat, ingentem earum eſſe varietatem, XXVIII. cujus ſe non reddere poſſe profitetur cauſas. Monumenta enim ſola, quæ etiam exhibet, adeſſe, & ſcriptores hac de re nihil prodidiſſe memoriæ. Veriſimile autem eſſe exiſtimat, nullam tum temporis coronis aſſignatam formam fuiſſe, ſingulosque Reges pro arbitrio alias atque alias induxiſſe. Ut coronas habuere diverſas veteres Franciæ Reges; ſic tuetur *Montfauconius*, *lilia* antiquiſſimis Monarchiæ Francicæ tem- XXXII. poribus ſæpenumero in coronis non fuiſſe adhibita, licet nonnunquam illis ut ornamentis uſi ſint veteres Franci. Neque

enim antiquitus Francorum Reges lilia ut symbolum sibi pro-
p.XXXIV. prium adhibuisse, variis exemplis firmat. Insignem etiam inter sceptra varietatem deprehendit; & antiquissimum sceptrorum, quæ in manibus Regum Franciæ conspiciuntur, esse *Chlodovei* quod in ostio Ecclesiæ San-Germanensis deprehenditur, ostendit. Illud aquila superne terminabatur, ut Consulare sceptrum, quo ille uti cœpit, ut putatur, quando ab *Anastasio*
XXXV. Imperatore Consul declaratus est. Describit etiam sceptrum, quod in Regum Franciæ coronatione etiamnum adhibetur. Qua quidem occasione etiam mentionem facit *manus justitiæ*, ut vocatur, qua itidem in consecratione Regum hodiernorum
XXXVI. utuntur, quæque in thesauro San-Dionysiano servatur. Suspicatur autem hanc manum justitiæ cum manibus illis cœlestibus ad caput Regum descendentibus aliquid affinitatis habere. Ubi
XXXVII. de *folio* sive *Throno* verba facit, præcipue meminit throni *Dagoberti*: cujus forma similis est sedi curuli veterum Romanorum. De *veterum Regum vestibus* autem observat, Chlodoveum, cum Codicillos Consulatus ab *Anastasio* Imperatore accepisset, tunicam blatteam induisse & chlamydem, quam ab illo tempore ejus successores Reges gestarunt. Notum quoque, morem gestandi chlamydem humero dextro annexam hodieque
XXXVIII. observari in Regum consecrationibus. Illud vero dubitationem habet, an chlamydem in cærimoniis tantum & solennitatibus gestarint, an usus illa quotidiani fuerit? Certum enim est, Reges a priscis temporibus ad infima usque secula in monumentis sæpe conspici cum pallio anterius aperto, quale gestabatur a nationibus Germanicis & septentrionalibus. Ceterum prisci Reges supra tunicas cingula seu zonas habebant, quorum externa anterius pendebant. Reginæ autem primæ secundæque stirpis gemmis decorata cingula gestabant, quorum extrema infra genua defluebant.

Hæc est summa eorum, quæ Cl. *Montfauconius* in Dissertatione prævia fusius pertractat. Nunc de ipsis, quæ in æs incidi curavit, & quæ explicanda sibi sumsit, monumentis quædam
p. 10. dicemus. Atque prima, quæ describit, monumenta sunt *Childerici I*, quæ inter ea, quæ septimo & decimo seculo detecta sunt,

ſunt, præſtantiſſima ſunt habenda. Etenim A. 1653 Tornaci inventum eſt ſepulchrum *Childerici*, quod tale agnoſcebatur ex annulo aureo, cui inſculptum erat caput cum inſcriptione *Childerici* Regis. Hiſtoriam hujus detecti ſepulchri in libro, cujus rubrum, *Anaſtaſis Childerici*, A. 1655 edito, jam deſcripſit Cel. *Jo. Jac. Chiffletius*; ſed *Chiffletii* obſervationibus nonnunquam rectiſſime contradicit *Montfauconius* noſter. Videlicet *Chiffletius* opinatur, bubulum caput aureum, quod in *Childerici I* ſepulchro repertum eſt, idolum Regis *Childerici* fuiſſe. *Montfauconius* conjicit, illud ad ornatum tantum ibi poſitum fuiſſe. Quæ numero ſexdecim ibidem repertæ apes dicuntur *Chiffletio*, judice Autore noſtro flores potius referunt. p. 12. Magnus vero eorum numerus indicat, non pro teſſera aut inſigni quopiam habendos eſſe, ſed ad equi regii ſtratum & ornatum fuiſſe adhibitos. *Chiffletius* ex multis crucibus, quæ in una ſuperficiei parte inſtrumenti aurei accurate repræſentantur, munuſculum eſſe S. *Genovefæ*, ſuſpicatur, quam maximi fecit *Childericus*. Verum aptius dici contendit Noſter, haſce cruces 13. non Chriſtianismi ſignum eſſe, ſed ex ſolo opificis arbitrio & imaginatione prodiiſſe, qui, ut quadrata multa ſpatia repleret, hanc ſingulis figuram, ut his locis maxime idoneam, adhibuerit. Præterea ex maxilla & dentibus equi ibidem detectis credere fas eſſe exiſtimat, equum cum *Childerico* tumulatum fuiſſe. Mos enim erat vetus inter nationes illas cum viris etiam equos 14. aliaque animalia, quæ ipſis in uſu fuerant, tumulare. Viri cujusdam calcaria ibidem reperta ſuſpicionem movent *Montfauconio*, equiſonem quoque regium cum Rege fuiſſe ſepultum; ut mos erat apud barbaras nationes. Præcipue autem 15. attendi meretur, in eodem tumulo repertos fuiſſe nummos quosdam barbaros ovatæ figuræ. In illis vero repræſentantur homines vario ſitu & diverſa agentes, equi etiam aliaque animalia; ſcarabæus etiam hic conſpicitur, in Ægyptiorum cultu & monumentis frequentiſſimus. In alio nummo rana videtur non infrequens & illa in monumentis Ægyptiis. Vel itaque ſcarabæi illi ab Ægyptiis ad Francos manavere; vel Franci quoque ſcarabæos coluere. Non commemoramus nunc alia monumen-

numenta numero multa, imagines atque statuas *Chlodovei* & filiorum ejus, *Sigiberti, Chilperici, Fredegundis, Chlotarii &c.* quippe quæ paucis tantum observationibus memoratu dignis
p. 193. ansam præbent. Sufficiat retulisse, quod *Montfauconius* sibi videatur in tribus portis Ecclesiæ S. *Dionysii* deprehendisse omnes Reges, qui a *Chlodoveo* usque ad primæ stirpis finem Parisiis regnarunt. Inibi enim sedecim Reges deprehenduntur; qui numerus illos omnes complectitur. Ex monumentis Regum secundæ stirpis unum sigillum *Pipini* ex inscriptione, *Pi-*
274. *pinus Imperator* singulare est. Ex sigillis autem *Caroli M.* illud notari præcipue meretur, quod exhibet caput *Jovis Serapidis* calathum gestantis, quo, ut tuetur Noster, ad obsignandum
302. Diploma usus est Cancellarius *Caroli M.* Mentionem etiam facere debemus depictæ tabulæ comparis cum *Carolo Calvo* ætatis ex Bibliorum libro eductæ, quem Canonici S. *Martini* Turonensis ipsi anno 869 obtulerunt. Ibi repræsentatur Vivianus Abbas beneficiarius, qui cum undecim Canonicis Regi librum offert. Qua quidem occasione observat *Montfauconius*, *Caroli M.* tempore nondum ejusmodi imagines in libris deprehendi, & conjicit, morem hunc *Caroli Calvi* temporibus demum inductum fuisse, quem sæpe depictum videmus in li-
306. bris & Bibliis istius temporis. Hujus *Caroli Calvi* etiam sigillum profert, in cujus altera facie caput, in altera monogramma ejus legitur. Inscriptio hæc est ab altera facie: *Gloria sit Christo Regi, victoria Carlo*; ab altera vero: *Jesu nate Dei Carlum defende potenter.* Sed veremur, ne *Montfauconius* hic confundat sigillum *Caroli M.* cum sigillo *Caroli Calvi.* Videlicet p. 274 sigillum ejusdem figuræ cum eadem Inscriptione *Carolo M.* tribuit. Nullo autem argumento nos docet, utrumque & *Magnum* & *Calvum Carolum*, eodem usum esse si-
370. gillo. Ex monumentis Regum tertiæ stirpis observamus, Autorem nostrum sigillum, quo usus est *Hugo Capetus*, exhibere; in quo commemorabile est, quod *Hugo* dextra teneat *manum justitiæ*, quæ ibidem primum in monumentis Francicis occur-
371. rit. Præcipue autem utilitate sua se commendat monumentum, quo repræsentatur celebris illa Angliæ cum Normannia,

quæ

quæ A. 1065 cœpit, junctio. Quod quidem monumentum, inter schedas V. Cl. *Fucaldi* repertum, non solum quatuordecim tabulis duplicibus repræsentat, sed etiam, ut uno conspectu lector totam historiam intueretur, totam illam minutiore imaginum forma in una tabula præmisit. En paucis historiam, quæ in illo monumento commemorabili depingitur. *Eduardus* Rex Angliæ, cum vitæ finem instare putaret, nec p. 312. filium haberet; *Guilielmum*, Normanniæ Ducem, testamento successorem sibi declaravit, misitque *Haroldum* Contii Comitem, qui id *Guilielmo* significaret. *Haroldus* navem conscendit, ut Normanniam peteret; sed tempestate ad oram Morinorum compulsus est. Ibi a *Widone*, Pontini Comite, cum suis captus, & in custodia positus est. Id quod *Haroldus Guilielmo* significari curavit, qui oratores ad *Widonem* misit, ut captivorum libertatem expeterent, minis etiam adhibitis, si resisteret. Hactenus pictura procedit. Sequentia autem, ut docet *Montfauconius*, ex hac pictura præcipue discas. 1) Notes, *Eduardum* 374. sceptrum tenere flore terminatum, & coronam ejus *liliis* ornatam esse. Non igitur hujusmodi ornatus Francorum Regibus tantum competiit. 2) Attendas, *Haroldum* accipitrem pugno insidentem gestare. Etenim insigne olim erat nobilitatis in sigillis maxime deprehensum, aves pugno gestare. Id quod etiam in sigillis nobilium mulierum observatur. 3) In Inscriptionibus, huic picturæ additis, post verba multa sæpe apposita esse puncta, observes, aliquando duo, interdum tria, modo ad perpendiculum, modo trianguli more posita. Quæ quidem puncta collocandi methodus etiam in antiquissimis Inscriptionibus deprehenditur. 4) Perpendas, *Haroldum*, qui cum 376. sociis suis compotat, antequam naves conscendunt, cornubus bubulis ut crateribus uti. Ejusmodi enim cornua illo, de quo agitur, tempore, loco craterum in usu erant. 5) Annotes, *Haroldum*, cum a *Widone* captivus ducitur, accipitrem gestare 378. converso ad se capite, ita ut avolare nequeat, quo significari existimat *Montfauconius*, *Haroldum* jam non sui juris esse, sed sub alterius potestate. At enimvero, quomodo hanc observationem concilliabis cum monumentis, quæ ad p. 402 exhibentur?

Inibi

Inibi enim *Robertus* & *Wilhelmus* junior, *Wilhelmi*, Regis Angliæ, filii, Principes sui juris, avem suam uterque tenet converso ad se capite. Vitio vertere *Montfauconio* non possumus, quod, ubi de temporibus *Philippi I* agit, copiosius res in Anglia gestas recenseat, & late exponat monumenta, quæ propius ad *Philippum I*, Franciæ Regem, non spectant. *Philippus* enim, cui unice curæ cordique erat formosissima conjux *Bertrarda*, non multa perpetravit, quæ monumentis commendari merebantur.
p.387 seq. *Hugo M. Philippi* frater, majus sibi nomen comparavit illo tempore in expeditione cruciata omnium prima, una cum præcipuis Episcopis & Principibus contra Parthos, hostes Christiani nominis, fortiter pugnando. Id causæ est, cur Autor noster non solum hanc expeditionem cruciatam verbosius describat, verum etiam monumenta, in quibus hæc cum crucis signo suscepta expeditio depingitur, exhibeat. In quæ quidem monumenta ex quo commentatus est;
401,402. de sepulchro *Philippi I* agit & *Haroldi*, cujus supra facta est mentio, *Wilhelmi*, Angliæ Regis, ejusque conjugis & filiorum imagines exhibet, & Tomo I monumentorum finem imponit.

Optamus, ut non solum hoc Opus, quod laudabili consilio inchoavit, felici successu ad finem perducat, verum etiam ut alterum monumentorum Opus, ubi de cultu Ecclesiæ exteriore, de re monetaria, de ludis, de funeribus &c. aget, quod in Præfatione huic Tomo præmissa promittit, publicæ luci exponere queat. Sic celeberrimus Autor noster de orbe literato, qui *Montfauconio* suo jam multa refert accepta, in dies magis magisque merebitur.

ÆLII ARISTIDIS, ADRIANENSIS, OPERA omnia, Græce & Latine, in II Volumina distributa; cum Notis & Emendationibus GUIL. CANTERI, TRISTANI, PALMERII, T. FABRI, SPANHEMII, NORMANNI & LAMB. BOSII; Adjunctis insuper veterum Scholiis, & Prolegomenis Sopatri Apameensis, ab erroribus ut plurimum repurgatis. Græca, cum MSS. Codd.

Codd. variis & præstantissimis collata, recensuit & observationes suas adjecit SAMUEL JEBB, M. D.

Tomus II.

Oxonii, e Theatro Scheldoniano, impensis Davidis Lyon, 1730, 4. Alph. 3 pl. 12½.

DIu satis expectationem eruditorum tenuit hic *Tomus secundus* Operum *Aristidis*. De priore enim Tomo jam A. 1724 Mense Octobr. p. 425 in his Actis egimus: unde etiam de instituto Cl. Editoris satis constare poterit. Hic tantum de adjunctis sub finem libri Notis dicendum erat: nisi præstaret, totum Tomum II percurrere, & per quendam veluti Indicem docere, quæ hic scripta *Aristidis* legantur, & quid iis Cl. *Jebbius* addiderit. Idque eo magis, quia tituli Orationum in summis paginis, nescimus cujus vitio, omissi, eorumque loco tantummodo expressum est *Ælii Aristidis Orationum Tomus II.* Incipit ergo iste Tomus II (qui ex ordine *Canteri Tertius* est) *Oratione Platonica prima pro Rhetorica*, quam, ut plerasque alias, scholia Græca ornant & instruunt: de quibus infra quædam dicemus. Textus ipse ex MSStis, quos alibi indicavimus, passim emendatur: licet rationes emendationum in annotationibus nullæ reddantur, aut saltem unius atque alterius; neque novæ lectiones apparatu quodam illustrentur; sed sufficit reposuisse v. gr. pag. 3 ἡ τοιαύτη κρῖσις καὶ ὁ τοιῦτος λογισμός, & in Notis monuisse: *Ita MSS. Coislin. & Barocc. 7 vulgo: χρῆσις.* Et sufficere hoc poterat in re adeo manifesta, ubi vel sine libris locum ita corrigendum esse, qui habent nasum, assequantur. At sunt alia, non ita aperta & expedita, ubi nonnihil verborum fecisse, lectoris intererat. Hæc enumerare, nostrum non est; patebit tamen, si vel quascunque emendationes proferamus. Pag. 24 ex omnibus MSS. reposuit: ὅδ' αὐτὸν παραμυθεῖται καὶ λέγει, quod sensus postulat, pro vulgato: παραμυθεῖται λέγειν. Pag. 27 ex omnibus MSS. corrigitur: ὅς αὐτὸς πάντα νοήσει. Vulgo erat: ὅς αὐτῷ πάντα νοήσῃ, atque ita scribi debebat, si Autor ad *Hesiodi* verba respexit, quæ

H pro-

protulit p. 26, & ex quibus illius Orationis materiam desumsit. Pag. 55 ex Libris Vet. nunc legitur: σφάτlων καὶ ἀποπνίγων, cum antea circumferretur: σπαράτlων καὶ ἀποπνίγων. Pag. 63 ex scriptis Codd. inseruit ἡ ῥητορικὴ, quod vulgo omittebant: offensi forsitan, sed perperam, adjectis καλὸν κἀγαθόν τε. Pag. 70 habemus: κακὸν εἶναι ὑπολαμβάνει, ubi olim erat: κακόνεν ὑπολαμβάνει. Pag. 75 ex MS. Barocc. dedit: κόλακες τῶν τυράννων πάντη θεράπευσαι· εἰσὶ δ' ὅμως καὶ τῶν τυχόντων τινὲς, quæ pleraque in vulgatis desiderantur. Pag. 77 extr. tres MSS. & Ed. Florentina novam inchoant Orationem, *Secundam* nempe *pro Rhetorica*: quibuscum etiam Autor Scholiorum facere videtur, qui huic Parti titulum præfixit: Σχόλια εἰς τὸν τοῦ Ἀριστείδου δεύτερον λόγον ὑπὲρ ῥητορικῆς καὶ ὑπὲρ τῶν ῥητόρων; cum additamento: ὁ μὲν πρῶτος λόγος ὑπὲρ ῥητορικῆς μόνον ἦν· οὗτος δὲ καὶ ὑπὲρ ῥητορικῆς, καὶ ὑπὲρ τῶν ῥητόρων; *Sopater* tamen *Apameensis* & alii, imo res ipsa unam tantum Orationem esse evincunt. Pag. 88 in verbis *Platonis* haud dubie scribendum: ἐν μεγάλῃ ἐξουσίᾳ τοῦ ἀδικεῖν γενόμενον, ut est in uno, vel duobus MSS. & proferuntur verba pag. 87; Noster tamen cum vulgo τοῦ ἀδικεῖν γενομένου. Pag. 116 incipit *Oratio Platonica secunda pro Quatuorviris*, scholia autem distincte principio adscribunt Πρῶτος ὑπὲρ Περικλέους, nam & infra Defensiones *Cimonis*, *Miltiadis*, *Themistoclis* (hi sunt illi Quatuorviri) separatim notant: imo & pag. 224 communem horum Apologiam indicare haud neglexerunt. Hic videbis pag. 126 ἐξηγεῖτο ex MSS. repositum, pro vulgato ἐφηγεῖτο; pag. 155 ἐπίστανται, pro ἐπιθῶνται; p. 224 elegantissimam emendationem: ἀλλ' ἀφείσθω τοῖς τόποις τῶν σοφιστῶν ἡ κρίσις αὕτη, pro vulgato τοῖς ἀτόποις. P. 231 καὶ μὴ λάμβανε ἐφ' ἡμᾶς, ubi olim erat nullo sensu λάμβανε φήμας. Sequitur pag. 315 *Oratio Platonica III ad Capitonem*, quæ est Defensio Orat. I Platonicæ; pag. 331 *Oratio Ægyptica*, qua causæ Nili crescentis in arva examinantur; p. 365 *Oratio de Paraphthegmate*, quarum utrique neque scholia, neque variæ lectiones ex MSS. sed tantummodo notæ marginales *Canteri* sunt subjunctæ: quia forte (divinandum enim est) in MSS.

suis

ſuis non reperit eas Cl. Editor. Excipit pag. 401 *Oratio κατὰ τῶν ἐξορχουμένων*, h. e. ut quidem *Canterus* reddidit, *contra proditores myſteriorum*, quam ex Ed. *Normanni* & MS. Barocc. 7 deſumtis variis lectionibus, præter ea, quæ *Canterus* & *P. Stephanus* ſuppeditarunt, ornavit: quod idem teſtari debemus de *Oratione*, quæ p. 416 incipit, *contra criminantes, quod non declamaret.* P. 425 ſiſtitur *Declamatio Ariſtidis nomine legatorum ad Achillem*, qua illum ad deponendas, quas cum Agamemnone gerebat, inimicitias cohortantur; eaque ex MS. Laud. & impreſſis aliquot libris diſcrepantes ſcripturas habet adjectas. Agmen claudunt duo Libri *Ariſtidis* perquam utiles *Artium Rhetoricarum*, quorum prior de *Dictione Civili*, poſterior de *Dictione Simplici* agit. Sed hi in annotationibus plane neglecti ſunt, & Codd. veteres nullo auxilio hic fuiſſe eo conſtat, quod non niſi quasdam conjecturas Cl. Editor textui ſubjecit. Merebantur ejusmodi libri, ſi utilitatem reſpicias, cura paullo majore tractari: non modo propter terminos artis & veteres figuras, quas veluti arcana quædam harum rerum periti habent; ſed etiam propter appoſita & exquiſita exempla regularum, quæ Autor ipſe maximam partem ex divino illo *Demoſthene* & non minore *Xenophonte* adjecit. Ea enim ſedulum lectorem inſtruunt, quid quoque loco maxime attendere, & quem quibusque verbis ſenſum tribuere debeat. Quod quidem veteres ſcriptores legentibus adeo neceſſarium eſt, ut nihil poſſit ſupra. Nos certe (tempus enim admonet) inviti ab his libris recedimus, & pauca de *Annotationibus*, quæ eos pag. 533 excipiunt, admonemus. Præter *Guil. Canteri* & *Laur. Normanni* notas in integrum *Ariſtidem*, aut partes ejusdem conſcriptas, cetera magnifica nomina *Palmerii*, *Spanhemii*, *Boſii* non ſingulares in hunc Autorem obſervationes, ſed eas tantum indicant, quas notis ſcriptis ſuis in varios autores prodiderunt, ex quibus hic excerpta quædam legas. Quas Cl. Editor ipſe addidit obſervationes, eæ potiſſimum hiſtoriam aut ritus quosdam ſpectant, & ſæpe nimis vulgata propinant: ut, velimus nolimus, de illis non adeo magnifice ſentire queamus, ac optimum factu judicemus, totum hoc, quicquid eſt, ſilentio

involvere. Adhæret obſervationibus *Index ſcriptorum ab Ariſtide memoratorum*, ab Celeberr. *Jo. Alb. Fabricio* confectus, & poſt hunc alius *Rerum ac Verborum* ſatis ſterilis. Denique *Canteri Syntagma de ratione emendandi Græcos autores* pag. 621 ſubjungitur, ſcriptum omnibus Criticæ artis amatoribus utiliſſimum. De antiquis *Scholiis* hoc tantum addimus, in iis modo *Fabulas* enarrari, ut pag. 3, 52, 172, alibi; modo *Hiſtorias* breviter exponi, ut pag. 56, 145, 160, 197; interdum *Proverbiorum* originem demonſtrari, ut pag. 138 & ſæpius. Rarius *verba & modi loquendi* illuſtrantur, ut pag. 73 & 112. Utuntur tamen hic illic autoritate veterum, v. gr. *Thucydidis* pag. 26; *Menandri* p. 40; *Pindari* p. 37, 125; *Sophoclis* p. 143, aliorumque paucorum.

JOAN. PETRI DE LUDEWIG VITA JUſtiniani M. atque Theodoræ Auguſtorum, nec non Triboniani, Jurisprudentiæ Juſtinianeæ Proſcenium, fide coævorum, Latii & Græciæ ſcriptorum, numismatum, Conciliorum, literarum, codicillorum, lapidum, picturarum, muſivorum aliorumque monumentorum, diſpulſis Autorum in vario ſcientiarum genere erroribus & calumniis.

Halæ Salicæ, impenſis Orphanotr. 1731, 4.
Alph. 4 pl. 4 cum figg. æri inciſis.

NOvum & magnæ molis opus orditur Ill. *Ludwigius*, Commentarium in Inſtitutiones Juſtin. nova ratione adornandum. Triplicem habemus in Germania Jurisprudentiam Civilem, inſtituta patria, leges Romanas, uſum fori, ſive opiniones & præjudicia doctorum. Quæ cum incommode vulgo miſceantur; Autor meliori uſus conſilio, ſecundum Inſtitutiones ſingula in ſingulis argumentis ac titulis ſeparatim proponenda ſtatuit, ita ut primo Jus Latii cum ſuis rationibus, deinde Jus Germanicum non ex Speculis illis, ſed ex Statutis antiquis Germ. imo etiam gentium exterarum Europæ, poſtremo uſus fori & Doctorum ad leges Latii vel patriæ, explicentur. In qua

qua quidem disquisitione locum omnino nullum relinquit cu-
rae aequitatis naturalis, quippe quam contemtim vocat *partum* p. 5.13.15.
cerebri & ingenii, *sophismata & crepundias*, *inania cerebri* 300.
otia &c. Nefas esse, ait, interpreti, arbitrium sibi sumere de
principali judicio, censoriamque notionem in leges civiles
Rom. publica autoritate receptas, exercere, hactenus ut non
aliter obligent, quam si satis aequae videantur Doctori cerebri-
no; ab aliquo tempore vertiginem illam & proterviam Do- 13. 201. 300.
ctorum, ceu pestem invasisse Academias, poenis coercendam.
Ita scripturus Commentationem in Elementa Juris, Historiam
Institutionum per aliquot Capita praemittit. Scilicet Cap. I de In-
stitutionum Codicibus MSS. Cap. II de versionibus earum.
C. III de Commentariis ad illas, de quorum pretio & meritis
judicat prudenter & accurate, fide sua non aliena. C. IV de
Institutionum vel praeconiis vel reprehensionibus. C. V de
earum in IV Libros distinctione, quam ex vetusto in membra- 96.
nis scribendi more repetit. C. VI de Prooemio, quod occasio- 516.
nem dedit observandi plurimos errores interpretum, ac pro-
pterea digrediendi in amplissimum & luculentum de vita re-
busque Justiniani Commentarium. C. VII de Formula: *Dei* 122 sqq.
Gratia; ubi per digressionem notat, ob hanc formulam falso
tribui jura Germanici Principatus Burggraviatui Magdeb. quip-
pe qui fuerit Archiepiscopi non Imperii, nihil obstante Sigis-
mundi Caes. Diplomate, praeter rem & causam extra fines Impe-
rii a Saxonibus obtento. C. VIII demum Vitam Justiniani,
scriptis *Procopii* & *Alemanni* pridem infamati, adornare insti-
tuit. Nactus est quidem ille Princeps suos praecones ac defen-
sores, sed partim molliter ac levi brachio causam agentes, par-
tim suspectos, ita ut *Chr. Thomasius* etiam magni, qui nunc ha-
bitus est, vindicis *Joh. Eichelii* falsas rationes & summa sophi-
sticationum capita nova editione Historiae arcanae *Procopii* se
demonstraturum profiteretur in Naevis Jurisprud. Ante-Just.
n. 3. Nihil his autoribus, omnia ipsis fontibus Graecis & Rom.
aevi Justinianei debet *Ludwigius*, hisque subsidiis succinctus,
strenue ac pro virili parte vindicat Imperatorem, simulque
Theodoram & administrum Tribonianum. Nostri nunc non

est instituti, conspectum ac delineationem dare totius Operis; otium ea in re Autor ipse in calce Singularium Juris Publici nuperrime nobis fecit; juvat tantummodo indicare nova singularia.

Pag. *133* prope abest ab opinione, Justinianum fuisse Anicium, ejusdem cum hujus ævi Augustiss. Imperatore Carolo VI familiæ. P. *136 sqq*. probat, eum fuisse Principem non una disciplina eruditum. P. *154 sq*. contra maledicentissimum veteratorem *Procopium* contendit, Theodoram, Augusti conjugem, ante matrimonium non quæstu meretricio *in lupanari* vixisse, sed in *embolo* i. e. ædicula quadam pro vili locario seu mercede, honestum lanificium exercuisse. P. *162 sq*. eam ideo male ob hæresin audiisse, quod contra Canones Concilii Chalcedon. placide toleraverit dissentientes, maritumque noluerit imperare conscientiis. P. *175* docet, viva Theodora multas a Justiniano editas Constitutiones, ea vero extincta, paucissimas, quod illa una plurium esset consiliatrix, inprimis in reliquiis paganismi ex legibus Reip. Christianæ profligandis. Inde Tribonianum contra crimina præcipue *Hotomanni* per singula eundo defendit, & p. *188 sqq*. paganum fuisse, aut, studio sectæ suæ, leges interpolasse, aut justitiam in sordido quæstu habuisse, negat. Quod vero leges passim mutaverit, factum putat jussu Imperatoris & laudabili consilio, ut leges Reip. servirent
p.285. non Resp. legibus. Neque de discerptarum legum nexu & rationibus multum laborare putat Jurisprudentiæ studiosos, quippe quibus sufficiat, nosse legis alicujus sive præceptum sive vim prohibendi, quamvis ratio non addatur aut erui possit. In Historia Corporis Juris p. *211 sqq*. ingeniose ac perite docet, *versus*, quorum numero antiqua JCtor. volumina æstimat Imperator, fuisse singulares sententias ac periodos, quas in quovis libro distinguere & computationem in fine voluminis adjicere solebant veteres, hac mente, ne in illis aliquid prætermittendo fallerent librarii. Inde numerum versuum stabilem perpetuo fuisse in mille exemplis, eumque in duobus librorum millibus sine molestia iniri potuisse. Ita factum etiam in S. Codice, ut frustra Theologi aliquid præcipui in eo per industriam Rabbino-

binorum contigisse sibi persuadeant. Non minus eleganter explicat p. *270*, quid per antiqnos libros intelligatur, nempe compages quatuor circiter chartarum, foliorum, membranarum, quem numerum olim excedere non debebat liber, ne amplitudine sua in molem cresceret. P. *297* disputat pro vulgari opinione, Pandectas triennii spatio absolutas, cum in Constitutione *de ff. confirm. §. 12* clarissime habeatur: *tria volumina*, i.e. Institutionum, Digestorum & Codicis, *tribus annis* consummata & decennium universo Corpori Juris ab Imperatore destinatum fuisse. Locus meretur ulterius expendi, quo magis pateat omnibus festinatio compilatorum. In ætate Codicis ff. Florentini definiendo sibi non constat Autor. Nam p. *275* ex literis Græculis, quarum ductus idem sit in nummis Græcis illorum temporum, conjicit esse scriptum initio seculi VII. Sed p. *30* ex facie membranarum & ex ratione singulari ac nova dixerat exaratum vix ante seculum X, quoniam ante illud tempus membranis crudis, hirsutis ac pilosis ideoque non ferentibus ætatem, usi fuerint veteres, postea vero artem purgandi pelles sordibus didicerint. P. *277* *Thalelæi* versionem Græcam ff. habere videtur pro fabula & figmento; versionem autem Novellarum, quæ Avthentica dicitur, p. *253 sq.* ad ipsum refert Justinianum. P. *306* statuit, si antinomiæ in Digestis occurrant, ob defectum voluntatis in animo sibi non constante, revera nihil actum censeri, nec locum esse argutiolis, quænam sententia ob justitiam & æquitatem sit anteferenda. Nihilominus paulo post, sic ut in Jure Feud. ita etiam Civili, Judicis arbitrio relictum putat, utram sententiam malit eligere. Quæ contraria videntur, cum ne ipse quidem Judex sine istis argutiolis æquum ab iniquo possit discernere. Vulgo etiam arrogantiæ & fastus accusatur Justinianus propter inanium titulorum affectationem, Gothici, Alemannici, Francici. Sed Dn. Autor modestiam ejus eximiam tollit & passim diligentissime demonstrat, causam illorum titulorum non ponendam in affectato Cæsaris in orbem universum imperio, neque in victoriis reportatis, neque etiam in quadam anticipatione, sed in more curiali, ut illarum gentium cum Imperio Rom. nexum clientelarem

p. 477.
525. in Præf. & p. 370, 404 sq. 480.

larem indicaret, ficuti jam Anaftafium Imp. feciffe legimus. P. *645 fqq.* nummos Juftiniani explicat, & inter alia fcite folvit nodum, quem alii non potuerunt, nempe cur peregrini Reges vixerint monetaria Imperatorum lege, horumque imagines & infcriptiones in fuis nummis expreflerint? Propterea, inquit, ut fallerent hoc fimulacro incolas orbis Romani, ut nummi haberentur pro Byzantinis, valerentque melius in commerciis. Tandem p. *661* etiam eleganter aperit, quale fit *diadema* illud novum, quod *Codinus* notat, *Juftinianeum*, nempe ex mitra, galea & corollis compofitum, &c.

p. 647 fq. 649, 689 fq. 695. Conf. 404, 470.

Hæc fere funt fingularia potiora, quæ Ill. Autor magno doctrinæ apparatu nec minori ingenio expofuit. Longum foret omnia repetere, cum ipfemet fine nota jactantiæ affirmare audeat, quod in millibus trecentis notulis, fi non tertia, quarta tamen pars e numero fit eorum, de quibus nemo alius vel cogitavit unquam, vel quorum nemo fcivit nodos folvere. Neque ftylo fua deeft gratia, nifi quod interdum præter neceffitatem verbis maculetur infolentibus vel quadam licentia fictis, v. g. p. 279 *infinitudo*, p. 444 *retaliare* facinus, p. 622 ædificia *loculata* (i. e. pofita) in æftuario, p. 676 *erogare ab aliquo* ut —. Miramur hanc infolentiam verborum, fed forfan idem Noftro accidit, quod de *Roterodamo* monent eruditi, eum fenefcentem magis de priftina confuetudine fcribendi deflexiffe, five ætatis vitio, five quadam novandi cupiditate. Sexagenario jam major eft *Ludwigius*, fed nondum feffus labore. Pollicetur bona fide Tomum alterum hujus Operis, cum pleraque argumenta habeat conducta, labore certe immani. Erunt in illo res Juftiniani M. facræ, civiles, militares, œconomicæ, curiales, palatinæ, leges ipfæ cum in Codice tum in corpore Novellarum cum Commentario; unde luminis multum Juftinianeæ Jurisprudentiæ. Poft femeftre fpatium promittit Volumen fuarum Juris Decifionum, fententiarum, Confiliorum, Refponforum, inde a 30 annis collectorum; editurus etiam eft conjunctim Libellos plures de rebus juribusque cum Germanicis tum Romanis, uno Volumine, fub titulo *Opufculorum Virilium*. Precamur Viro diligentiffimo viridem fenectam,

ctam, ætatemque, quanta maxima hodie mortalibus poteſt contingere. Plurima ſunt, quæ præſtitit; ſed reſtant multa, quæ promiſit, nec pauca, quæ inchoavit. Inprimis non poſſumus non ei publice in memoriam revocare *Syntagma Juris Feud. Germ.* pridem (A. 1717) promiſſum, & ingenti ſubſidiorum apparatu jam tum prope elaboratum, ac tot annorum intervallo procul dubio excellenter auctum & excultum. Forte illud Opus curis ultimis reſervat, eoque tandem cumulum additurus eſt famæ meritorum.

EVERARDI OTTONIS, JCTI ET ANTEceſſoris, de Juriſprudentia Symbolica Exercitationum τϱίας.

Trajecti ad Rhenum, apud Antonium Hoſmans, 1730, 8. Alphab. 1.

INter antiquos ritus, a quibus Juriſprudentiæ lux fieri ſolet, eminent Symbola in rebus ac negotiis ſacris, profanis, civilibus, militaribus, publicis, privatis, uſitata & ſolennia. Hæc itaque nemini adhuc pro dignitate & ex præſcripto tractata, ſed ſparſis quorundam obſervationibus tacta verius, quam expoſita, provocarunt Viri doctiſſimi, *Everardi Ottonis*, induſtriam & de literis elegantioribus & maſcula Juriſprudentia bene merendi ſtudium indefeſſum. Equidem perfectum & vaſtum Symbolicæ hujus notitiæ corpus, quod ex omnium moratiorum populorum, maxime vero ex Græcorum, Romanorum & Germanorum jure publico & privato, Canonico & Feudali conficiatur, majus otium, quam Noſtro eſt, quotidianis recitationibus & gravioribus ſtudiis occupatiſſimo, requireret; neque id moliri, aut promittere voluit Noſter, quamvis nec doctior illo, nec elegantior ejusmodi operi condendo vel optari poſſet autor, vel obtingere. Selegit vero præcipua hujus argumenti capita, digerenda in tres Exercitationum triades, exercitiis diſputatoriis, ob jucundam rerum varietatem, deſtinatas, quarum primam hoc faſciculo comparere juſſit, excitaturus alios ad conferendam ſymbolam. Itaque Exerci-

citatione prima *originem*, *progressum & fata Symbolorum in*
Cap. 1. *Jurisprudentia* expositurus, a commendatione Symbolicæ Ju-
2. risprudentiæ & instituti sui orditur: deinde, quid sit *Symbo-*
3. *lum*, *Symbola* & *Symbolus*, explicat: porro varia Symbolorum
genera constituit, ab usu illa distinguens in *sacra* & *profana*,
militaria & *pagana*, *publica* & *privata*, a modo significandi,
in *vocalia* & *realia*, sive *muta*, quorum species sunt militares
tesseræ, hisque vicinæ, hospitales, comitiales, theatrales, circen-
ses, convivales, nummariæ, gladiatoriæ, lusoriæ, negotiatoriæ,
4. frumentariæ & oleariæ. Originem Symbolorum partim ex
religione, partim ex superstitione, partim ex simplicitate pri-
5. morum mortalium deducit. Hinc origines primum divinas,
& Symbola in sacro Codice obvenientia, Veteris Testamenti
cærimonias & typos, tum vero Fœderis Novi atque internæ
sanctificationis divinitus instituta monumenta & Symbola, tes-
seras denique fidei Christianæ & professiones, quæ Symbolo-
6. rum nomine veniunt, recenset. Humana Symbolorum insti-
tuta ab Ægyptiis maxime repetit, horumque ænigmatis & hie-
7. roglyphicis, quæ *signa sagacis Ægypti Claudianus* vocat. Ex
his fontibus divinis & humanis, a Judæis & Ægyptiis, tot rivu-
los Symbolorum ad ceteras manasse gentes, ut vocibus non tan-
tum, sed & rebus fere iisdem loqui cœperit cultior orbis ter-
rarum; nationes tamen quasdam propria & domi suæ nata co-
luisse Symbola, velut Assyrios, Æthiopes, Arabes, Scythas, Na-
samones, Macrones, plurima denique nova Pythagoræos in
Italia, Druides apud Gallos, & Indorum Brachmanes reperisse,
ut conclusio facienda sit, Symbola, pariter ac linguæ diversæ,
alibi atque alibi enata esse, sive gentium mixtione, sive casu, an
genio vel prudentia ministrante, quæ paullatim deinde in Jus
gentium domesticum, aliquando etiam in morem universalem
abierit, ipsa porro rerum natura infinita ejusmodi Symbola sug-
gerente gentibus, sine magistro, quorum, pro diversa rerum
earundem contemplatione, apud diversos populos alia atque
8—11. alia, & sæpe contraria, significatio. Quatuor autem populis
peculiarem tractationem totidem Capitibus merito dicavit No-
ster, *Phœnicibus* scilicet, *Græcis*, *Romanis* & *Germanis*, quo-
rum

rum celebriora Symbola, partim inter illos per manus tradita, partim singulis inventa, multo eruditionis apparatu designat.
Ab origine & progressu Symbolorum pergit ad eorum auto- Cap. 12.
res indicandos, & quodnam hominum quam maxime genus apud singulas nationes Jurisprudentiam illis locupletaverit; ubi, Sacerdotes Symbolorum artifices extitisse, eademque, dum judicandi & leges interpretandi autoritate, veneratione hominum erga se, eruditione, humanitate plurimum poterant, in civium &
gentium actiones & negotia intulisse, docet. Sic infinita Sym- 13.
bola utilia tempus invenisse & correxisse. Initio enim rudia illa fuisse, stipulationis præsertim aliisque exemplis probat; sed, postquam usus, jucunditas & fides publica ea commen-
dasset, cultiora & decentiora, arte & lusu ingeniorum, evasisse, 14.
in sigillis & annulis ac numismatis, Deorum, nationum, oppidorum, fluviorum Symbola præferentibus, ostendit; maximum vero gradum scientiæ Symbolicæ per coloniarum deductiones factum esse, animadvertit. Propior jam ad eruditionem 15.
civilem sequitur disputatio *de causis Jurisprudentiæ Symbolicæ*, &, quænam illam suaserit utilitas publica, per partes expli-
catur: *fata* deinde *Symbolicæ Jurisprudentiæ apud Romanos*, 16.
atque speciales in illa colenda principis populi rationes exponuntur: usum Symbolorum initio civitatis & proventum uberrimum, per formularum & verborum solennitates a Jureconsultis introductas, per Edicta Prætorum, per Legem Æbutiam imminutum & magnam partem consopitum, adhuc magis sub Principatu & potissimum inde ab Antoninis, liberius imperantibus, decrevisse, demum vero a Constantino M. ejusque liberis Augustis, mox a Theodosio juniore & Valentiniano, sensim sublatum, & postremum a Justiniano Symbola prorsus foro &
imperio suo excedere jussa. Generalibus Jurisprudentiæ Sym- 17.
bolicæ expositis, operæ pretium fecit Noster, examinando *ju-
dicia Ciceronis, Senecæ & Plutarchi de Symbolis*, & num recte 18.
Justinianus illa *antiquas fabulas* appellarit? quam dispectionem ipse præclaro finit judicio de Symbolorum usu, ex diversis temporum & Reipublicæ rationibus, deque Symbolicæ Jurisprudentiæ ad intelligendos libros Juris & autores veteres

necessaria cognitione admonet. Exercitatio secunda *de Sym-*
Cap. 1. *bolis a partibus corporis desumtis* agit, a *capite* exorsa, tan-
quam parte principali, unde cognoscimur, ubi de nutu capitis,
2. ad *l. 52 §. pen. D. de obligat.* porro de *fronte*, pudoris sede, ad
3. *l. 13 D. de testib.* & *l. 17 C. de pœn.* de *aure*, memoriæ symbolo,
unde ritus antestationis & *l. 21 D. de furtis* illustrantur: de
4. *capillis*, varias ob causas, in sexus, gaudii, mœroris, libertatis,
servitutis, virginitatis, infamiæ symbolum vel submissis, vel de-
5. tonsis, ad *l. 15 §. 27* & *l. 39 D. de injur.* de *barba* demissa & de-
6. messa, ad *eandem l. 15 §. 27 D. d. t.* de *osculis*, ad *l. 16 C. de donat.*
7. *ante nupt.* & *l. 1 C. de Domest. & protect.* de *capite* aperto &
operto, ad *l. 1 §. 5 de postul.* & *l. 10 C. de test. man.* & *l. un. §. 5 C.*
8. *de Lat. lib. toll.* A capite pergit ad *manum*, potestatis symbo-
lum, ubi illustrantur *l. 2 §. 1 D. de Or. Jur.* & *l. 4 de Just. &*
9. *Jur.* Sequitur de prohibitione *per manum*, id est, *lapilli jactum*,
ad *l. 5 §. 10 D. de oper. nov. nunc.* & *l. 20 §. 1 D. quod vi aut clam*;
10. item de *dextra*, quæ fidei insigne, ubi *pignus* a *pigo* esse, &,
quid sit *emissa manus*, in *l. 15 D. de probat.* indicatur: dextra
11. quoque hospitii publici & privati insigne, ad *l. 5 §. 2 D. capt.*
12. *& postl. rev.* & *l. ult. §. 19 D. de mun. & hon.* illustratur. Pro-
xima inspectio est de *digitis*, Minervæ sacris & annulo hono-
13. ratis, ad *l. 22 §. 5 D. qui test. fac. l. 77 § 21 de leg. 2*, & *tit. D. de*
jur. aur. annul. Digitorum vero percussionem non fuisse sym-
bolum cretionis, ad *l. 1 & 8 C. Th. de mat. bon.* & *l. un. C. Th. de*
14. *cretion.* ostenditur. Descendit nunc tractatio ad *latus sinistrum*,
cinctumque lateris Marti dicatum, & testamentum in procin-
15. ctu, ad *§. 1 J. de testam. ord.* explicat, &, qui dicantur *cincti Ho-*
ratii in *l. 3 D. si pars hered. pet.* deque discinctis militibus &
16. magistratibus, disquirit ad *l. 2 §. 2 D. de his, qui not. infam.*
Jam *genua*, Misericordiæ, *sinus* & *gremium*, Tutelæ & Amori
consecrata, spectantur, ad *l. 6 § 3 C. de Advoc. div. judic. l. 4. C.*
17. *de Consul.* & *l. 3 C. de post. hered. instit.* Tandem in *pedibus* de-
finit partium corporis humani symbolica contemplatio. Pes
enim quodvis rei fundamentum & symbolum possessionis, cal-
ceus indutus signum obligationis, exutus liberationis: oscu-
lum pedum recipere, superbiæ insolentissimæ esse, perhibetur,
&

& *Deut. XXV v. 7*, & *l. 1 l. 3 §. 5 l. 18 D. de acqu. vel amitt. poss. l. 25 §. 4 D. de aur. & arg. leg.* explicantur : accedit elegans observatio de Magistratuum & Judicum honore sedendi, litigantium vero & postulantium necessitate standi, ad *l. 1 C. de off. jud. civ.* & *l. 6 fin. C. de Adv. div. judic.* Exercitatio tertia *Adoptionem Symbolicam* pertractat, ac primum de adoptionis antiquitate & caussis, inde de variis adoptionum ritibus & formulis apud Romanos, qua privatos, qua Principes, agit, porro comparat effectus adoptionis divinæ & humanæ, ad illustranda varia divini Codicis loca; declarantur adoptionum ritus, nimirum *parturitionis*, apud plerasque gentes usitatus, ritus domesticus Romanorum adoptandi *ad focum*, velut ad aram Penatum, & *in cubiculo*, ante torum genialem. Exponuntur Adoptionis divinæ symbola, in Circumcisione, Baptismo Proselytorum Judaico & in Baptismo Christianorum. Hinc de adoptione spirituali per Baptismum differitur, ad *l. 26 C. de nupt.* & *Nov. Leonis 24*, ac pariter de illa, quæ fit per Catechismum, Confirmationem, Mitram, Mantum & pœnitentiam. Pergit inde ad honorariæ adoptionis species, velut, per capillos, apud Francos maxime & Longobardos usitatam, itemque per barbam. Tandem adoptiones Principum vera & honoraria, dicis & amicitiæ caussa, curiose discernuntur. Principum & privatorum adoptio honoraria per arma; item *Adoptio in fratrem*, per preces, per arma, & per sanguinis potum, enarrantur. Atque hactenus prima hæc Exercitationum Trias. In Senarium reliquum sequentia harum amœnitatum Capita seposuit Vir doctissimus, ut quarta *de Nuptiis per Confarreationem; Coemptionem & usum contractis*, quinta *de Traditione symbolica, ex jure Civili, Canonico, Feudali & hodierno*, sexta *de Jurejurando corporali*, septima *de Tesseris belli & pacis*, octava *de insignibus Regum & Magistratuum* sit commentaturus; nona denique *Satura variorum Symbolorum ex omni jure* adjiciatur. Nemo, qui melioribus literis bene cupit, non favebit instituto, &, ad perficiendum illud, optabit, ut Nostro vita, vires, otium suppetant.

Cap. 18. Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

THE METHOD OF FLUXIONS BOTH direct and inverse.

hoc eſt,

METHODUS FLUXIONUM TAM DIRECTA, quam inverſa; quarum prior eſt verſio Analyſeos infinite parvorum Celeberrimi Marchionis DE L'HOSPITAL; poſterior vero acceſſit opera Interpretis E. STONE, R. S. S.

Londini, apud Wilhelmum Innys, 1730, 8 chart. maj. Alph. 1 pl. 8 Tabb. æn. 15.

ANalyſis infinitorum duabus partibus conſtat, quarum una Anglis dicitur Methodus fluxionum directa, altera vero Methodus fluxionum inverſa. Illa coincidit cum calculo differentiali, hæc vero cum integrali ſeu ſummatorio. Quamobrem Cl. Autor Introductionem ad Analyſin infinite parvorum editurus, in Anglicum ſermonem vertit Analyſin infinite parvorum *Hoſpitalii*, quæ de calculo differentiali ſermone Gallico proſtat, commendata a nobis in Actis A. 1697 p. 137, cum primum in lucem prodiret. Etſi autem *Carræus* defectum Analyſeos *Hoſpitalianæ* ſupplere voluerit in Methodo, quam vocat pro menſura ſuperficierum, dimenſione ſolidorum, illorum centris gravitatis, percuſſionis & oſcillationis, per applicationem calculi integralis, de qua diximus in Actis A. 1701 p. 280; non tamen ſatisfecit iis, qui ad Analyſin infinite parvorum adſpirant, nec Noſtro ſatisfeciſſe videtur, qui ipſemet appendicem condere maluit, qua ab *Hoſpitalio* prætermiſſa doceret. Prima Sectione docet Cl. Autor fractiones per diviſionem *Mercatoris*, quantitates autem ſurdas per extractiones radicum *Newtonianas* in ſeries infinitas reſolvere: ubi etiam uſum theorematis *Newtoniani* pro binomio, & *Moivreani* pro infinitinomio ad dignitatem indeterminatam elevando oſtendit. Neque enim in calculo ſummatorio feliciter quis progredi poterit, judice Noſtro, niſi quantitates finitas in ſeries infinitas reſolvere, & ſeries infinitas ad dignitatem datam evehere didicerit. Sectione ſecunda exponit modum ex fluxioni-

bus

bus inveniendi fluentes, seu quantitates differentiales summandi. Duplicem autem explicat methodum, alteram communem, qua a fluxionibus regredimur ad fluentes, seu a differentiis ad summas, siquidem illæ summabiles sunt, aut formulas differentiales in series infinitas resolvimus, quarum termini singuli summabiles sunt; alteram *Cotesianam*, de qua diximus in Actis A. 1723 p. 162 & seqq. & qua per mensuras rationum & angulorum, fluentes fluxionum, seu differentialium summæ eruuntur, ope tabularum Logarithmorum & sinuum naturalium. Sectione tertia usum calculi summatorii in quadrandis curvis monstrat. Orditur a facilibus, triangulo, parabolis & earum segmentis, aliisque curvis quadrabilibus. Deinde progreditur ad difficiliora. Quadraturam hyperbolæ non modo per seriem infinitam *Mercatoris*, verum etiam *Cotesianam* per mensuram rationum exhibet. Idem facit in curvis aliis. Reperies hic quadraturam circuli per series diversas, quadraturam ellipsis, lineæ tangentium itemque secantium, Conchoidis *Nicomedis*, spatiorum cycloidalium, Cissoidis *Dioclis*, spiralium & quadratricis. Sectione quarta calculum summatorium seu methodum fluxionum inversam ad curvarum rectificationes applicat. Exempli loco rectificationes parabolarum, spiralis logarithmicæ, spiralis *Archimedis*, Logarithmicæ, ellipsis, hyperbolæ, cycloidis, Cissoidis in medium afferuntur. Sectione quinta agit de cubatione solidorum, rotatione figuræ planæ circa axem genitorum. Exempli loco sistuntur conus, sphæra, ungulæ cylindricæ, solidi rotatione Lunulæ *Hippocratis* geniti, solidorum conoidicorum & sphæroidicorum, aliorumque nonnullorum. Addit etiam modum investigandi superficiei horum corporum quantitatem. Sectione sexta de centro gravitatis inveniendo, ope calculi integralis, seu methodi fluxionum inversæ, agit. Determinatur autem centrum gravitatis in triangulo, parabolis, arcu circuli, sectore circuli, segmento hyperbolæ, cono recto, pyramide, conoide parabolico & hyperbolico, atque sphæroide elliptico. Sectione septima usus methodi fluxionum inversæ in determinando centro percussionis in linea recta, rectangulo, triangulo

æqui-

æquicruro, ſpatio parabolico, cylindro, cono, ſphæra, conoide parabolico & ſphæroide elliptico oſtenditur. Sectione tandem octava problemata nonnulla miſcellanea, ope methodi fluxionum inverſæ, ſeu calculi integralis, ſolvit, ut lectorem ad ſolutionem problematum phyſico-mathematicorum præparet. Docet nimirum, quomodo ex data ſubtangente inveniatur æquatio ad curvam, ex dato numero logarithmus hyperbolicus ſeu *Neperianus*, ratio temporum, quibus gravia per diverſa plana inclinata ab eodem puncto deſcendunt, natura curvæ iſochronæ, ſeu æquatio ad eandem, lex refractionis in hypotheſi naturæ via breviſſima operantis, lex itidem reflexionis, ſolidum minimæ reſiſtentiæ, duratio penduli in cycloide oſcillantis, differentia longitudinum ex differentia latitudinum & longitudine itineris, cubatio ſolidi conchoidalis, & his affinia problemata alia quædam ſolvit. Placuit Cl. Autori hanc Introductionem ad analyſin infinitorum ideo edere, quod in Anglia hactenus non prodierint niſi *Caroli Hayes* Introductio ad Philoſophiam mathematicam & *Dittoni* Inſtitutiones fluxionum, quæ huc trahi poſſunt, & de quibus diximus in Actis A. 1705 p. 475 & A. 1728 p. 212. Librum priorem prolixiorem judicat Noſter, quam qui tyronum conatibus reſpondeat. Eundem abundare regulis generalibus & exemplis, quorum nonnulla tyrones magis confundunt, quam docent, & hoc tamen non obſtante deficere in neceſſariis. Librum autem poſteriorem nimis pauca continere exempla & definitione fluxionum *Newtoniana* perplexos reddere tyrones, ut ideam calculi claram atque diſtinctam vix concipiant. Etſi enim eandem definitionem veram eſſe largiatur; eam tamen captui tyronum minus reſpondere, cui magis conveniat notio infinite parvorum, qua uſus eſt *Hoſpitalius*.

OBSERVATIONES ASTRONOMICÆ SElectiores in Obſervatorio Regio Berolinenſi habitæ, quibus adjectæ Annotationes quædam & Animadverſiones Geographicæ & Chronologicæ, aliaque ad Aſtronomicam ſcien-

ſcientiam ſpectantia a CHRISTFRIDO KIRCH, Regiæ Societatis Scientiarum Berolinenſis Aſtronomo.

Berolini, ſumtibus Ambroſii Haude, 1730, 4.

Tab. æn. 1.

INter has Obſervationes primo loco comparent eclipſes Satellitum Jovis a menſe Octobri A. 1728 ad menſem Majum A. 1729 in Obſervatorio Regio Berolinenſi obſervatæ. Satellitem primum quater, ſecundum ſemel per teleſcopium 18 pedum, tertium bis per tubum 26 pedum, cujus vitrum objectivum a Cel. *Hartſœkero* elaboratum, quinquies vero per tubum reflectentem Anglicanum, quartum denique per eundem tubum ſemel deficere obſervavit. A. 1728 ad d. 21 Sept. hor. 4 50′ mane ſub Meridiano Berolinenſi eclipſin Satellitis quarti prædixerat Dn. *de l'Isle* in privatis ad Autorem literis: quale phænomenon in ſolo Satellite quarto accidere poteſt, qui, cum plurimum a Jove diſtet, quando in oppoſitionibus Solis circa limites orbitæ ſuæ degit, umbram ejus vel prorſus non attingit, per continuum biennium & amplius ab omni eclipſi liber, vel marginem umbræ ita ſtringit, ut pars aliqua Satellitis deficiat. Cum ex obſervatione phænomeni hujus rariſſimi inclinatio orbitæ hujus Satellitis ad orbitam Jovis examinari poſſit; Cl. Autor eidem invigilavit, ſed nullam obſervare ipſi licuit. Comparat deinde alias obſervationes eclipſium primi Satellitis cum aliorum obſervationibus earundem, & inde elicit differentiam horariam Meridianorum Pariſini & Berolinenſis 44′, 46″, Berolinenſis autem & Petroburgenſis 1 h. 7′, 35″, atque inde porro determinat longitudinem Berolinenſem 31°, 9′, Petroburgenſem ſeu Petropolitanam 48°, 9′, ſuppoſita longitudine Pariſienſi 20°. Exhibet deinde Dn. *de l'Isle* obſervationes recentiores Satellitum Jovis, quas A. 1728 in autumno & A. 1729 hieme & vere habuit, unde differentiam horariam Meridianorum Berolinenſis & Petroburgenſis colligit 1 h. 8′, 3″, unde longitudo Petroburgenſis reſultat 48°, 12′.

Obſervationibus Satellitum Jovis ſuccedit accurata obſer-

vatio eclipsis Lunæ totalis, quæ contigit A. 1729 d. 9 Aug. horis matutinis. Accidit initium h. 0, 2′, 40″, immersio totalis h. 1, 3′, 20″, medium h. 1, 53′, 10″, emersionis initium h. 2, 43′, 0″, finis h. 3, 45′, 40″. Fuit adeo duratio h. 3, 41′ & mora in umbra h. 1, 39′, 40″, consequenter quantitas 19 dig. 35′. Quoniam ob librationem Lunæ idem schema non omnibus observationibus inservit, observationes tamen alibi factæ cum nostris comparari nequeunt, si in aliis locis appulsus aliarum macularum ad umbram observatus fuerit, quam quas nos notavimus, ubi schemate eclipseos, qualis observata, destituti fuerimus; ideo placuit Observatori, accuratum pro hac eclipsi schema construere, reddita simul constructionis ratione. Observavit autem in omni eclipsi lunari terminum inter umbram & penumbram distingui non posse. Et sane notatu dignum est, cum is satis bene dignosci posset, usque dum eclipsis dimidii tantum digiti restaret, circa idem tamen tempus penumbram & umbram veram adeo fuisse confusam, ut nullus terminus amplius inter eas observari potuerit, haud obscuro atmosphæræ lunaris indicio. Huic observationi jungitur occultatio Veneris a Luna d. 19 Sept. 1729 post meridiem interdiu observata per tubum 7 & alium 18 pedum. Per posteriorem mutationem figuræ Veneris, cum proxime ad Lunam accederet, distincte animadvertit; cum enim antea dimidiata fere appareret, ejus cuspides prope marginem Lunæ evanescebant, & discus Veneris fere ellipticus, sed male terminatus apparebat. Accidit hoc in ipso centro vitri, cum tubum ita dirigeret, ut semper Venerem in medio vitri retineret. Cuspis ♀ septentrionalis tetigit limbum Lunæ tempore correcto h. 2, 2′, 16″, immersio totalis facta h. 2, 3′, 1½″, ab occultatione libera primum visa h. 3, 5′, 50″. Horarius Lunæ a Venere visus 29′; distantia minima Veneris a centro Lunæ meridionalis 9′, diameter Veneris 18″. *Jacobi Alexandri* paradoxam opinionem de motu Terræ circa Lunam seu planetæ secundarii circa primarium recensuimus in Actis A. 1728 p. 127. Ejus falsitatem ex observationibus demonstrat Cl. *Kirchius*. Quod si enim terra esset planeta secundarius, qui circulum circa Lu-

nam

nam abſolveret, parallaxin aliquam longitudinis Martis ſatis ſenſibilem obſervari debere demonſtrat, propter differentiam inter locum Martis e planeta primario & ſecundario viſum. Maxima differentia inter calculum in hypotheſi *Copernicana*, quam ſupponunt Tabulæ Aſtronomicæ, & obſervationem. Sane cum illa eſſet vel nulla, vel dimidii ſaltem aut duorum ſecundorum, differentiam inter calculum in hypotheſi paradoxa inſtitutum & obſervationem deprehendit 17′ in defectu, vel 15½ aut 16¼ in exceſſu. Unde patet, *Copernicanam* hypotheſin ex obſervationibus confirmari; novam vero, qua Terra circa Lunam moveri ſtatuitur, iisdem aperte repugnare.

Cum in libris de hiſtoria Tartarorum agentibus numeri Chronologici non rite aſſignentur; Chronologiam Tartarorum & Mogolenſium explicat. Utitur autem ducibus *Ulug Beighio*, Magni Tamerlanis nepote, in Diſſertatione de cognitione Epocharum, & P. *Franciſco Noel* S. J. in Obſervationibus, quas in Actis A. 1711 p. 383 recenſuimus. Utuntur Tartari univerſi cyclo 12 annorum, & cuivis anno nomen beſtiæ alicujus tribuunt. Eodem utuntur Sinenſes & Japonenſes. Nomina illorum annorum ſecundum Tartaros ſunt Mus, Bos, Pardus, Lepus, Crocodilus, Serpens, Equus, Ovis, Simia, Gallina, Canis, Porcus. Sinenſes & Japonenſes pro mure ponunt glirem, pro pardo tigridem, pro Crocodilo Draconem. Cyclus iſte antiquiſſimus eſt, cum ſeculo vigeſimo ſeptimo ante Chriſtum natum *Hoam Ti*, Imperator Sinicus, ex eo periodum 60 annorum ordinaverit, quo Sinenſes utuntur ex combinatione geminæ ſeriei literarum, quarum una duodecim, altera decem habet literas. Anni Tartarici cum Sinicis conveniunt, ſuntque Lunæ-ſolares. Eorum initium eſt in novilunio, quod proximum eſt diei, quo Sol decimum quintum gradum Aquarii occupat, ſeu circa finem Januarii vel initium Februarii noſtri. Quoniam Tartari in hiſtoriis non numerant cyclos, ſed tantummodo annos cycli, ut adeo *Ulug Beigh* ipſe Tartarus illorum initium ignoraverit; anni ipſorum cum annis Chriſti non facile conferuntur. Dato autem anno æræ

Chriſtianæ annus cycli Tartarici ipſi reſpondens invenitur, ſi ad annum Chriſti addantur 9, vel 3 ab eo ſubtrahantur, & ſumma vel reſiduum per 12 dividatur; reſiduum enim eſt annus cycli Tartarici, cui reſpondens nomen ex antea dictis aſſignatur. Anno Chriſti 1729 reſpondet annus cycli Sinici 46 & huic 10 cycli Tartarici. Annus primus cycli Sinici incidit in primum Tartarici, ut adeo in Sinico Tartaricus decies repetatur. His principiis utitur in corrigendis erroribus, qui in numeros Chronologicos irrepſere. Annotat deinde etiam nonnulla de annis Arabicis, mere lunaribus, quibus utuntur Turcæ, & exinde corrigit errores apud Autores in aſſignandis numeris Chronologicis occurrentes.

Ultimo demum loco Cl. Autor auroram borealem deſcribit, quæ Berolini A. 1729 d. 16 Nov. veſperi & per totam noctem obſervata fuit, & cujus notabiles ſunt circumſtantiæ, cum maximam cœli partem occupaverit, & per totam noctem durans varias mutationes ſubierit.

OBSERVATIONUM METEOROLOGICARUM
Lipſienſium Continuatio, ad A. 1730; Autore G.F.R.

Dies ſtyl. v.	*Barometrum.*	*Thermometrum.*	*Ventus.*	*Tempeſtas.*
Jan. IV	30, 06. 11. 16	21. 3, 21. 1, 20. 2,	W. 1	pler. nub. & neb.
V	20 — —	19. 2 — —	O. O N O. 2	ſerena.
VI	30 — —	18. 2, 19. 18.1,	O N O. 1	ſerena.
VII	29. 21. 20	16. 1, 18, 17,	S. S W. 1	ſerena.
VIII	27 — 33	16.1, 17, 16 3	W S W. O. 1	ſer. ſubnub.
IX	37. 40. 46	16 3, 17. 1 —	W S W. N. 1	pler. nub. & neb.
X	50 — 4[illegible]	17. 1, 17. 2, 18	W S W. W N W. 1	nub. & neb. c. nive.
XI	35. 29. 23	18. 3, 19, 18.2	W. W N W. 1	neb. & nubila.
XII	29, 99. 83 79	17.1, — —	S W. W. 1	ſer. nubila.
XIII	81 — 98	17.1, 17.2 —	W. 2	nubila.
XIV	30, 00 — —	17.2, 18, 17.3	W S W. 1	neb. pler. ſer.
XV	29, 99 — 93	16. 3, 17. 1 —	S. 1	ſerena.
XVI	87. 79 78	16.2, 17. 2 —	S. 1	ſerena.
XVII	77. 68 —	16. 3, — 18	S S W. 2	ſerena, ſubnub.
XVIII	70 — 59	18, 18.3, —	S W. 2. 3. 4	pl. nub. c. nive.

Dies *ftil. v.*	*Barometrum.*	*Thermometrum.*			*Ventus.*		*Tempeftas.*
Jan. XIX	70. 82. 90	19,	20,	—	W.	3.2	pl. nub. c. nive.
XX	92. 89. 82	20,	—	—	W.	2	nub. fubpluvia.
XXI	76 — 66	20,	—	—	W S W.	1	nub. & humida.
XXII	68 — —	20,	—	19. 2	W.	2	nub. c. nive.
XXIII	50 — 53	19.2,	—	—	W.	2.3.4	varia c.niv. pluv.grand.
XXIV	69. 90. 96	19,	—	—	W N W.	3.2	nub. c. nive, fer.
XXV	94. 75. 67	17.2,	—	—	S W.	2	ferena, nub. c. nive.
XXVI	67. 71. 78	17.3,	18.1,	—	W S W.	1	nubila cum nive.
XXVII	95. 93. 91	17.1,	19,	17.2	W. S W.	1	plerumque ferena.
XXVIII	74. 66. 60	17,	19	—	S W.	2.3	pl. ferena, fubnub.
XXIX	39 — 46	19,	20,	19.3	S.	2	fubnub. fubfer.
XXX	19. 00. 11	19 2	—	—	O.S O S W.	3.4	pl nub. & pluv.
XXXI	24. 50. 61	19.2	—	—	W N W.	3	nubila c. nive.
Febr. I	73. 77. 80	18.2	—	—	W N W. W.	2	nub. c. multa nive.
II	87 — 97	17.3	—	—	S. O.	1	pler. ferena.
III	30. 02. 04. 12	17,	17.2,	17.1	W N W. N.	1	nubila.
IV	18 — 14	17.2,	18,	—	O N O.	1	nubila.
V	13 — —	17.3,	—	—	S.	1.2	nubila, ferena.
VI	29. 99. 85. 72	16.2,	18.3,	18,	S S W.	2	fer. pl. nub.
VII	64 — 76	18.3,	20.	19.2	W.	2.3	fer. fubnub.
VIII	80 — 71	19,	21,	18.2	W.	2	nub. ferena.
IX	46 — 38	17.2,	18	—	O S O.	1	nub. pler. ferena.
X	39 — 49	18.2,	19	—	O N O.	1	ferena.
XI	41 — 33	18,	19 2	—	O N O.	1	ferena.
XII	36 — 54	18.2,	19	—	S W.	2	fubnub. c. nive.
XIII	61 — —	19,	20	—	S S W.	2	nub. ferena.
XIV	41. 45. 55	20	—	—	S W.	2	pl nub. & pluv.
XV	55. 38. 40	20,	21.1,	—	S S W.	2.3	pl. ferena
XVI	45 — 39	20.2,	21.2,	—	S W.	2.3	ferena, pl. nub.
XVII	24. 15. 17	20.3,	22,	20.3	S W.	2	nub. & pluv. fubfer.
XVIII	15 — 25	19.3,	20. 2,	20	W.	2.3	varia.
XIX	44. 50. 57	19 2,	20,	—	W.	2	varia c. nive.
XX	61 — 51	19,	20,	19.3	SW. S O.	1	pler nubila, pluv.
XXI	27. 25. 16	20.1,	22 1,	—	W S W. W.	2 3	pluvia.
XXII	15 — 13	21,	—	20 2	S W.	1	pler. pluvia.

Dies st. vet.	*Barometrum.*	*Thermometrum.*	*Ventus.*	*Tempestas.*
Febr. XXIII	21. 30. 35	20.1, — 19.2	N W. 2	nub. c. nive.
XXIV	40 — —	18.3 — —	W. 1	nub. c. nive.
XXV	41 — 39	19, 19.2 —	S W.W. 2.1	ferena.
XXVI	31. 15. [98	18.1, 20.1, —	O S O. O. 2	fer. fubnub. fubpluv.
XXVII	28, 87 — 98	20, 21.1, —	O N O. 0.1	fubfer. nub.
XXVIII	29, 17 — —	21, 23 —	S W. 1	plerumque ferena.
Mart. I	16 — 10	— 23 —	O. 1	pl. ferena, fubnub.
II	04. 19. 21	21.1, 23, 22	S. 2	nub. ferenior.
III	33 — 38	21.1, — 23	S O. O. 2	pler. ferena.
IV	45. 55. 58	22.3, — —	S O. S W. 2	nub. fubfer.
V	62. 53. —	22, 25.1, 24	S.W. 2	pler. ferena.
VI	47. 42. —	22.2, 25, —	S. S W. 1	fubnubila, ferena.
VII	41. — 20	— 26, 24.2	S. 1	pler. ferena.
VIII	08. [99. 96	24.1, 26.2, 24 2	S. 1	fubnub. fubfer.
IX	28,96. [06. 16	23, 27, 25 2	S. W. 3.4	ferena, fubnub. & pluv.
X	29,66. 74. 76	22.2, 23.2, 22.1	W N W. 2.3	varia c. nive & grand.
XI	66. 63. 61	21.2, 22.2, 22.1	S W. N. 1	nubila.
XII	47. 30. 23	20.1, 21.1, 20.3	N O. 2	pl. nub. c. nive.
XIII	44. 65. 86	19, 20, 19.1	N O. 2	nub. c. nive, ferena.
XIV	88 — 89	17.2, 19, 18.3	W. 1	ferena, fubnub.
XV	80. 57. 37	18, 19, 18.3	S. S S W. 1	pl. nub. c. nive.
XVI	30. 38. 41	18, 19.1, 19.2	W. N O. 2	nub. & pluv.
XVII	49 — 47	20, 21, 20	O N O. 2	nubila, fubfer.
XVIII	38 — 33	20, 21.2, 21	S S O. 1	nubila, fubferena.
XIX	37 — 31	21, 25, —	S S W. 2	nub. & pluv. fubfer.
XX	26 — —	25.1, 27, 26.2	S. S W. 2.3	nub. & pluv. fubfer.
XXI	38. 40. 38	25.2, 27,2, 26,3	S W.W. 2	nub. pluv. fubfer.
XXII	45 — 44	26, 27.2, —	S W. 2.1	pler. ferena.
XXIII	45 — —	27, 27 1, 25,	W. N W. 2	pluvia.
XXIV	67. 81. 84	24, 24.2, 24	N W. W. 2	nub. pluv. fubfer.
XXV	93. — 83	21 3, 25, —	S W. 1	ferena.
XXVI	67. 55. 40	22.2, — 21.1	O. 2	nub. & pluvia.
XXVII	55. — 62	22.1, 22.3, 21.1	S O. 1	nubila.
XXVIII	71. 80. 97	21, 22.1 —	S O. 1	pl. nub. fubfer.
XXIX	30. 02. 05	—22, 22 3 —	S. 1	fubfer. nub.

XXX

Dies ſt. vet.	*Barometrum.*			*Thermometrum.*			*Ventus.*		*Tempeſtas.*
XXX	12	—	21	22,	22.3,	—	S.	1	nubila ſerenior.
XXXI	21	—	00	22,	—	21.3	O S O.	1	ſerena
Apr. I	29,80	—	68	24,	29,	25	S.	1	pl. ſerena, ſubnub.
II	79	—	88	23,	24,	—	W. NW.	1	nubila.
III	88	—	79	24.1,	28.	—	NO. SO.	1	nubila, ſerenior.
IV	67	—	53	25.2,	29,	—	SO.	1	ſerena.
V	67	—	75	24.2,	30,	26.1,	SO. NO.	1	ſerena.
VI	79	—	—	27.2,	30.1,	26	NO.	2	ſerena.
VII	88	—	75	25.1,	29.3	—	NO.	2	ſerena.
VIII	54	—	35	29,	32,	—	S.	2	ſubſer. nub. pluv.
Maj. I	60	—	79	24.1,	25.2,	23,	NO.	1.2	nub. & pluv.
III	60	—	49	26,	27.3,	—	NO.	1	nub. ſubſer.
IV	39,	35,	41.	27.2,	28.1,	—	NO.SO.SW.	1	nub. & pluvia, ſer.
V	47,	49,	60	27,	30,	29	SSW.S.W.	2.3	ſer. pluv c. tonitru.
VI	62,	—	67	28.2,	29,	28.3	SSO.W.	1	nub & pluvia.
VII	69	—	67	29,	30	—	SW.	1	nub. pluv c. tonitru, ſer.
VIII	67,	61	—	29,	31,	30.2	WSW.WNW.	2	ſer. nub c. ton. ſer.
IX	67,	61,	65	30.2,	32.2,	31.1	SSO.NO.W.	3.2	varia c. pluv & tonitru.
X	62,	—	—	31,	32	—	SW.	1	ſubſer pler pluv.
XI	51,	48,	52	31.	—	—	O. W.	1	ſubſer. pluvia.
XII	65,	—	67	30,	32,	—	W. SW.	1.2	pler. ſerena.
XIII	60,	48,	50	31,	34.2,	33	S. WSW.	1	pl. ſerena, pluv. c. ton.
XIV	56,	—	60	32.1,	34,	33	SSW.WSW,	1	pluvia, ſerenior.
XV	71,	73,	76	32,	34,	33.2	SW.	1	ſerena.
XVI	79,	72,	69	32,	36,	34.2	S.O.	1	ſerena
XVII	69,	—	64	34,	37,	36	W.O.	1.2	pl. ſerena. ton.
XVIII	59,	45,	42	35.1,	38,	36	SO, SW, NO,	2.3.0	ſer. pluv tonitr. c. ſer.
XIX	32,	38,	53	36,	36.1,	34	SSW.W.	2.3	ſubſer. nub. & pluv.
XX	66,	72,	74	34,	35.3,	34	W.	2.3	pl. ſerena, ſubnub.
XXI	74,	65,	63	33.1,	35,	34	S.W.	2	ſubſerena, nub. & pluv.
XXII	67,	—	69	33	—	—	W.SW.	2.3	nub & pluvia.
XXIII	71,	74,	—	32,	31.1,	30	W.	2	nub. & pluvia, ſer.
XXIV	75,	77	—	29.2,	32,	31.2	SW.W.	2	ſer. ſubnub c. ton.
XXV	88,	90,	92	31,	34,	33.1	W.	2.3	ſer nub. & pluv.
XXVI	92,	78,	74	32.1	34.3,	—	SW.W.	2.1	ſer. nub. c pluv. & ton.

Dies st. vet.	*Barometrum.*	*Thermometrum.*	*Ventus.*	*Tempestas.*
XXVII	73, 68, 71,	32.2, 33.2, —	W. S W. 1	ser. nub. & pluv.
XXIIX	79, 81, 82,	30 2, 33.1, 32	W. 2	subser. pluv.
XXIX	77, 68, 62	30, 32.3, 31	S W.W. 2.3.4	subser. nub. & pluv.
XXX	51. 30, 50	29, 30.2, 29	S W. 2.3	nub. & pluv. subser.
XXXI	69, 73, 77	28.3, 30, 29.2	W. 2.3	pl. serena, subnubila.
Jun. I	75, 81, 90	28.2, 30 —	W. N W. 2	pluvia, serenior.
II	91, 90, 88,	29.1, 30, —	W N W. 2	nubila & pluvia.
III	89 — 90	— — —	N O. 1	serena, subnubila.
IV	85, 79, 76	— — —	S O. 1	serena.
V	74, 67 —	— — —	N O. 1	serena.
XXIII	78, 73, 71	33.1, 37, 35.1	SW.W N W. 2	subser. subnub.
XXIV	70, 67 —	34.1, 36, —	N O. 1.2	pluv. c. ton. subser.
XXV	73, 75, 80	33, 35, 34	N W. 2	ser. subnub.
XXVI	89, 92 —	32 3, 34.1 —	N W. W. 2	pl. nubila, serenior.
XXVII	97, 93 —	32.3, 35, 34.2	W. 2	pl. serena, subnub.
XXIIX	95, 93 —	33, 36.1, 35	W S W. 1	serena.
XXIX	93, 87 —	34.1, 37.1, 36	S W.N O. 1	pl. serena.
XXX.	84, 74 —	35, 38, 36.3	SW. W S W. 1	nubila, pl. ser.
Jul. I	73, 70, 69	35, 37, 35.3	W N W.W. 2.3	subser. nubila.
II	50, 40, 48	34, 35, 34	S S O. S W. 2	serena, pl. nub.
III	57, 74, 85	33, 35.1, 33.2	S W. 2 3	nub. pluv. ser.
IV	95, 97, 99	31.1, 35, 33 3	W. 2	pler. serena.
V	30. 03, 00, —	32, 36, 35.1	S W. 1	pler. serena.
VI	29. 99, 92, 89	34, 37 3, 36.3	S. S O. 1	serena.
VII	86, 78, 75	35, 40, 37.3	S W. 1	serena.
VIII	70, 59, 64	36, 40.1, 36.3	S.S W. W. 2.3	ser. nub. pluv. c. ton.
IX	63, — 71	36, 38, 36	S W.W. 2	nub. subser. pluv. c. ton.
X	78, 75 —	34, 35.3, 34	W. 2	nub. & pluvia.
XI	72, 62, 60	33, 34.3, 33.3	W. W N W. 2	pl. nub. & pluvia.
XII	50, 44, 47	33.1, 33.2 —	W. N O. 2	nub & pluvia.
XIII	48, 56, 65	32.1, 35. 33.2	W N W. 2	nub. subser. pluv.
XIV	74, 76, 80	32.2, 35.1, 34	W. 2	ser. nub. pluv.
XV	88, 89, 90	32.3, 34.1, 33	W N W. 2	serena, subnub.
XVI	85, 69, 67	30.1, 33.3, 33.1	S S W. 2	subserena.
XVII	59, 50, 60	30.3, 32.1, 31.3	S O.N O.W. 2	nub. & pluvia.

XVIII

Dies ſtil. v.	*Barometrum.*	*Thermometrum.*	*Ventus.*	*Tempeſtas.*
XVIII	71, 79, 85	30, 32.2, 30	S W. 1	ſubnubila, pl. ſer.
XIX	90, — 92	28.2, 32.2, 31.2	S. S O. N O. 1	ſerena.
XX	92, — 94	30.3, 33, 32.2	O. S O. 1	ſerena, ſubnub.
XXI	91, 90 —	32.2, 34.3, 34	S W. N O. 1	ſer. ſubnub.
XXII	94, 92, 93	33.2, 36.2, 35.1	S W. S O. 1	ſubnub. ſerena.
XXIII	94, 92, —	34.2, 38, 36.2	O. N O. 1	ſerena.
XXIV	94, 92, 93	35.2, 39.2, 37.2	O. 1	ſerena.
XXV	93, 86, 83	36.2, 40.2, 38	O. O S O. 1	ſerena.
XXVI	77, 70, 76	36.2, 40, 36.3	S O. W. 2.3	ſer. nub. pluv. c. ton.
XXVII	83 — 86	34.1, 35.2, 32.2	W. W N W. 1	pluvia, ſerenior.
XXVIII	68. 81. 65	29.2, 33.2, 31.2	S W. 2.4	ſer. pluvia.
XXIX	67. 61. 56	31.1, 32, 32.2	S W. S O. 2.3	pluvia.
XXX	48 — 56	32.2, 33, —	S W. 3	pl. nub. & pluvia.
XXXI	56. 59. 64	32.2, 33.1, —	S W. 2	pl. nub. & pluv.
Aug. I	68. 78. 88	32.2, 34, 33	W. 2.3	ſerena, ſubnub.
II	93. 90. 88	31, 34.2, 33.1	W S W. 1	ſerena.
III	81. 77. 81	32.2, 35.3, 34.2	S S W. 2	ſer. nub. pluv.
IV	81. 82. 93	32.2, 35.2, 34	S W. 2.4	ſer. nub. pluv.
V	96. 98. 99	32.2, 34. 33	W. 2	ſerena, pl. nubila.
VI	99. 94. 90	29.3, 35, 33	SW. SO. NO. 1	pl. ſerena.
VII	85. 75. 73	31.1, 35.2, 34.2	S. W S W. 1	ſerena, ſubnub.
VIII	74. 71. 74	34, 35.2, 34	S W. 2	pluv. c ton. ſubſer.
IX	76. — 78	34.2, 35.2, 34.1	W. 1	ſer. ſubnubila.
X	82. 83. 90	33.2, 35.1, 34.1	S W. W. 1	ſerena, ſubnubila.
XI	95. 94. 96	31.3, 35.2, 34.1	S W. W. 1	pler. ſerena.
XII	95. 90. 91	33, 36, 34.3	W. W N W. 2	ſubnubila, pl. ſerena.
XIII	91. 85. 83	33.1, 37, 34.3	SW. S O. 1.0	ſerena.
XIV	81. 78. 80	33.2, 39, 36	S. S W. 2	ſerena, ſubnub.
XV	85. 87. 91	35.2, 38, 36.2	S W. W. 2.3	ſerena, ſubnub.
XVI	91. 88. —	36, 39, 36.2	S W. W. 2	nubila, ſubſer.
XVII	88. 87. 91	36, 37.2, 36.2	SW. W N W. 2	ſer. nub. ſer.
XVIII	97. 94. 97	34, 36.2, 34.2	N W. N. 2	nubila, pl. ſerena.
XIX	95. 89 —	32, 34, 33	W. N W. 1.2	pl nub. & pluv.
XX	87 — 94	31.2, 33. 30	W. O. 2	nub. pluv. ſerena.
XXI	30.00, 01, 03	27.2, 32, 30.2	WNW. WS W. 1	ſerena.

Dies ſt. vet.	Barometrum.	Thermometrum.	Ventus.		Tempeſtas.
XXII	03, [96, 94	27, 32, 30.3	S S W. SSO.	1	ſerena.
XXIII	29.83, 71, 75	28.1, 33, 32,	S. W.	2.3	ſer. nub. & pluv.
XXIV	81, 88, 95	29.3, 33, 31.2	W.	2. 3	ſerena, pl. nubila.
XXV	98, 99 —	30.2, 31.3, 30.3	W.	1	ſubſer. ſubnub.
XXVI	98, 92 —	27.3, 32.3, 30.3	NNO.	1	ſerena.
XXVII	88, 86, 90	28.2, 31, 30.1	W.	1	nub. ſubpluvia.
XXIIX	92 — 91	,0, 31, 30.3	N O.	1	nubil. ſubpluv. ſubſer.
XXIX	87 — —	29.1, 31 2, 30.2	N O.	1	nebuloſa, ſerenior.
XXX	86 — 88	28.2, 33.2, 30.3	N O.	1	nebuloſa, ſerena.
XXXI	88 — 86	28.1, 33, 31.1	N O.	1	ſerena.
Sept. I	83. 78. 76	28 1, 33.2, 32.1,	S O.	1	ſerena.
II	8[illegible]. 86. 94	29.2, 32, 31	W.	2	ſer. ſubnub.
III	98. [03.04]	30, 32.1, 31	W.	1	nub. ſerena.
IV	96 — 89	27.3, 32.2, 31.3	S W. W.	2	ſer. nubila.
V	84. 76. 74	31.2, 32.1, —	S W.	2	ſubſer. pluvia.
VI	66. 60 —	31, 32.1, 31.3	S W. W.	2.3	pluvia & ſqualida.
VII	55 — 52	31.3, 33.3, 33.1,	W S W.	2.3	pluvia, ſubſer.
VIII	60. 64 65	32.3, 35, 34,	S W. W.	1.2	ſerena.
IX	56. 51. 42	32, 34.2, 33.3	S W.	1.2	ſubnubila, pl. ſer.
X	41. 48. 51	32.2, 34, 32.1	W. S W.	2.3	ſubneb. ſubſer.
XI	57 — 55	29.2, 33, 30	S W.	2.1	pl. ſerena.
XII	44. 43. 41	28.3, 33, 32	S.S W.	2.3	ſubſer. nub. pluv.
XIII	38 — 48	31.2, 32.3, 31.3	S S W.	2.3	pl. nubila, & pluv.
XIV	41. 51. 66	30.1, 31 3, 30 2	S S W.	2.3	pl. nub. & pluv.
XV	78. 81. 82	29, 31.2, —	W S W.	1	ſerena, pl. nubila.
XVI	74. 76. 91	30.2, 32, —	SW. N W.	2.4	varia.
XVII	30.00, 02, 06	30, 31.3, —	W.	2.3	ſer ſubpluv.
XVIII	09, 08, 11	30.1, 31, 30.1	W.	1. 2	pler. nub.
XIX	16, 20, 24	29.3, 32.3, 31	W.	2	nub. ſerena.
XX	28, 26, 25	30.2, 33.2, 32	S W. W.	1	neb. & nub. ſer.
XXI	24, 20, 17	30, 33.2, 31 2	W S W.	1	neb. & nub. ſer.
XXII	13, 10, —	30, 33, —	N O.	1	nub. ſerena.
XXIII	10, — 13	27.1, 29.3, 29	WSW. NNO.	1	neb. & nubila.
XXIV	16, 14 —	27 3, 30.2, 28.2	N O.	1	nub. ſerena.
XXV	09, 04, 03	25.3, 30.1, 28.1	N O.	1	ſerena.

Dies st. vet.	Barometrum.	Thermometrum.	Ventus.	Tempestas.
XXVI	00, 02, 00	24, 28, 27	S W. S. O. 1	ferena, nub. fer.
XXVII	00, 03, .11	24, 27.3, 24 1	O N O. 1	fer. fubnub. fer.
XXIIX	17, 15 —	22, 27, 25.3	N O. 1	fubnebul. ferena.
XXIX	12, 10, 12	23.1, 28, 25.2	N O. 2	fubnebul. ferena.
XXX	10, 08, 12	22.2, 27.3, 25.3	N O. 2	fubnebul. ferena.
Oct. I	13, 10, —	21.2, 26.3, 23.1	N O. 2	fer. fubnub. fer.
II	03, [95. 96	20.2, 25, 22.3	N O. 2	fubneb. ferena.
III	29.96, 90, 84	20.1, 25, 24	N O. 2	fubneb fer. nub.
IV	79, 75, —	21.2, 22.3, 21.3	N O. 2	pruin. fer. nub. fer.
V	69, 57. 55	18, 22.2, 22.1	S W. O. 1	pruin. fer. nubila.
VI	55. 57. 56	21, 22.1, 21.2	N O. 1.2	nubila, fubfer.
VII	49 — 60	21, — 23	N O. 1	nubila.
VIII	73. 82. 96	21, 22. 21.1	N O. 2.1	nub. fubfer.
IX	30.02, 03, 04	19, 24. 21.2	N O. 1.2	pler. ferena.
X	29.98. 96. 95	19, 24.1, 20.3	O N O. 1.2	ferena.
XI	89. 77. 74	18 2, 24, 20.3	N O. 1.2	ferena, fubnub.
XII	61. 62. 72	19.2, 21.2, —	N O. 2	fubfer. nubila.
XIII	81. 82. 83	18.2, 22.1, 20	N O. 1.2	ferena, fubnub.
XIV	82. 80. 79	18.1, 22, 19	N O. 1	ferena.
XV	74. 76. 75	17.3, 20.2, 19.2	S W. W. 1	neb. fer. fubnub.
XVI	75. 77. 82	21, 24, 22.3	W. 2.1	fubnubila.
XVII	80. 75. 74	22, 24 1, 23.2	W. 2	nubila.
XVIII	67. 64. 70	23, 24.2, 23.3	W. 2	nub. pluv. fubfer.
XIX	76 — 69	23, — 24	S S O. N O. 1	fubneb. fer. nub. & pluv.
XX	75. 80. 81	24, 26.2, 25.2	S W. S. 1	nub. fubfer. pluv.
XXI	78. 73. 70	24.3, 28, 27.1	S. 1	fer. nub. & pluv.
XXII	70 — 73	27, 28.1, 27.2	S W. 1	fer. pluvia, nubila.
XXIII	68. 60. 58	26.3, 27. 2, 27	S W. 1	nub. & opaca, pluv.
XXIV	71. 80. 84	25.2, 26. 2, 24	W. 1.2	neb. & nub. fubfer.
XXV	79. 87. 90	24, 27, 25.1	W. 2	fubnub. fer. nub. pluv.
XXVI	88. 81. 71	24, 27, 26	S W. 2	neb. & nub. ferena.
XXVII	61. 55. 49	26, 27.3, 27	S W. 2	nub. opaca, pluv.
XXIIX	40. 38. 37	26, 27.1, 26.2	S. W. 2	fubfer. pluv. fer.
XXIX	32. 31. 33	26, 27, 26	S S W. S. 2	pl. nub. ferenior,
XXX	40. 45. 52	25, 26.3, 26	S W. 1	fubfer. nub.

Dies st. vet.	Barometrum.	Thermometrum.	Ventus.		Tempestas.
XXXI	59 — 58	24.3, 26.3, 26	S W.	2.3	ser nubila.
Nov. I	68. 65 61	26, 27, 26.2	S W.	1	subneb. & nub. ser.
II	53 27. 41	26, 27.1, 26.2	SW.	2.3	serena, pluvia.
III	51. 42. 22	26, 26.1, 26	S W.	2.3	pler. nubila.
IV	11. 08. 14	26, 26.1, 26	S W.	3.4	subserena, pl. nub.
V	27 39. 55	26 1, 26, 24.2	S W. W.	3	pl. nub. pluv.
VI	66. 63 53	23.2, — —	S W.	1.0	neb. & pl. nub.
VII	67. 82. 95	23, 22.3, 22	N O.	1	subneb. nub. subser.
VIII	30. 04 — [97	21, — 20.2	W.	1	subneb. serena.
IX	29. 84, 75, 72	19.3, 20.1, —	S S O. S.	2	subneb. nub. pluvia.
X	78. 89 98	20.2, 21.3, —	S W.	2	neb. humida, squal.
XI	94. 88 99	22, 22.3, 22.2	S W.	1	hum. & squalida, ser.
XII	30. 09, 11. 06	21, 22.3, 21.3	W	1	serena, nubila.
XIII	29.97, — 88	22, 24, —	S W.	2	pluv. & squalida.
XIV	81 — 89	24.1, 25, —	W.	2.3	pluv. & squalida.
XV	88. 87. 92	25, 26, 25.1	W.	2	subser. pluv. squalida.
XVI	92. 99 —	25, 25.2, 25.1	W.	2	pluvia
XVII	99. 87. 73	24, 24.3, 24.2	O.	1	neb. nub. pluv.
XVIII	47 — 40	23.2, 24.1, 23.3	S W.	2	nub. subserena.
XIX	12. 30. 57	23.1, 24, 23.2	S.	2	pl. nub. & pluv. ser.
XX	45. 51 —	23.1, 24, 24.1	S W.	2.3	pluv. nub. subser.
XXI	54. 46. 42	25. 26.2, 27	S W.	2	nub. subser. pluv.
XXII	38. 36. 42	27.2, 28.1, 27.3	S W.	3	nub subser. pluv.
XXIII	29. 40. 32	27.1, 26.2, 25	W S W.	3.4	subser. nub. pluv. ser.
XXIV	45. 56 64	24, — 23.1	W.	4.3	subpluvia, pl. ser.
XXV	62 — 61	22.1, 22.2, 22	W.	2.3	nub. serena.
XXVI	45. 39. 40	21.1, 21.2, 21	S W.	1	nub. & pluvia.
XXVII	38. 32. 29	20.2, — 20	W S W.	1	niv. pluv. subser.
XXIIX	27. 33. 44	20, — —	S S W.	1	nub. c. nive.
XXIX	65. 82 96	19.2, — —	S W.	1	nebul. subser. nub. c. nive.
XXX	30, 17. 26. 32	19.1, — 19	O N O.	2	ser. subnub. ser.
Dec. I	28. 19. 15	18, 17 —	O N O.	2	nubila.
II	07 — 14	16.3, — —	N O.	1	nubila, subser.
III	22 — 25	16 3, — —	N O. W.	1	nebul. & nub.
IV	24. 21. 10	16.2, — 16.3	W S W. W.	2	neb. & nubila.

Dies stil. vet.	Barometrum.	Thermometrum.			Ventus.		Tempestas.
V	29.63, 71 —	17.3,	18 1,	18	W.	2.3	nub. c. nive, subser.
VI	97. [11. 21	17.1,	—	16.3	N W.	1.2	pl. serena.
VII	30. 12, 00 (89	16.3,	—	—	W.	2.3	nubila cum nive.
VIII	29. 64, 48 —	17,	17.2,	—	S W.	2. 3	nubila cum nive.
IX	52. 42. 34	17.2,	18.1,	19	S W.	1.2	subser. nub. c. nive, pluv.
X	32 — 44	19.2,	20.2	—	S W.	2.3	subserena.
XI	61, 30, 21	20.1,	—	20 3	S. W.	2	ser. nub. & pluv.
XII	30. 00, 19, 34	20.1,	—	—	N W.	2	serena.
XIII	49 — 55	19,	—	18	W.SO.O.	1. 2	nub. serena.
XIV	47, 37, 28	17,	—	—	N O.	1 2	serena.
XV	17, 12, 15	16,	17,	16.2	S O.	2	serena.
XVI	05 — 03	16.2,	17,	—	S W.	2	nub serenior.
XVII	03, 20, 26	17,	18,	17	S W.	1	nub c. nive.
XVIII	29, 30, 49	17,	—	—	N O.	1	subnub. ser. nub.
XIX	43 — 44	17,	18,	18 2	N O.	1	serena, nub.
XX	43, 39, 35	19,	18.2,	17	S O.	1	serena.
XXI	49, 47, 49	16,	16.2,	17	S O.	1	serena.
XXII	50 — 49	17,	17.2.	18	N O.	1	serena.
XXIII	46, 43, 40	18,	17,	—	N O.	1	serena.
XXIV	34, 30 —	18	—	—	W.	1	ser. nubila.
XXV	19 — 16	18.2,	—	17	W.	1	subser. nub.
XXVI	17, 14, 08	17	—	—	S O.	1	subser. nub.
XXVII	29.95, 90, 82	16.2,	17.	17.2	S O. S W.	1	subser. nub.
XXIIX	82, 65 —	18,	—	17	S W.	1	nub. & pluv.
XXIX	70, 60, 55	17,	17.2,	18	S O. S W.	2	ser. nubila.
XXX	30, 33, 29	18,	—	17.2	W.	1	nubila.

EXERCITATIO ANGIOLOGICA ET DE vasis vertebralibus nova Observatio; Autore AUG. FRID. WALTHERO, Archiat. Reg. & Prof. Publico.

Lipsiæ, 1730, 4.

Pl. 2½.

DUo sibi agenda Cl. Autor proposuit, quæ quidem ab *Vesalio* & reliquis Anatomicis minus exquisita fuisse obser-

vat: tamen, quæ ſcitu digna eſſe, & quandam doctrinæ emendationem inferre ſibi videntur. Primum *Veſalius* de *Corp. hum. fabr. Lib. 3. c. 12* de arteria ſubclavia & axillari ſcribit: „arteriam dextrorſum verſus brachium ductam, in eos omni„no digeri ramos, in quos ſiniſtri brachii arteria deſinit; atque in hac expoſitione ſi utriusque arteriæ carotidis differentiæ excipiantur, acquieviſſe Anatomicos, Noſter dicit. Deinde, venam vertebralem arteriæ ſociam eſſe, ſed in canale oſſeo transverſorum proceſſuum, colli vertebrarum, ſurgere, & medullæ ſpinali ramos, ac muſculis, largiri, tantum Anatomici docent; ſubſtituitque in locum ſexti foraminis colli nervorum Celeb. *Heiſterus* ſeptimum, per quod vena vertebralis canalem ſubeat, ut ab ſexto hæc vena porro arteriam comitetur. Igitur Cl. Autor arterias, ſcilicet utriusque lateris, ſubclaviæ ſoboles, deinde primas axillarium propagines, invicem comparaturus, ſimul arteriæ vertebralis occaſione, ejus nominis venæ novam addit viam; ut de venæ vertebralis ingreſſu in ſeptimum & ſextum nervorum colli foramen, perinde ac de notabili ejus parte, quæ in cervice ſurgit, & ad occiput redire ſolet, denique, partim de ingreſſu venæ vertebralis, in commiſſuram occipitis & atlantis, partim de tranſitu ejus in lateralem ſinum, ſaltem in ſingulo exemplo recte conſtet, poſtquam in duodeviginti menſes nati infantis cadavere omnes arteriæ, ſed & venæ, ſcilicet ſubclaviarum ſoboles, cera a ſe impletæ experimento fuerunt. Quare nos arterias primum proponimus, quæ utrinque ex ſubclavia, & axillari eduntur, deinde addimus de vena vertebrali obſervationem. De arteriis carotidibus & vertebralibus Autor nihil monendum habet, quod ab aliis traditum abunde haud fuerit. In dextro autem latere, & ante mammariæ ex fonte ſubclaviæ exitum, ſingulam, at in ſiniſtro latere, duplicem intercoſtalem ſuperiorem is demonſtrat; & inter alia, contra gravem, & nimis abſolutam cenſuram *Mr. Garengeot* tales arterias defendit, qui in Splanchnologia p. 398 ita loquitur: „parmi plusieurs erreurs, „que j'ay remarquês dans des livres d'Anatomie tant anciens que „modernes, la naiſſance des arteres intercoſtales ſuperieures

de

„ de l'artere souclaviere est une des plus considerables &c. Hinc ex arteria mammaria, in utroque latere diaphragmaticam & mediastinam, quas ita vocant, provenisse ille observat. Jam vero ad reliquas subclaviæ propagines, &, quæ adscendunt, animum ille advertit, &, quam arteriam inde eductam Cl. Autor colli & scapulæ communem vocat, de ea scitu dignum est, quod in dextro latere, brevis hic truncus, in tres dividatur ramos, fere intelligendos ex nominibus, quibus ille eos insignivit, sed clarius ex ipsa exercitatione cognoscendos. Primus igitur ramus, scapularis & colli posterior arteria est, & ramus alter, *scalena, tertius*, thyroidea dicitur. Atque in eodem dextro latere, post illum communem, notabilemque truncum, subclavia, & in limine thoracis, arteriam scapularem superiorem emittit. At in sinistro latere, ille truncus colli scapulæque communis, non solum tres illas arterias, uti a dextris, sed insuper illam quoque scapularem superiorem largitur. Atque nunc arteriarum seriem ab axillari utrinque eductarum percensebimus. Igitur in dextro latere primum notantur quatuor circiter arteriæ thoracicæ, & minores; deinde ab his thoracica valde distinguitur maxima, quam inde axillaris edit. Ex ista enim deducitur majoris notæ pectoralis arteria, quam, præ alteris, insigniorem, & anteriorem, noster appellavit; neque negligendas putat duas *interscapulares, licet eæ* exiles fuerint; sed inter *istius* propagines majores flectitur inde, ac secedit alter ramus, qui ad humerum pertinet: sequitur vero, & ex thoracica maxima porro nascitur tertius ramus, seu scapularis arteria anterior; tandem de thoracica maxima, quod superest, id inter serratum majorem musculum & dorsi latissimum pergit. Jam, a sinistris, illæ quoque thoracicæ exiguæ, ut a dextris, inveniuntur; quæ, sicuti sequens arteria pectoralis insignior, & anterior, sed in hoc latere prima, non quidem a thoracica maxima, sed ab axillari dimittuntur. Tum vero successit, ex eodem axillari fonte nata, exilis arteria interscapularis prima; demum thoracica maxima inde defertur. Quæ nihilominus hac parte edit pectoralem insigniorem alteram, & lateralem; atque porro, post interscapularem alteram, quæ inde alæ conceditur, maxi-

maxima porro thoracica inter majores ramos, deinde ſcapularem anteriorem præbet; ac tertio,alia,& ad humerum pertinens, inde pronaſcitur.Omnium harum arteriarum conditiones,& peculiares vias, cum pluribus obſervatione dignis Cl. Autor dilucide propoſuit. Et,quanquam is in hoc genere, quædam in diverſis variare ſubjectis, diligenter annotaverit: tamen,neque deſunt, quæ ex his conſtanter reperiuntur; & nos, de reliquo, doctrinam per ejus generis induſtriæ ſpecimina facile nunc perfici magis poſſe,opinamur.

Hæc ita de iſtis arteriis Cl.Autor retulit; &,quo loco arteriæ vertebralis viam is deſcripſit, ibi ſubnectit de vena vertebrali obſervationem,& ita loquitur: „Itaque vena vertebralis in cadavere „infantis,aliter,atque pingunt Anatomici,vel exponunt,interval- „lo, inter utrumque, tam proceſſum transverſum ultimæ colli, „quam primæ thoracis vertebræ, ingreſſum in oſſeum transver- „ſorum, quem vocant canalem, & in utroque latere, minori qui- „dem ramo præſtat,ſed quoad truncum,quaſi fingit,ac mentitur; „ſiquidem ea, illud, quod diximus, intervallum potius tranſitura, „in tres interim dividitur partes &c. Ex his partibus minimam, verſus arteriam vertebralem,ut eam comitetur,ſurgere; mediæ vero magnitudinis aliam partem, medullæ ſpinalis ſubire canalem; tertiam denique,maximamque,tanquam truncum continuatum, & quidem poſterius, ex illo intervallo proceſſuum vertebrarum ſeptimo, evadere, & juxta obliquos proceſſus vertebrarum, ſcilicet, ſub muſculi complexi tegmine,& indiviſam verſus occiput appropinquare, is refert. Eadem vena externa, quaſi inclinata in flexu ſuo ad epiſtrophei ſpinam, & bipartita in exemplo viſitur; & inde ſuperior pars verſus occipitis latus procedit; unam vero alteramque venam,a locis in capite,tum ea ſibi jungit, communeque quaſi in centrum, plures illæ, in lambdoidea ſutura confluunt venæ, quippe in hanc ſuturam inde id veluti venarum centrum penetrat, & in ſinu laterali, ſicut vena occipitalis *Valſalvæ* aperitur. At altera pars iſtius venæ vertebralis, quæ quidem inferior eſt, hæc epiſtropheo, & atlanti, præcipue in ramos diviſa, impenditur. Itaque in tenera ætate,ſicut Noſter maximam venæ vertebralis partem,externa, & cervicis petere loca, in exemplo luculenter demonſtravit; ita mino-

minorem in quinquagenariæ feminæ cadavere, & in cervice ita verſari, ipſe invenit. Nam, propter ſeptimum colli nervorum foramen, truncus vertebralis venæ in duos fere æquales diviſus erat partes, inferiorque ex his, quæ erat, hæc directe ſpinalis medullæ canalem ſubiit; ſed altera, intra ſextum colli nervorum foramen, denuo bipartita, unam ſui partem arteriæ præbuit ſociam, alteram vero, neqne minorem, poſterius ex foramine emiſit, quæ inter cervicis muſculos veſtigia ſui minora videnda dedit. Id ita in adultis fieri is opinatur, ob compactam lambdoideam ſuturam. Verum cum Cl. Autor plura in hoc genere alio declarare tempore promiſerit, ac hiſce diebus luculentiorem nobis & expectatam venæ vertebralis deſcriptionem adulti cadaveris exhibuerit; hinc nos eam, quod rem omnem illuſtret, plurimumque obſervationem perficiat, futuro Menſi inſerendam curabimus.

A NEW SYSTEM OF THE SPLEEN &c.

hoc eſt,

NOVUM SYSTEMA MORBORUM SPLEnicorum, vaporum & melancholiæ hypochondriacæ: ubi & omnes nervorum morbi, ſpirituumque dejectiones mechanice explicantur &c. Autore NICOL. ROBINSONO, Doct. Medico, Socioque Collegii Medici Lond.

Londini, apud Betteswortb, Innys & Rivington, 1729, 8.
Alph. 1 pl. 4.

Diu agnitum eſt a ſagacioribus, multum utilitatis a Philoſophia redundare in Medicinam; perpaucos tamen novimus, qui, ipſo opere, in Medicina ſe præſtiterint Philoſophos. Magnum illud naturæ opus, quo ſenſus interni in humano corpore producuntur, latuit inexplicabile hactenus: verendumque nimis, ne diutius lateat. Clarus vero *Robinſonus*, convictus, quantum hypotheſes ad liquidam veritatem inveniendam conferre queant, aliquam excogitare maluit, quam plane nihil dicere; quam & ita expoſuit, ut lectorem ad ipſam egregii hujus libri lectionem, & ad illam hypotheſin excolendam magis invitare debeamus. Omnis liber tres partes habet, quarum

primæ *Introductio* præmissa est, in qua spem facit, se ad metaphysica usque iturum, & vel demonstrationes daturum esse, vel simillima vero. Demonstratio vero ibi exhiberi potest, ubi datur inter ideas connexio. In Cap. I exhibentur *diversa corporis humani principia, respectu diversarum constitutionum.* Omnia fieri contendit Autor motu, attractione & divisione. Sed vita hominis in specie pendet a plurium fibrarum consensu in membris corporis. Diversos corporum habitus a vario fibrarum elatere derivat: indeque quatuor veterum qualitates & humores explicat. Sed unde ille elater? Ab adamato Anglis principio attractivo, in machinulis, fibras componentibus, exsistente. Intelligit autem Noster per machinulas exigua materiæ corpuscula, distantiam & motum in omni fibræ contractione variantia. Cap. II *de anima rationali* tractat. Est autem illa se ipsam movens principium, cogitationes & motus producens in ordinata materia. Est immutabilis: in infante eadem, quæ in sene: in sano eadem, quæ in ægro: eadem in simplicissimo homine, quæ in perspicacissimo quovis. Diversitas autem illa inter homines obvia a diversis materiei & motus affectionibus originem suam habet. Notandum quoque hoc loco, *Lockio* ab Autore Clar. jure exprobrari, quod conscientiam sui cum persona confuderit, cum illa animæ essentiam minime constituat, sed tantum personæ attributum sit. Namque & in somno exsistit anima, sibi nullius rei conscia. Transimus ad Caput III; quod agit de *facultatibus animæ intellectualibus:* quales sunt perceptio, ratio, intellectus & memoria. Quo homo nativitati propior est, eo machinulæ fibrarum cerebri magis ab invicem remotæ sunt, unde facta vacua loca ideæ objectorum occupant. Appropinquant autem illæ sibi in dies, donec in senecta sibi tam propinquæ sint, ut omnes ideæ obliterentur. Voluntatem statuit Autor sequi motiva, a ratione oblata, ac ita sequi, ut animi affectuum dominus esse queat. Intellectus est facultas, in ratione fundata: ratio vero in cogitationibus fundatur. Sed cogitationes, menti, objectis absentibus, inexistentes, memoria vocantur. Quare ab objectis venit sensatio: a sensatione perceptio:

ab

ab hac cogitationes. Omnium harum facultatum subjectum est anima; quæ vero nec materia est; nec in materia, illæsa materiæ essentia, concipi potest. Sedes animæ ultimo est in centro cerebri. Cap. IV, quo de descriptarum facultatum *exercitatione in ingenio* disquiritur, ingenium definitur per habitum sese subtilissime exprimendi. In ingeniosis hominibus autem sanguis fluit velocius per multum dilatatas arterias: liquidum nerveum copiosius secernitur, & maximus nervis elater est. Id quod in Poetis usu venit. Cap. V declarat *exercitium dictarum animæ facultatum in principiis stupiditatis producendis:* ut quæ a figura, motu, textura cerebri vel sensuum organis mutatis pendet: id probantibus febribus, aliisque morbis; quos inter memorabilis casus feminæ per XX annos lunaticæ, per lapsum ex alto sanatæ: quo casu cerebri machinulæ apertæ fuerunt. Sola stupiditas residet in organorum vitio, objecta ratiocinanti animæ facultati non tam bene repræsentantium. Namque judicii, intellectus & memoriæ exercitium a conceptionum claritate venit: hæc ab idearum distinctione: atque hæc ultimo ab organorum corporeorum constitutione. Cap. VI *de animi passionibus* loquitur. Passiones corpus mutant; sunt enim medium inter materiem & cogitationem. Passio autem perficitur ope ætheris animalis subtilissimi; varii tamen in variis hominibus: unde nec eadem omnibus eadem de re contingit passio. Terror sequitur παράλυσιν fibrarum cerebri: valorem illarum animositas. Ponit & Autor in omni passione collisum quendam inter animæ facultates & motus fibrarum animalium, ab ideæ objecti impulsu productas. Monet demum Noster, quod singulæ passioni vel singularis dicatus sit musculus, vel singularis certe quidam ejus motus. Cap. VII tractat *de sensatione, fabrica, mechanismo nervorumque modulatione.* Sensatio est possibilitas fibrarum, ideas objectorum ad intellectum per commune sensorium transmittendi. Sensorium commune autem vocatur illud cerebri punctum, in quo ideæ prius, quam anima afficiatur, uniuntur. Ad sensationem requiruntur aliquantum tensi nervi, ut oscillare queant. Atque eam ob causam papillaribus machinulis do-

nati sunt, quæ, ab objecto tactæ, semper alias, ad sensorium commune usque, pulsant. Illis nimis contractis, sequuntur dolor & convulsio. Eodemque loco decidit Cl. Autor, an sensatio per oscillationem nervorum fiat, an per liquidi nervei impulsum? Cap. IIX *de visione, lumine & coloribus*, adductis hoc de argumento Newtonianis, oculique fabrica, humorum ejus pelluciditatem ab elatere fibrarum deducit, humores in tenuissimos dividente. Luminis defectum non absentiæ solis adscribit, sed motui celerrimo, quo lata radiorum corpuscula ita dividuntur, ut oculo invisibilia fiant. Quare & tenebrarum & lucis eadem est materies. Visio ergo fit, dum imago objecti, picta in retina, cerebri puncta, retinæ punctis respondentia, illuminat. Cap. IX *de auditu* differit. Justa nervi auditorii modulatio a justa tensione machinularum ejus pendet, quibus nimis vel tensis vel relaxatis, sonus fit vel nimius vel debilis. Placet ἁρμονία: sonorumque propositio æque placet, ac enunciatio, verbis facta. Dantur vero populi, naturali Musica pollentes, quorum auribus subtilis dispositio inest. In Cap. X, *de gustu & tactu*, voluptas venerea eleganter explicatur. Juvabit & enarrare brevibus contenta Part. II. Cap. I agit *de certitudine theoriarum, praxeos Medicæ respectu*. Cap. II exhibet *realitatem morborum splenicorum &c. damnosaque eorum effecta:* ubi & probat, nec φαντασίαν, nec rationem producere posse in anima morbi perceptionem, morbo absente. Cap. III *diversas morborum lienarium species* enumerat; exponitque, cur splenici de morbo suo, licet minus periculoso, desperare soleant. Prout autem scorbutus omnium tardorum morborum est fundamentum; ita & se habet cum melancholia, nervorum morborum respectu. Cap. III inter *symptomata morborum lienarium in mare* refert extraordinariam oscitationem, appetitum prostratum, vertiginem &c. Inde & ructus, flatus, lumbi molles, tremula femora, dolores vagi in dorso, lumbis, brachiali: hypochondria sæpius tumida ac inflammata: urina pallida. Tum sensim fit transitus ad caput: afficiuntur sensus; fiunt sudores frigidi & horrenda insomnia. In Cap. V *feminarum symptomata* adducuntur: & in C. VI *symptomata melan-*

melancholia hypochondriaca. C. VII *de morbis prægressis, in maniam finientibus* agitur: atque hic varias maniæ species audias, enthusiasmum, maniam religiosam & Atheisticam. In C. IIX describuntur *mania enthusiastica & morbus lunaticus*, ex prægressis morbis nati. C. IX *causas generalissimas morborum hypochondriacorum* declarat. Oriuntur scilicet a nimia dilatatione machinularum nervosarum, componentium vires contrahentes cerebri nervorumque: unde viscidus fit sanguis; hincque nervorum obstructiones, convulsiones, & quandoque paralyses. C. X agit *de immediata eorundem morborum causa:* ubi flatuum, dolorum vagorum, ex lienis morbo productorum, natura explicatur. C. XI ostendit, cur a *nominatis morbis ὄργανα sensoria vitientur?* En! sic ratiocinatur circa oculum. Fluida majoris molis, ob vasorum debilitatem, in oculum moventur, radiosque lucidos, axi retinæ parallelos, intercipiunt: unde suffusiones & cataractæ. Sic de ceteris organis. Simulque claret ratio, cur talismodi homines plerumque somnient. C. XII exponuntur rationes *depravatarum animæ rationalis functionum per hasce ægritudines.* Melancholica mania natales suos debet defectui spirituum & laxitati fibrarum cerebri: qua laxitate crescente, & necessario mania gliscit; sed morbus lunaticus a nimio fibrarum elatere pendet. C. XIII *de immediata causa affectionum hystericarum* agit. Nempe, obstructionibus natis, machinulæ nervorum ad illas resolvendas convulsiones excitant, modo per solas conjecturas ab Autore determinabili. Dedimus integram fere Autoris Ψυχολογίαν, & Θεωρίαν morborum hypochondriacorum. Ne nimii simus, contenti erimus in allegandis titulis Capitum Partis ultimæ. Cujus Cap. I *certitudinem principiorum practicorum, applicationisque eorum*, asserit. C. II suppeditat regulas, *circa diætam, aerem corporisque motum*, observandas. C. III *de regimine passionum animi, talibus morbis præsentibus.* C. IV *de virtute Musicæ in promovendis passionibus, minuendisque illis, morbis splenicis aliisque talibus præsentibus.* C. V sistit singulares quasdam *observationes practicas quorundam remediorum in his morbis.* C VI *de curatione splenicorum*

morborum, C. VII *de curatione vaporum passionumque hysfericarum*, C. IIX *de curatione melancholiæ hypochondriacæ*, C. IX *de curatione maniæ melancholicæ*, C. X denique *de cura morbi lunatici* varia lectu digna nobis exhibet.

Gründliche Anweisung zu einer glücklichen Blatter-Cur.

h. e.

MANUDUCTIO AD VARIOLARUM CUrationem feliciter adornandam, Autore D. EMANUELE CHRISTIANO LOEBERO, Consiliario Isenacensi, Medicinæ Professore Extraordinario, & Physico Camburgensi Provinciali.

Jenæ, apud Crökerum, 1730, 8.

Plag. 4.

NUllus fere præterlabitur annus, quo luem variolosam modo hanc modo illam Europæ Provinciam infestasse, multosque ægrotos morti tradidisse, relationes publicæ non significant. Quantam hinc non initurum credis gratiam illum, qui tutam atque certam præscribere satagct normam, juxta quam variolarum rabiem compescere atque ex orci faucibus eripere ægros liceat. Atque talem meritus omnino est Clarissimus *Lœberus*, qui methodum, qua variolosos hactenus tractavit, & ab interitu vindicavit, præsenti libello candide aperuit. Morbi enim naturam ejusque symptomata non solum graphice delineat, quidque sperandum, quidve metuendum sit, consignat, verum etiam, quæ cautelæ per totum morbi decursum sint observandæ, fideliter tradit. Et vernaculo quidem idiomate eundem conscripsit, ut, qui prosapiæ sunt Germanicæ, rem penitus capere, ægri, ut in morbo se gerere debeant, intelligere, & adstantes, uti tractandi sint ægroti, inde discere valeant; ita tamen, ut periti simul Medici auxilium ne negligatur. *Boerhaavii* igitur ductum secutus, propria denique experientia observavit, variolas non alio modo ac inflammationem aliquam enormem maximeque periculosam esse respiciendas. Quemadmodum igitur primaria Medicorum cura est, (ut de Theoria nunc nihil amplius addamus,)

mus,) ut quævis inflammatio discutiatur, ne in suppurationem & exulcerationem, funesti sæpe eventus, abeat; ita primis tribus diebus, antequam in conspectum veniant exanthemata, (si enim citius prorumpant, pro periculosis habenda esse pronuntiat) discussionem locum habere, id est, læsioni in sanguine & vasis inchoatæ obviam eundum esse, monet. Pro quo scopo obtinendo ex majusculo venæ cujusdam ramo, magna facta apertura, tam diu sanguinem extrahit, donec æstus in facie dispareat, & æger nausea corripiatur ad vomitum usque, ad quem infantes magis sunt proclives, quam adulti. Ne autem citius hic obrepat, quam sufficiens sanguinis copia effluxerit, lecto venæsectionis tempore committendus est æger, utque facilius succedat, omnique saburra liberetur ventriculus, jusculum calidum vel infusum Theæ semihora ante venæsectionem exhibendum erit. Quæ sanguinis missio, corporis dispositione permittente, & morbi vehementia urgente, eodem vel altero, tertiove die repetenda. Operatione hac facta annitendum est, ut cutis emolliatur, & æstuosus ac inflammatus sanguis temperetur & discutiatur; hinc crura & pedes calidis epithematibus emollientibus continuo foveantur, similiaque clysmata bis vel ter de die injiciantur, ut hoc modo intestina non solum ab omnibus excrementis liberentur, sed & sanguis fluxilis reddatur; pro mundandis vero faucibus gargarismata usurpentur. Interne potulenta multa tenuia, eaque calida, vel succus quidam refrigerans in aqua bulliente solutus cum nitro depurato & saccharo offeratur, singulisque horis vel tardius tinctura aliqua refrigerans vel pulvis antipyicus exhibeatur, donec inflammatio sublata, & sanguinis motus sedati fuerint. Exulet cerevisiæ ciborumque crassiorum usus; præbeantur potius juscula tenuia, omni pinguedine orbata, acidulata vel edulcorata. Atmosphæra sit temperata, nec lectorum copia obruatur æger; aer sit purus, ab omnibus effluviis ingratis liber; hinc subinde, anni tempestate id permittente, janua fenestrisque apertis ventiletur, vel suffimigiis acidulis balsamicisque depuretur, vel flabello ad ægri faciem dirigatur pro æstu mitigando; hinc & in

in principio ab omnibus ſudoriferis abſtinendum. Sin inflammatio diſcuti ſe non patiatur; eadem methodus ad quartum quintumve diem usque continuetur, & omni ſtudio caveatur, ne exanthemata internas partes, caput & faciem occupent. Hoc obtinebitur, quando æger tenuioribus utitur alimentis, putredinem ſimul arcentibus, qualia ſunt juſcula ex carnibus parata, macra, ſucco citri imprægnata, vel juſcula recentia cum acetoſa vel ſuccis acidulis cocta, bibitque potulenta ex aperitivis atque refrigerantibus herbis præparata, & in illis tincturam vel pulverem refrigerantem frequentius aſſumit; pedes aquæ calidæ, cui emollientes herbæ incoctæ, ad ſuras usque bis vel ter de die per ſemihorulam immittat, medio vero tempore pedes ad genua usque linteis duplicatis ſimili aqua humectatis & aliquantulum expreſſis obvolvat, ſub genua vel ſupra ſuras emplaſtra attrahentia applicet. Si cum impetu morbus invadit, veſperi paregoricum præbendum eſt. Suppuratio denique eſt promovenda, materia purulenta ad extrema corporis derivanda, & cum vaporibus vel exhalationibus herbarum emollientium locus affectus ob imbecillitatem ægri foveri non poſſit, ſufficiet, cataplasmatibus cutem emolliri, atque gargarismata & clysmata continuari; interim æger tenuia aſſumat alimenta, acidulata, & ut humorum motus ad extrema conſervetur, hauſtum vini Hiſpanici vel Canarienſis, veſperi autem paregoricum capiat. Atque hanc methodum homines a variolis præſervandi & papulas ipſas curandi quemadmodum ſæpius Clariſſimus Autor tentavit, & vel in infantibus trium quatuorve annorum probatam invenit; ita eandem Medicinæ tyronibus ſequendam etiam atque etiam commendat, utque hi intelligant, quæ medicamenta lenientia, laxantia, emollientia, acidodulcia, aperientia, reſolventia, antiſeptica, attrahentia, derivantia, propellentia, & paregorica in uſum vocanda ſint, catalogum eorundem apponit, Tractatusque & Diſputationes Autorum de Variolis commemorat, atque Inoculationis earundem hiſtoriam pandit.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXXI.

THE SCRIPTURE-CHRONOLOGY DEMONſtrated by Aſtronomical Calculations &c.

h. e.

CHRONOLOGIA SCRIPTURÆ S. PER Aſtronomicos calculos, ut & per annum Jubilæum & Sabbaticum Judæorum demonſtrata, methodo hactenus intentata, & ab Uſſerio *primum propoſita, cum Hiſtoria mundi inde a Creatione ad tempora, quibus opus ſuum inchoavit* D. Prideaux; *Autore ARTURO BEDFORD, M. A. Paſtore Newtoni S. Loe in Comitatu Somerſetenſi & Capellano Hoſpitalis Haxtonienſis prope Londinum.*

Londini, apud Jac. & Jo. Knapton & reliquos, 1730. fol. Alph. 8 pl. 20, Tabb. æn. 7.

CUm Autor doctiſſimus in Præfatione *Uſſerii* ad Annales ſuos hæc verba legeret: *Quod ſi quis ad iſta ſtudia non modo ſacræ & exoticæ Hiſtoriæ cognitione, ſed etiam aliquanta Aſtronomici calculi & veteris Calendarii Hebraici notitia inſtructus acceſſerit: ut is non annorum tantum, ſed etiam dierum numerum ab Orbe condito jam tranſactum poſſit aſſequi; ego quidem inter χαλεπὰ, ſed non inter ἀδύνατα ponendum cenſeo;* ſibi hæc dicta putavit, ac non linguæ modo Hebraicæ, verum & calculi Aſtronomici probe gnarus, magno animo laborem hunc aggreſſus eſt, paulo ſerius licet, quam vellet, abſolutum. Quo factum, ut textus Hebraicus

sæpissime fuerit vindicatus ab objectionibus eorum, qui eum frequentis mutilationis ac alterationis numerorum accusarunt, contra Codicis Samaritani ac Versionis LXXviralis autoritas in iis, quæ textui originali repugnant, confutata. Enimvero prodierat ante paucos annos e schedis *If. Newtoni* Chronologia veterum Regnorum emendata, & ad Scripturam S. accommodata, quam sibi sperabat Noster admodum profuturam; ast mox animadvertit, Virum summum initium mundi nimis sero fixisse, quam ut cum rationibus Scripturæ conciliari posset, calculo parum operæ dedisse, & textus Hebraici expertem fuisse, quo inprimis illud spectat, quod Thammuz inter Reges Ægypti numeret, cum vox illa potius Solem denotet; hinc non modo Noster A. 1728 Animadversiones quasdam in librum *Newtoni* Anglice in 8 edidit, sed & Opus hoc tanto alacrius ad umbilicum deduxit. Hinc ergo collatis orientalibus Scriptoribus, *Sanchoniathone*, *Abul Pharagio*, *Elmacino*, *Eutychio* & *Josepho*, & examinata temporum, qualis apud Chaldæos, Græcos, Persas & Ægyptios fuit, ratione, nec neglecta ipsa Sinarum Chronologia, quantum ejus constat e libris Latinis Anglicisque, (quanquam meliora speret daturum eruditum quendam Romæ Missionarium, qui complures annos in China degens, Tabulas Chronologicas multa cura congesserit e Chinensium scriptis,) consideratis præterea Eclypsibus, *Amos VIII, 8, 9, 10* commemoratis, quas tamen accuratius expendere constituit Cl. *Whistonus*, denique tum civium suorum, *Usserii*, *Cumberlandi*, *Patrickii*, *Beveredgii*, *Kidderi*, *Lightfooti*, *Prideaux*, *Welles*, *Raleigh*, *Medi* & *Marschalli*, tum exterorum, *Bocharti* & *Hottingeri*, Operibus in consilium adhibitis, integram Historiam Vet. & Novi Testamenti inde a creatione ad canonem N. T. completam exposuit, ita quidem, ut prolixior esset in iis, quæ *Prideaux* non attigit, in reliquis sæpe eum sequeretur, & inprimis textum Hebraicum, ubicunque opus erat, stabiliret. His omnibus insertæ sunt suis locis Tabulæ Chronologico-Astronomicæ, majores, minores, quinquaginta, quibus calculus Autoris egregie confirmatur. Accessit appendix lectu digna de statura hominum antediluvianorum, & succincta historia

eorum,

eorum, quæ mox post diluvium accidere cum Monarchiæ Assyriacæ per Nimrodum fundatione. Ceterum qui librum hunc existimaverint mere Chronologicum, ea evolvant, quæ hic de loco Paradisi pag. 101, de forma & dimensionibus arcæ Noachicæ p. 142, de turre Babylonica & prima gentium dispersione p. 188, deque aliis longe pluribus, quæ ad illustrationem Scripturæ S. pertinent, passim afferuntur. Nobis quidem hæc summo digito indicasse satis fuerit.

A COMPLETE BODY OF DIVINITY.

hoc est,

SYSTEMA THEOLOGIÆ INTEGRUM,

V Partibus constans, e Scriptoribus veteribus & recentibus, iis inprimis, qui apud Anglos Theologi & Concionatores optimi existimantur, collectum.

Londini, apud J. Batley & T. Cox, 1729, f.

Alph. 10 pl. 20.

ETsi plurima, inter Evangelicos maxime, prostent Theologiæ systemata; pleraque tamen vel ex aliqua parte deficere vel abundare controversiis & distinctionibus, judicant Autores compilationis hujus anonymi, (quos inter quidem præcipuum memorari accepimus *Thomam Stakhouse*,) ita ut de nova methodo cogitandum omnino putarint. Inter Anglos quidem hactenus eo in genere *Eduardus* & *Fiddesius* eminuerunt, quorum ille tamen nimiæ prolixitatis & styli ingrati accusatur, *Calvino*que plane obnoxius censetur, in hoc vero lectio optimorum librorum, quibus Autori ob paupertatem carendum fuit, desideratur, etsi alioquin sermone utatur ingenioso & eleganti. Enimvero cum circa tempora restaurationis Regis Caroli II literæ melius efflorescere in Anglia, & Theologi rectius sapere cœpissent, inducti inter alia nequissimo libro, quem *Hobbesius* sub tit. *Leviathan* ediderat, ad quem examinandum opus erat principiis religionis atque omnis moralitatis evidentissimis, mox *Cudworthus*, *Whichcole*, *Wilkinsius*,

Morus aliique in aciem prodibant, quorum methodum deinde *Barrovius*, *Tillotſon*, *Stillingfleet*, *Patrick*, aliique, ac noſtris temporibus plures ſecuti ſunt, qui legatis *Boylii* & *Mayeriæ* excitati, ſermones ad populum de rebus Theologicis tum theoreticis tum practicis habuere. Horum plerumque fontibus opus hoc irrigarunt, quicunque ſint ejus autores, Viri certe eruditi ac ſolertes, qui capita fidei nobis in textu dedere pura ac ſine fuco, maximam ſimul Hiſtoriæ ſacræ partem exponentes; ſi quis vero difficilior Scripturæ locus occurreret, eum ſubjectis ex optimorum Interpretum ſententia notis illuſtrarunt atque explicarunt. Ut conſpectum aliquem demus, agunt hic Autores *Parte I* Cap. I de Religione in genere, C. II de exiſtentia Dei, C. III de revelatione divina, & quidem Moſaica, Prophetica, Chriſtiana, Apoſtolica, C. IV de S. Scriptura, ejusque canone, perfectione, excellentia, ſtylo & eloquentia, methodo denique & perſpicuitate, C. V de natura & attributis divinis, ſpiritualitate, æternitate, immenſitate, immutabilitate, unitate, vita item, cognitione, ſapientia, omnipotentia & felicitate, ſanctitate porro, bonitate, miſericordia & patientia, juſtitia, & veracitate, C. VI de Trinitate, cum hiſtoria dogmatis hujus luculenta; *Parte II* C. I de decretis divinis, C. II de Creatione in genere, ubi hypotheſes, Ariſtotelica, Epicuræa, Carteſiana, examinantur, C. III de creatione cœli & angelorum, ubi natura horum & exiſtentia, tum & bonorum & malorum officia conſiderantur, C. IV de creatione mundi viſibilis, ubi Theoriæ *Burneti* & *Whiſtoni* examinantur, Moſaica narratio de creatione expenditur, & ii, qui contra Moſen habent, quod excipiant, refutantur, C. V de creatione hominis ejusque modo, de imagine divina, & creationis fine, C. VI de divina providentia, ejusque documentis, & attributis, additis dubiis contra eam motis, iisdemque refutatis; *Parte III* Cap. I de rebus notabilioribus inde a creatione ad diluvium usque geſtis, ſcilicet de fœdere Dei cum Adamo, de hujus lapſu, de origine peccati, de cæde Abelis, & Enochi translatione, de longævitate Antediluvianorum, de eorundem religione, ejusque corruptione, C. II de memorabilibus inde a diluvio usque ad vocatio-

nem

nem Abrahami, ſpeciatim de turri Babylonica, confuſione linguarum, origine Imperiorum & ſtatu religionis, qualis tum fuit, C. III de memorabilibus usque ad promulgationem legis, ubi de excidio Sodomæ & metamorphoſi uxoris Lothi, de Iſaaco & Jacobo, de Joſepho & Jobo, de Moſe ejusque miraculis in Ægypto, de Iſraelitarum exitu ex Ægypto, & tranſitu per mare rubrum, C. IV de legibus Judæorum moralibus, Eccleſiaſticis & civilibus, ſigillatim de decem præceptis, C. V de rebus usque ad exſtructionem templi, ut de tranſitu Jordanis, de regimine Judicum, geſtis Gideonis, it. Samſonis, voto Jephthæ, Samuele & Prophetis, Saulis, Davidis, Salomonis rebus, C. VI de diviſione Regni usque ad finem captivitatis, ut de Elipha, Eliſcha & Eliſtra, de ſtatu Regnorum Judæ & Iſraelis, & de iis, quæ tempore captivitatis & poſt reditum Judæorum geſta ſunt, C. VII de rebus inde usque ad adventum Chriſti atque adeo de ſtatu Judæorum ſub Maccabæis, de ſecta Judaica, ejusque origine, deque ſtatu Judæorum ſub Romanis, C. VIII de ſtatu Religionis, idololatriæ nimirum & polytheismi gentilium, tum veteri tum moderno, deque eorum principiis ſanioribus. *Parte IV* C. I de natura Novi Fœderis, deque ejus conditione, de Mediatore porro, Sacramentis, Baptismo & S. Cœna, C. II de humiliatione Chriſti, ubi de vita ejus, morte & deſcenſu ad inferos, C. III de Chriſti exaltatione, aſcenſione in cœlum & ſeſſione ad dextram Patris, C. IV de vero Meſſia, Jeſu Chriſto, quo in Capite Noſtri ſæpe *Kidderum, Jenkinſium, Stanhopium*, aliosque cives ſuos eruditos cum fructu ſecuti ſunt, C. V de voluntate Chriſti Apoſtolis manifeſtata, C. VI de dono & gratia Spiritus S. C. VII de ſtatu animæ poſt mortem & reſurrectione corporis, C. VIII de futuro judicio & ſtatu æterno felicitatis aut miſeriæ, adeoque de cœlo & inferno; *Parte V* C. I de officio hominum erga Deum, C. II erga proximum, & C. III erga nos ipſos. In his omnibus nihil reperias, quod non ſumma eruditione conſcriptum ac lectu perquam jucundum ſit, adductis quippe ubique, præſertim in notis, & expenſis ſingularibus Autorum ſententiis, nec omiſſis ornamentis, quæ ex Patribus, imo & profanis ſcriptoribus, Poetis inprimis, accedere

poterant. Acceſſit duplex Index, alter rerum, alter locorum Scripturæ illuſtratorum & explicatorum. Ceterum ſpeciminibus afferendis ſuperſedemus, ne nimis videamur prolixi.

FRANCISCI FABRICII FIDES CHRIſtiana Patriarcharum ac Prophetarum, exhibita Diſſertationibus novem Philologico-Exegeticis ad ſelectos textus V. & N. T. Adjectæ ſunt calci duæ Orationes, prior, de Scholis Prophetarum, altera, de Scriba edocto in regno cœlorum.

Lugd. Batav. apud Samuel Luchtmans, 1730, 4.
Alph. 3 pl. 18.

PErtexuit nunc telam celeberrimus Autor, quam aliquot abhinc annis orſus erat. Cum enim in id incumberet, ut oſtenderet, *Chriſtum*, Dominum noſtrum, perpetuum fuiſſe Eccleſiæ fundamentum; tres omnino Commentationes eo pertinentes in lucem edidit. Earum prima, *de Chriſto unico ac perpetuo Eccleſiæ fundamento* inſcripta, Patriarchas antediluvianos, Adamum, Evam &c. fiduciam in Chriſto poſitam habuiſſe evincit. Altera, cui titulum fecit *Chriſtologia Noachica & Abrahamica*, idem de Patriarchis poſtdiluvianis demonſtrat. His nunc accedens tertia manifeſtum facit, Patriarchas reliquos, *Iſaacum* & *Jacobum*, nec minus Prophetas, nominatim *Moſen*, *Jeremiam* & *Zachariam*, fidem in Chriſtum, illuſtribus oraculis editis, teſtatam feciſſe & urſiſſe. Eodem vero ingenii, doctrinæ, & induſtriæ apparatu inſtructus in hac tertia parte verſatur Vir doctiſſimus, quem in prioribus illis enarrandis ex merito prædicare nos in Actis A. 1729 menſe Januar. p. 17, & in Supplem. T. VIII p. 330, meminimus. Diſſertatio itaque I exponit de Benedictione Iſaaci in filios ſuos, ex *Geneſ. XXVII, 1 ſqq.* comparato cum *Hebr. XI, 20*, ita quidem, ut appareat, in illa contineri bona naturalia tria, civilia duo, & inſuper ſpiritualia; quæ & ipſi Judæi agnoſcant. Hac occaſione p. 12 illuſtratur locus *Hebr. XII, 17*, ubi de Eſavo dicitur: *μετανοίας τόπον οὐχ εὗρε*, quæ verba non ad Eſavi pœnitentiam aut reſipiſcentiam, ſed ad *mutationem ſententiæ*, quam Eſavus apud Patrem

Patrem frustra quæsiverit, rectissime referuntur. Hanc enim Græcæ *Φράσεως* vim esse, similia scriptorum Græciæ & Latii loca, ab aliis & a Nostro quoque allata, evincunt. Differt. II *Scalam Jacobi, Genes. XXVIII, 10–19* descriptam, contemplatur. Visio illius, judice Nostro, in universum ad consolationem Jacobi pertinuit, speciatim vero Messiæ personam & officium adumbravit, id quod ex Theologorum quorundam consensu, variis rationibus, testimonio ipsius Christi *Joan. I, 52*, ac denique ex convenientia Christi & scalæ deducitur. Eadem opera obiter bætylia veterum ex prava imitatione Jacobi, monimentum lapideum Bethele statuentis, orta esse adstruit, quemadmodum *catenam* Homeri *auream*, & *germen palmæ*, cum quo Ulysses apud eundem Nausicaam comparat, ex eadem scala fictum esse, ceu alii, interque hos *Crœsius*, tradiderunt, inficiatur. Differt. III *Luctationem Jacobi* considerat ad ductum *Genes. XXXII, 24–30*. In ea Jacobus *Israelis* nomen accepit, cujus origo, ceteris, quas alii afferunt, rejectis, ex vocibus אל & שרה repetitur, eo sensu, ut Jacobus dicatur *Principem se gerens erga Deum*, opposite ad nomen vilius Jacobi, quod *supplantatorem* & quasi deceptorem denotabat. Luctam ipsam non exstaticam vel in somnio factam, quam *Josephus*, Judæi, Patres, & cum his *Calvinus* statuunt, sed realem fuisse, Noster tribus omnino argumentis, confutatis simul dissentientium rationibus commonstrat. Angelum cum Jacobo colluctantem non *Michaelem*, nec *Gabrielem*, nec *angelum* Esavi tutelarem, sed *angelum fœderis*, sive Messiam, filium Dei, a Judæis nonnullis hic agnitum, interpretatur. Lucta ipsa proxime quidem repræsentavit triplicem victoriam, Jacobi ab Esavo, posterorum ejus a Cananæis sub V. T. & eorundem ab Edomitis sive Romanis, postremis diebus reportandam; typice vero luctam Christi & post eum Ecclesiæ. Ad Christum enim pertinere evincitur tum ex Jesaia, a quo Christus & alias, & *Cap. XLIX, 3, Israel* vocatur, tum ex Christi testimonio *Luc. XXIV, 26, 27*, affirmantis, Mosen de se ut patiente & glorificato vaticinatum esse, id quod nullibi, nisi in hac historia, a Mose factum esse cum *Vitringa* Noster statuit p. 146. Exercitat. IV

agitur

agitur *de Propheta, ſicut Moſe*, ad *Devteron. XVIII, 15.* Hic, explicata primum Moſis præ reliquis Prophetis præſtantia reſpectu Prophetiæ, miraculorum & dignitatis muneris, ſolicite & curate inquiritur in Prophetam, qui Moſi par futurus hic dicatur. Atque is non fuit omnis Prophetarum chorus, nec *Joſua*, nec *Jeremias*, nec reliquorum Prophetarum unus, ſed *Meſſias*. Hoc ut credamus, perſuadent Petrus & Stephanus *Act. III, 21*, & *VII, 37*, conſenſum Eccleſiæ Judaicæ palam ſupponentes, loca per univerſum Evangelium hinc inde ſparſa, Moſis ſcopus & argumentatio, item prædicata ſeptem Prophetæ illi a Moſe tributa, quæ omnia in Meſſiam egregie quadrant. Eum vero Moſi parem imo ſuperiorem fuiſſe, allatis variis argumentis, non ſine interjecta Judæorum repugnantium confutatione, ſolidiſſime conſtabit ex iis, quæ Noſter per integram hanc Diſſertationem a p.163-ad 302 decurrentem cumulate producit. Diſſertat. V *Meſſiæ Germinis gloriam* explicat ex *Jerem. XXIII, 5, 6*, ubi in eo multus eſt, ut appareat, prædicata omnia h. l. expoſita non niſi in Meſſiam cadere, & in eodem implementum inveniſſe. Legitur illa inde a p. 305 ad 387. Diſſertat. VI p. 390—425, *magnificum ac dominatorem Iſraelis, tanquam ſacerdotem appropinquaturum ac ſponſurum cum corde ſuo ad Deum* ſiſtit ex *Jerem. XXX, 21.* Summa eſt, ut, expoſito verborum ipſorum ſenſu, conſtet, & Meſſiam hic indicari, & in eo totius vaticinii implementum inveniri. Diſſertatio VII, usque ad p. 525 deducta, *Virum Germen, una Regem & Sacerdotem in throno* ex *Zachar. VI, 12* & *13* delineat, atque ea partim in compendio exhibet, partim novis quibusdam obſervationibus locupletat, quæ *Dan. Cramerus*, *Jac. Altingius* & *Jo. Marckius* in idem Zachariæ oraculum alias ſunt commentati. Inter cetera diligenter p. 509, excutitur notio nominis divini in ſacris V. T. tabulis frequentiſſimi *Jehovah Zebaoth*, & diſputatur, re in medio relicta, an non per modum appoſitionis ita verti poſſit, ut denotet *Dominum, qui ipſe eſt exercitus*, vel, *qui ipſe eſt tempora definita*, quemadmodum *Origenes, Hieronymus, Reuchlinus*, & *Altingius τὸ Zebaoth* pro nomine Dei proprio habendum voluerunt. Succedunt his Diſ-

Dissertat. VIII & IX, ad aliud quidem argumentum pertinentes, sed dignæ, quæ legantur. Prior illa refertur ad illustrationem *Habac. II, 3, de duratione Visionis*, in qua sigillatim eluduntur Judæorum de adventu Messiæ dilato effugia. Posterior *Jesu Nazareni ex familia Davidis ortum* in luce & tuto collocat ex confidentia Historiæ Evangelicæ, ex hostium provocatorum silentio, ac denique ipsorum Judæorum, *Aben Esræ*, corporis Talmudici & *Dav. Ganzii* confessione; tela vero adversantium Judæorum retundit. Calcem Voluminis occupant duæ Orationes, a præstantissimo Autore, cum Rectoris Academiæ munere abiret, publice dictæ & alias in lucem editæ. Earum altera *de Scholis Prophetarum* ex sacro Codice & Hebræorum antiquitatibus, altera *de Scriba edocto in regno cælorum* ex *Matth. XIII, 52*, commentatur.

SOLOECISMI DISCIPULORUM JESU Christi per amorem veritatis divinæ a LUTHERO restitutæ antiquati.

Coburgi, typis Maur. Hagenii, 1730, 4.
Plag. 16.

AUtorem libelli non stilus modo, & similitudo cum reliquis ejus scriptis, sed alia etiam indicia manifestiora, produnt Virum Max. Rev. & plus semel nobis laudatum *Jo. Conradum Schwarzium*, de Coburgensibus musis, quin de literis universis præclare meritum. Non frustra susceptam ab illo post *Stolbergium* hanc provinciam, loquuntur omnes paginæ. Agit primo Capite de natura Solœcismi, quam hac definitione comprehendit, *est inscita quædam distortio illius ordinatorum verborum constructionis & significationis, quam extra vehementiores animi motus sana ratio ex consuetudine doctorum honestiorumque hominum diligenter observata curiose approbat.* Distinguit deinde in *sanabilem* & *insanabilem*, in *voluntarium* p. 11.
& *temeritati atque casui vel etiam cuidam necessitati proprium*. *Voluntarium* vel *doctum & sapientiæ plenum* ait, vel *inertem, fallacem, inscitum*. Peccat ex sententia Autoris nostri 12.

Solœcismus etiam per *plebejum & invenustum usum verborum*
p. 16. *singulorum.* Post hæc & plura generalia, observat, qui scriptoribus sacris tribuantur Solœcismi, eos esse ex illo genere omnes, quos *sanabiles* supra dixerat. Sententiam suam de illorum genere dicendi, & simul fontem eorum, quæ σολοικίζειν quibusdam videntur, ita aperit: *satis habebant res quasque simpliciter & vulgarem in modum explanasse, – perpetuus eis cum quibuslibet hominibus intercedebat usus. Si quis igitur dicendi formulas usu tritas & communiter probatas inde a pueritia animadvertisset, eas ipsi quoque haud dubitanter usurpabant. Retinebant autem libenter illud sermonis genus, quod Alexandrinis & ceteris Macedonibus in Oriente usitatissimum erat, — ceteris quidem Græcis dictio illa peregrina videbatur: sed ipsa illa peregrinitas habebat aliquid ad discriminandum & commendandum gratiæ & opportunitatis. Attica enim sapientia propter quæstiunculas inanes & frivolas, quibus cuncta constare vulgo jam putabatur, invisa & ingrata erat. In hac igitur dicendi ratione non magis errare & labi potuerunt, quam Livio facile fuit Patavinitatem suam oblivisci & devitare.* Cap. 3 redit ad generalem de Solœcismis doctrinam, & causas efficientes hujus vitii eleganter & a-
20. cute proponit. In his superbiam quorundam Philosophorum commemorat, & locos *Senecæ* duos, Ep. 75 unum, alterum 115, quibus satis contemtim de cura in dicendo & scribendo loquitur, ita proponit, ut subjectis annotationibus concinne respondeat. C. 4 agit de fine & consiliis eorum, qui Solœcismos scriptis suis inserunt; C. 5, quantum vitium sit solœcismus; C. 6 de criminatoribus Solœcismi, & rationibus, quæ ad criminandum adducant; C. 7, quantum vitium sit eorum, qui Solœcismos tribuerunt scriptoribus sacris; C. 8 de ineptis rationibus defendendi Solœcismos scriptorum sacrorum. Huc refert illam, *cum scriptores sacri verba Græca ad Syriacam construendi rationem accommodasse dicuntur, & Syriaca cogitata verbis Græcis expressisse.* C. 9 de propriis & justis remediis Solœcismorum. Hæc sunt, 1 interpunctio sana, 2 vehementia affectuum, præsertim parentheses, 3 considera-

tio

tio temporum, 4 ipsa dictio & autoritas contraria præceptionibus Grammaticorum &c. C. 10 de scriptoribus sacris, qui Solœcismorum accusantur. Hic de charactere animi & orationis eorum observationes habet, v. g. *Lucas*, inquit, *verbosior* p. 51.
est, & cum commendatione artis *sua verbosior fuit. Medicus enim cum esset, quod hominum genus medicamentorum usum & pene vim facundia sua vi adjuvare necesse habet; belle videtur hanc & exercitationem dicendi ad professionem Christiana disciplina transtulisse.* De Paulo, – *Non igitur ne in Pau-* 54.
lum quidem solœcismi cadet suspicio. Sed si tamen parentheses, graviorum sententiarum insignia & comites, altiorumque meditationum contentio, animi pie ferventis impetus abruperint nonnunquam id, quod cœptum erat paulo aliter; non ea vitiositates putanda sunt, sed germana eloquentia nota & indices. Petrus sanguineus fuit & cholericus, — quam ob rem jam ante, quam scripta ejus perlustraverimus, spe licet pracipere coharentiam quandam, & elegantiam scriptura &c. Jacobus, Hieronymo teste, de utero matris sanctus fuit, vinum 55.
& siceram non bibit — Homo autem tanta moderatione animi non potest non cobarenter & belle scribere. Addit similia 56.
præjudicia e dono linguarum, temporibus, quibus vixere, disciplina magistri, quod, ad Græcos cum scriberent, veniam peregrinitatis non petiere. Hinc quam late Græcæ linguæ usus 57.
patuerit in ipsa etiam Palæstina, conatur ostendere, in quo argumento satis copiosus est. Non æque firmas esse omnes viri doctissimi rationes vel hoc exemplo patet. *Mercatores fe-* 64.
re plures una lingua callent — discipuli Jesu piscatores — necesse habebant exercere mercaturam quandam &c. Jose- 65.
phus eloquens & literatus prædicatur ab omnibus; hujus autem orationi similem esse discipulorum Jesu orationem ostendit magna sane & luculenta inductione. Idem de LXX Interpretibus observat. C. 11 continet admonitiones generales de propriis Grammaticorum vocabulis & inventionibus. Pleræque eo pertinent, uti teneamus Grammaticorum præceptiones posteriores esse & inferiores usu ipso autorum. Illud et- 75.
iam huc retulit, *hominibus nostris non satis notam esse Attici*

 ser-

sermonis naturam & rationem, quos ait *a sermone neglectiore nequaquam abhorrere, quotiescunque commoditati lectorum & scribentium inserviendum sit.* Jam demum ad specialissima descendit, agitque C. 12 de vero usu pronominum ἔτος, αὐτὸς, ἐκεῖνος &c. ubi eleganter incipit: *Omnium necessitatum subsidium, omnium periculorum socium, omnium morborum remedium habent Attici pronomen ἔτος. Quamvis temere & incuriose exorsi sint sententiam quandam, nihil tamen solicitudinis, nihil anxietatis animadvertes. Pronomen ἔτος explicat difficultates omnes &c.* C. 13 de artificio liberandi locos, ubi genera nominum inter se pugnare videntur; C. 14, ubi casus discrepare videntur; C. 15 de arte defendendi discrepantiam numerorum; C. 16 casuum & numerorum simul incidentem; C. 17 de Solœcismo generis & numeri expuncto; C. 18 de Solœcismo temporis; C. 19 modorum, confutato; C. 20 de discrepantia personarum, autoritati scriptorum sacrorum innoxia; C. 21 exempla σολοικοφανῶν per interpunctionem & præsertim parentheses sublatorum; C. 22 de sanandis Solœcismis per veram & idoneam constructionem; C. 23 de ellipsi Solœcismorum deletrice. Hæc omnia exemplis, propter quæ scilicet ipsæ classes inventæ sunt, declaravit Vir doctissimus, quorum specimina huc afferenda essent, nisi jam longiores, quam pro modo libelli atque instituti hujus ratione, fuissemus. Illud quidem promittimus Lectoribus, si non probaverint omnes omnia, tamen uberem cogitandi materiem ipsis nascituram. Unicum proferamus, in quo difficilis videtur Solœcismi defensio, *Apoc. I*, ubi verba καὶ ἀπὸ Ἰησῦ Χρισῦ, quæ versum incipiunt, ad præcedens interpunctum refert, & ita deinde pergit: ὁ μάρτυς ὁ πισὸς, ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτῦ καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτῦ, ᾧ ἡ δόξα κ. τ. λ. *Testis ille fidelis, primus excitatorum ab inferis & princeps Regum terræ*, (huc usque subjectum) *ei qui amavit nos, & a peccatis nostris sanguine illius* (non suo) *lavit,*

p.104.

lavit, etiam nos Deo & patri suo reges & sacerdotes effecit, cui sit gloria &c. Quemadmodum his, quæ parenthesi inclusa inculcavimus, sententiam Viri Max. Rever. aperire studuimus, ita religio fuit ordinem verborum immutare, qui clarior videtur, si legamus, *ei, qui amavit nos & — lavit, Deo & patri suo, etiam nos &c.* ut conjungantur Dativi, Deum patrem designantes, cui nos sacerdotes & Reges fecit Jesus Christus. Desinemus, cum ex Epilogo Viri doctiss. protulerimus verba, quibus novi spem Operis facit. *Collegi*, inquit, *a multo jam tempore, quæ ad immutandam multorum opinionem de scripturis divinis conducere posse putem: sed alibi ea commodius legi existimo. Ac tum non modo veros solæcismos veterum scriptorum politissimorum proferam, sed plura etiam subsidia defensionis eorum, quæ speciem modo pravitatis & distortionis habent, proponam.* Otia, quæ ad eam rem optat Vir doctissimus, contingere illi & nos velimus, ut destinata perficiat, cum hoc etiam libello, quam diligenter & accurate in Græcis scriptoribus legendis versari soleat, & quam multa proinde præclara ab ipso expectari queant, ostenderit.

THE VILLA'S OF THE ANCIENTS ILLUSTRATED by ROBERT CASTELL.

i. e.

ROB. CASTELLI VILLÆ VETERUM illustratæ.

Londini, sumtibus Autoris, 1728, fol.

Alph. 1 pl. 12 & Tabb. æn. 11 maj. non computatis ornamentis, passim initio & fini adjectis.

CUm statuerit Autor *Vitruvium* transferre Anglice & explicare; hanc quasi præexercitationem aut promulsidem esse, quod docet in Præfatione, voluit. Cumque parcus sit in hoc argumento *Vitruvius*, adhibuit ex rei rusticæ antiquis scriptoribus præcipue *Varronem*, qui curatius de villa disputasse videtur; tum *Plinii* junioris descriptiones villarum suarum. Ac *Plinianas* quidem epistolas tum Latine tum Anglice interuit

Operi suo, Varronis autem, & quædam *Columellæ Palladii*que, tantum Anglice. Ceterum hæc illi divisio placuit, ut prima Parte agat de *villa urbana*, cui necessaria suppeditentur ex vicinia: altera de *villa rustica*, ea etiam adjuncta membra habente, quæ ad agri & pecoris cultum pertinent: tertia de alio genere villæ rusticæ, ubi ea, quæ modo diximus, membra tantum remota sunt a diæta domini & hospitum, ut nihil molestiæ aut nauseæ afferant, sed commode tamen necessaria omnia subministrent. Primo igitur loco occurrit *Plinii* junioris L. II Ep. XVII, qua *Laurentinum* suum describit. Hic verbis autoris Anglica translatio respondet e latere, subjectis in singulas paginas notis brevioribus, quibus vocabulorum Latinorum ratio redditur, & deinde longioribus ad architectonicam rationem pertinentibus. Altera Pars fere locis *Varronis*, *Columellæ*, *Palladii*, inprimis tamen *Varronis*, constat, quibus illi præcepta villæ rusticæ condendæ omniumque ejus membrorum tradidere. Tertia primæ similis est, quippe quæ interpretatione Anglica & duplicis generis annotationibus in *Plin.* L. V Ep. VI contineatur. Jam illud generatim de Autore videmur nobis observasse, architecturæ illum hodiernæ, & artis delineandi, quam linguæ & antiquitatis Rom. esse peritiorem, & ea ipsa causa nescimus, an agniturus sit villas suas *Plinius*, si elegantes oppido illarum διαγραφὰς ab Autore nostro elaboratas, vel illas ipsas ad illius præscriptum exædificatas videret. Ac *Plinianas* quidem villas tum cum ipsius autoris descriptione, tum cum *Felibenianis Lancisianis*que observationibus (quarum neutras adhibuisse videtur Noster, nusquam certe laudat,) comparandas aliis relinquimus, contenti in præsentia speciminis quasi causa *ornithonem Varronis* paullo curatius inspicere ex RR. L. III, Cap. V, ubi illud quidem statim observamus, multo accuratiores esse *Castelli* delineationes ea, quam a *Pyrrho Ligorio* acceptam Splendori veteris Romæ *Laurus* inseruit, ac repeti inde jussit in Antiquitate explicata *Montfauconius* T. III P. I, cujus nec ipsius Noster mentionem facit: sed sunt tamen pluscula, in quibus discedere a *Varrone* atque a veritate videtur. V. g. totum ornithona comparaverat *Varro tabulæ literariæ*

cum

cum capitulo: capitulum illud *tholum* esse, deinde significat: quadratam autem sive oblongam partem piscinis & porticibus assignat: & aperte, si bene rem consideres, incipit ab ea parte ornithonis, quæ est a tholo seu capitulo remotissima. Verba, quibus inchoat descriptionem, hæc sunt: *Ad hac ut quasi in margine infimo tabulæ descripta sit ambulatio, ab ornithone plumula, in qua media sunt caveæ, qua iter in aream est.* Hic *plumulam* (quam vocem corruptam ex numeris, & positam pro *P. IↃCCCC via* existimamus post *Scaligerum*,) interpretatur ingeniosus Autor areolas aut vias potius, buxo divisas, & in nomina, figuras item animalium, aut aliarum rerum, descriptas, quas Galli *Parterre* vocare solent. Interpretationis hujus fundum ponit *Salmasii* observationem ad *Vopisci* Carinum (p. 850 sq. *Hack.*) ubi is de *plumandi* arte, *plumariis* artificibus, *plumatisque vestibus* disputat. Simili igitur artificio pictas areolas *plumulam* dici arbitratur Cl. *Castellus:* quod quidem ejusmodi est, ac si quis *plumulam* pro *veste plumata* dici vellet. Deinde collocat illam, si omnino ita videtur, plumulam circum ipsum tholum, & per illam iter in aream machinatur circulare, cum hic aperte de infima parte ornithonis, ambulationi ac flumini obversa, sermo fit, ac de ingressu ordinario per caveas ornithonis. Pergit *Varro*, *in limine* (quo venitur per caveas) *in lateribus dextra & sinistra porticus sunt primoribus columnis lapideis intermediis arbusculis humilibus ordinatæ, cum a summa macerie* (qua continetur area ornithonis ac piscinæ oblongæ,) *ad epistylium* (columnarum eo ipso inter se conjunctarum) *tecta porticus sit rete cannabina & ab epistylio ad stylobatam* (itidem tecta sit.) *Hæ* (porticus) *sunt avibus omne genus oppletæ.* Apparet, porticus velle *Varronem* includi inter maceriem utramque, qua continetur quadrata vel oblonga pars ornithonis. Ita ut alterum latus cavi illius, in quo sunt aves, constet maceria, alterum autem reti columnis & arbusculis prætensa, pro tecto sit itidem retis cannabina. Jam quid *Castellus?* pingit ad ingressum inferiorem ornithonis, (a quo iter illud per caveas removerat,) duas columnationes quadratas, nusquam clausas macerie. Macerie autem


tem nuda includit longa duo latera areæ & piſcinarum, quo nihil magis queat eſſe a ſententia *Varronis* alienum. *Falere* in hoc *Varronis* ornithone uſum præſtare *ſtibadii*, & ſterni accumbentibus convivis, certum eſt, ſed tamen falſum eſt, quod ponit *Caſtellus*, *falere* eſſe *ſtibadium*. Mentionem culcitæ facit *Varro*, e lapide cæſæ, inſtar tori majoris de ſtylobata procurrentis. Hic Noſter mira de culcita docet, ex alio *Varronis* loco male intellecto. Vult nimirum, *culcitam* fuiſſe locum poſt convivas, in quo miniſtratores ſtarent, tegete vel tapete ſtratum, vel alia denique re, *quæ calcaretur*, ab *inculcando* enim *culcitam* dictam. *Varronis* verba ſunt de LL. IV p. 40, ubi de lectorum generibus agit, & in his de culcita, *quod in ea*, inquit, *ſagum, aut tomentum, aliudve quid calcabant, ab inculcando culcita dicta.* Non attendit igitur Cl. *Caſtellus*, *calcare* & *inculcare* eſſe farcire, etiam manibus, quod in rei ruſticæ Autoribus non ſemel occurrit; & hic plane præter rem proſpexit locum miniſtratoribus, cum uni puero operam rotæ circumagendæ ipſe *Varro* delegarit. De his omnibus judicare poterunt, qui volent, ſi verba *Varronis* conferre voluerint


TAB. I. cum delineationibus, quas adjungere viſum eſt. Hic *Figura*

Fig. I. *I* exhibet deſcriptionem totius ornithonis *Caſtellianam*, quam verbis ipſius Autoris Latine verſis hic declaramus. Igitur *a* ſunt maceriæ duæ altæ, *b* ambulationes circa ornithonem, *c* area interior, *d* plumula (quam vocat Autor *Parterre*) *e* caveæ in plumula, (*Alcoves in the Parterre*) *f* iter e caveis in aream, *g* piſcinæ, *h* ſemita inter piſcinas, *i* porticus, *k* ichnographia tholi, *l* ſtagnum, *m* margo ſtagni, *n* inſula cum menſa, circa quam menſam *o* falere, *p* ſpatium avibus recipiendis, *q* ſylva manu ſata.

Fig. II. *Fig. II* eſt ichnographia noſtra, ſatis ipſis verbis adſcriptis declarata.

Fig. III. *Fig. III* ſcenographiam tholi ex mente *Caſtelli* exhibet, cujus partes declaramus eo modo, quo figuram I. Nimirum *a* exteriores columnæ lapideæ, *b* interiores parvæ ex abiete, *c* rete inter columnas exteriores, *d* rete obductum columnis interioribus, *e* perticæ inter columnas, ſedilia avium, *f* lapis ſive





Krügner sc.

ſive murus faleri impoſitus a poſteriore parte, *g* falere ſive ſtibadium ſemicirculare, *h* culcita, ſive ſpatium, in quo ſtarent & circumirent miniſtrantes, *i* anatum ſtabula ſub faleri, *k* ſtagnum intra falere, *l* inſula, in qua menſa, *o* tholus, *p* horologium, *q* Lucifer horam ſignans, *s* machina vento verſatilis, intus ventum indicans, *t* ſtylobates columnarum, *u* margo ſtagni.

Fig. IV eſt ſcenographia inferioris tholi partis, qualis fuit de ſententia noſtra; in qua non quidem exactiſſima dimenſionum omnium ratio habita eſt, quem defectum ſupplere ſtudioſis harum rerum non erit difficile. Sed mentem *Varronis* ſatis dilucide ita ob oculos poni ſperamus; quod clarius forte non ita multo poſt patebit, cum prodierit nova, quam diu ſatis hæc urbs parturivit, Scriptorum rei ruſticæ editio. Deſignant autem literæ adſcriptæ iſta. *a* Inſula, e qua axis menſam ſuſtinens ſurgit, *bb* ſtagnum ſ. fons inſulam circumfluens, *cc* margo pedalis ſtagni, *de* ſuggeſtum faleris, ubi ſunt *περιπετάσματα*, *f* navalia, *g* culcita, *eh* latitudo faleris, in quo accumbitur, *i* axis rotam ſuſtinens, *kk* orbile rotæ, menſæ vicem præſtans, cavum tympani inſtar, *ll* epitonia vel epiſtomia, *mm* columnæ interiores ex abiete tenues, *nn* columnæ exteriores lapideæ, *oo* mutuli, quibus impoſitæ perticæ intus formant θεατρίδιον avium. Fig. IV.

De Autore noſtro obſervamus, illum aliis etiam in locis prodere operam, non ſatis diligenter, non nimis certe feliciter, in linguæ & antiquitatis Romanæ ſtudiis poſitam. Ut enim taceamus, *abſida* vel *apſida* ter, h. e. quoties occurrit p. 6, *aſpida* ſcribi, quod operarum forte peccatum eſt, (quanquam nulla ejus mentio fit in indiculo erratorum, ubi multo minora annotantur,) & aſtronomicam tantum ſignificationem poni, prætermiſſa fere architectonica altera, de qua tamen proprie ſermo eſt; p. 3 verba *Plinii, villa uſibus capax, non ſumtuoſa tutela*, vertit, *my villa is large enough, to afford a convenient tho' not ſumtuous reception for my friends*, ubi nihil de *tutela* ſ. ſartis tectis, illud de amicis excipiendis præter rem infercitur. Quam bene p. 4 villæ *Plinii vitreas feneſtras* ab iis, quas e ſpeculari lapide tum parabant, diverſas, tri-

buat, ipse viderit; quemadmodum illud, quod automaton putat illud horologium in tholo *Varronis* descriptum. Hoc quidem suspicionem facit, non satis diligenter lecta ab eo, quæ frequenter *Horatius*, majorque *Plinius*, de vino infumato habent, vel de apothecæ positione ipse *Columella I*, 6, quod apothecam ideo negat vino destinatam p. 9, quia in alto collocata sit. P. 92 est locus *Plinii: Vides, quot versibus Homerus, quot Virgilius arma hic Æneæ, Achillis ille describat: brevis tamen uterque est, quia facit, quod instituit.* Ultima verba Noster ita vertit, *because themselves invented, what they described;* cum hæc sententia sit, eo non longos esse, quod propositum presserint, & nihil alienum ab instituto admiscuerint. Ibid. *nulla necessitas togæ, nullus arcessitor ex proximo*, ita transfert, *there is not occasion of the Gown, nor am I troubled with Visitors;* cum neget *Plinius*, se avocari in urbem officii causa, quod in suburbanis frequens erat. Tandem cum prædicat salubritatem villæ his verbis, *usque adhuc neminem ex iis, quos eduxeram mecum, ibi amisi*, interponit verba deprecandæ & placandæ Nemeseos causa & fascini cujusdam avertendi, *sit venia dicto*, ut nostri, *ich will es zur guten Stunde geredet haben!* Hæc noster reddit, *pardon the expression*, quasi ab amico verbi modo audacioris veniam peteret. Hic liber igitur juvabit eos, qui de villis veterum utcunque cognoscere, & simul, quod oculis gratum sit, intueri volent; qui quidem paullo accuratius edoceri cupiunt, his aliis libris & magistris opus est. Nos ista observare e re Lectorum nostrorum duximus, *ἵνα μὴ συναρπασθῶσιν ὑπὸ τῆς Φαντασίας*, & illud optamus, ut, si progredi ad ipsum *Vitruvium* Autori placuerit, in consilium adsciscat virum linguæ Latinæ & antiquitatis peritum, qui intercedat, ne chartarum augusta magnitudo & typorum nitor in Opere non satis emendato consumatur.

تاريخ سياح

h. e.

CHRONICON PEREGRINANTIS.

Con-

Constantinopoli, 1142, seu 1728, 4.
Alph. 1 pl. 2.

MEretur omnino liber hic, unus ex tribus illis, quos Constantinopoli in typographica officina, nuper instaurata, excudere cœperunt, velut insigne monimentum, Actis nostris ad perpetuam rei memoriam inseri, ac sive argumenti, quod tractat, novitatem ac jucunditatem, sive styli Turcici venustatem ac elegantiam spectes, commendatione nostra dignissimus est. Autor in Præfatione *Ibrahimum* vel *Abrahamum* se vocat, & membrum collegii eorum, qui *Mutefarraka*, seu stipendiati Imperatoris appellantur, ac librum hunc, ex Latino quodam Opere, a se confectum esse perhibet. Historiam recentis belli Persarum cum Aghwanis rebellibus complectitur, quam ex eo breviter more nostro in præcipuis momentis delineabimus. Nempe præmissis aliquot Sectionibus Regum veterum Persidis historica & chronologica recensione, ex annalibus Turcicis emendata, usque ad ultimum Regem *Husseinum* protracta, Sectione nona Regnorum Persiæ numerum subnectit. Capite decimo gentis diu ignotæ, Aghwanæ scilicet, originem describere incipit, ac de ejus rebellione, & ex Candahar in Persicas regiones irruptione præfatur. Capite 12 & 13 ac sequentibus urbem Candahar ejusque varia fata exponit, simulque distantiam illius a sede regia Ispahan ostendit. Cap. 18 Res *Mir Avis*, vulgo *Miri Weis* dicti, persequitur, ac sequentibus, ubi adventum ejus in urbem Ispahan, iter sacrum Meccanum, quæstiones ejus doctis Hegiazensibus propositas, ac reditum ex eo itinere enarrat. Capite 23 legati Moscovitici adventum in Persiam memorat, ac ea occasione reditum *Mir Avisi* in urbem Candahar tentatum. Cap. 26 & sequentibus occupatio Imperii in urbe Candahar per vim ac fraudes ab illo suscepta describitur, & Capite 33 mors ejus indicatur. Cap. 34 & 35 Mahmoudi successionem in locum ejus declarat, ac in sequentibus aliquot, de Persis, rebellem hunc domituris, ab eo fugatis ac devictis agitur. Cap. 42 & 43 obsidionem urbis Kirman ejusque eventum refert. Cap. 44 & sequentia supremi aulæ Persicæ Ministri,

Athematdaulet vulgo nuncupati, per æmulorum insidias oppressi, fata, objectiones illorum ac hujus responsiones continent. Cap. 48 signa cœlestia & terrestria, quæ in regno Persico apparuerunt ceu futuræ calamitatis nuntii, enarrantur. Cap. 50 cum sequentibus exercitus Mahmudi adventum in vicinia urbis Ispahan, ac res in Giulfa & Farhabad gestas, aliasque Aghwanorum cum Persis velitationes describit. Capite 47 seqq. historia principis Regii *Tahmaspi*, vulgo *Thamas* dicti, traditur. Cap. 70 & sequentia, quid porro in urbis obsidione contigerit, famem ingentem, numerum ea mortuorum & gladio occisorum, traditionem diadematis & sceptri regii a rege *Husseino*, expugnationem urbis Ispahan, aliaque inter Aghwanos & Persas acta, commemorant. Capite 88 seqq. furoris Mahmudi initium, principum regiorum interfectio, & morbus ejus singularis exponitur, ac Capite 92 occisio ejus ab *Eschrefo* jussa, sequenti vero descriptio dotum corporis ac animi Mahmudi continetur. Cap. 95 cum sequentibus historiam *Eschrefi*, successionem nempe in locum Mahmudi, beneficia Regi exhibita, principum regiorum a Mahmudo interfectorum in urbe Kom sepelitionem, oblationem sceptri regii simulatam, matrimonium ab *Eschrefo* cum filia Regis initum, missionem legati ad principem *Tahmasp* insidiosam narrat. Caput sequens, historiam fratris *Eschrefi* & *matris* Mahmudi complexum, libro finem imponit.

Singula vero copiosius ipsa, quam Linguæ Arabicæ Professor in hac Academia, Cl. *Clodius*, parat, Latina versio exhibebit, ex qua aliæ relationes, tam Gallicæ quam Germanicæ, in nominibus maxime propriis locorum & hominum, emendari, ac multa rectius intelligi poterunt.

ISTORIA DELLE GUERRE AVVENUTE IN Europa & particolarmente in Italia per la succeslione alla Monarchia delle Spagne &c.

hoc est,

HISTORIA BELLORUM IN EUROPA,

specia-

speciatim in Italia propter successionem Monarchiæ Hispanicæ inde ab A. 1696 ad A 1725 gestorum, Autore Comite & Marchione, FRANC. MARIA OTTIERI, Academico Furfurato.

Tomus I.

Romæ, apud Rocchum Bernabò, 1728, 4.
Alph. 2 pl. 17.

CL. Autor, in aula Benedicti XIII, Pont. cui hoc Opus consecratum est, Camerarii intimi munere functus, Historiam sui temporis ab A. 1696 ad 1725 scribere aggressus est aliquot Libris, quorum jam tres priores, non nisi ad anni 1700 finem pertingentes, prodeunt. Cum vero ad eam ornandam summorum Virorum Commentarios secretiores nactus esset, atque inde quædam inseruisset, quæ Galli vulgari nollent, horum autoritate factum ajunt, ut liber, licet gravissimorum Virorum censuris & Pontificis privilegio munitus, aliquandiu latuerit, nec publice vendi potuerit. Quantum dederit veritati, quasque leges sibi præscripserit, quæ adjumenta habuerit, diserte refert in Præfatione: unde simul patet, eum exempla Clarissimorum Historicorum, *Livii* & *Sallustii* inter Latinos, *Guicciardini* & *Parutæ* ex Italis habuisse ante oculos, errores recentis memoriæ scriptorum, *Garzonii* inprimis & *Contareni*, nobilium Venetorum, subinde emendasse, Celeb. *Justum Fontaninum* aliosque sæpe in consilium adhibuisse, & stilum formandum ac poliendum reliquisse inclutæ Furfuratorum Academiæ Florentinæ, cujus jam pridem exstitit Socius, adeo ut non possit non liber omnibus esse lectu admodum jucundus, iis inprimis, qui cultum amant linguæ Etruscæ. Etsi potissimum A. 1696 ordiri historiam constituerit Autor, tamen sub initium Operis paulo altius ascendit, multaque repetit a Gallis, Turcis, aliisque ante pacem Risvicensem gesta, ubi inter alia, ut potissimum de rebus Hispanicis dicamus, observat, *Portocarrerum* Cardinalem jam pridem eo adduxisse Regem Hispaniæ Carolum II, ut sub specie quadam testamenti, minus tamen solen- p. 56.

 nis,

nis, hæredem instituerit Carolum, filium Leopoldi Imp. secundo genitum, invita quidem matre Regia, quæ Hispaniam jure sanguinis potius Bavari filio deberi sibi persuaserat. Quod etsi non nesciret aula Cæsarea, nullum tamen movit lapidem, ut vel Reginæ matris animum sibi conciliaret, vel saltim efficeret, ut Rex paulo solennius voluntatem suam declararet: contra in transmittendo cum exercitu decem millium in Hispaniam Carolo, quod Rex, feroci tum a Gallis bello in Catalaunia pressus, unice optabat, difficultates nectebantur incredibiles, multaque Austriaci postulabant ab Hispanis, inprimis ut vel Mediolani, cujus cura tum Valdemontio credita fuerat, vel Belgii, cui præfectus erat Elector Bavariæ, regimen Carolo mandaretur, quæ Hispanis minime placebant. Interea Hispanorum, qui tam diu frustra exspectaverant suppetias, amor in Austriacos refrixerat, maxime cum Reginam, Caroli conjugem, cujus non minus, quam Germanorum aliorum, qui in aula erant, autoritas jam pridem ipsis suspecta erat, nimis in illos propendere animadverterent; odium vero in Gallos, qui tot oppida, in Flandria & Catalaunia bello capta, pace Risvicensi gratis red-
p. 120. debant Hispanis, diminuebatur. Accedebant simultates Romæ A. 1697 inter Pontificem Innocentium XII, Cæsari antea bene cupientem, & Martinitium, Oratorem Cæsareum, tum ex aliis causis, tum inde potissimum natæ, quod hic valvis palatii sui mandatum Cæsareum affixisset, quo omnes, qui feuda Imperii tenerent in Italia, sub gravi pœna jubebantur investituram pe-
128. tere intra tempus ab Imperatore præscriptum; cui Pontifex, exstimulante inprimis Legato Gallico, contrarium edictum opponi, e re sua judicabat. Hæc dilucide Autor exposuit *Libro I*, quibus quæ passim interspersit, de Vienna obsessa & liberata, de nono Electoratu constituto, de pace Risvicensi, de controversiis Gallorum Theologicis aliisque, ea nunc minime
162. moramur. Sub initium *secundi* digreditur ad res Polonicas, quas probe edoctus videtur, postquam Regina Poloniæ, mortuo marito Johanne III, Romam se recepisset, ubi Noster in ejus aula Magistri Cameræ honore defunctus est. Hic, qui fuerint Regni post Johannis mortem Candidati, qua dexteritate Flem-

min-

minglus promoverit commoda *Augusti II*, Regis adhuc feliciter regnantis, Domini nostri longe clementissimi, & quantum momenti ad eam rem attulerit Innocentius Papa, non incompte describit. Inde Noster ad res Hispanicas se recipiens, eleganter exponit, quibus artibus *Harcurtius*, Legatus Gallicus, Hispanos sibi suæque genti conciliaverit, quanta felicitate uxor *Harcurtii*, affabilitate & comptis moribus in gratiam Reginæ irrepserit, quam prægnantibus persuasionibus *Portocarrerus*, jam ad Gallos inclinans, Confessionarium Regium, Austriacis nimis obnoxium, a Regis latere atque adeo ex aula dimoverit, aliumque surrogaverit, quo consilio Rex Galliæ Monarchiæ Hispanicæ post mortem Caroli partitionem proposuerit, qua re permotus Rex Carolus II hæredem publice declaraverit Ferdinandum Bavariæ Principem, paucis tamen post mensibus rebus humanis ereptum. Tandem Autor inducias inter Cæsareos, Polonos, Russos, ac Venetos ab una & Turcos ab altera parte conclusas accurate recensens, *Libro II* finem imponit. Dum itaque, pergit *Libro III* Autor, Gallus ad fines Hispaniæ plurimas mittit copias, minatus simul, se nunquam passurum, ut Hispanus hæredem scriberet Principem Austriacum, simulque Anglos Belgasque ad novum partitionis tractatum initio anni 1700 induceret, Carolus II quidem adhuc animum servabat in Austriacos pronum, & Leopoldo literis non unis de substituendo filio secundo genito consilium aperiebat, utque is sine mora in Hispaniam cum exercitu adventaret, urgebat; at mox persuasus a *Portocarrero*, ut Hispanorum JCtorum & Canonistarum de jure succedendi in Hispaniam sententiam exquireret, qui pro Duce Andegavensi respondebant, cum præterea etiam ipsum Pontificem Innocentium, qui jam secretum cum Venetis aliisque Italiæ Principibus fœdus in præjudicium maxime Austriacorum inierat, per literas consuluisset, isque, adhibitis in consilium tribus Cardinalibus, sententiam hanc probasset, ac denique Consiliarii Regii, a Rege Carolo convocati, metu plerique vel amore in Gallos eandem sententiam amplexi essent, Regina vero, totius aulæ quasi conspiratione victa, in commendando Austriaco remissior esset; tandem Rex, immi-nen-

Marginal references: p. 203 sq. (beside "describit. Inde Noster…"); 246. (beside "nimis obnoxium…"); 288. (beside "nandum Bavariæ…"); 291. (beside "Polonos, Russos…"); 307 sq. (beside "itaque, pergit…"); 386. (beside "persuasus a Portocarrero…"); 353. (beside "ret, qui pro Duce…"); 388. (beside "etiam ipsum Pontificem…"); 394. (beside "basset, ac denique…"); 413. (beside "xi essent, Regina vero…").

nentis mortis signa sentiens, testamento, die 2 Oct. 1700 condito, hæredem scribebat Andegavensem, non multo post, Calendis nempe Novembris ejusdem anni mortuus. Cum vero &
p. 403 sq. paulo ante decessisset Romæ Pontifex Innocentius XII, hinc nata Nostro occasio, ut de electione Clementis XI, quantumvis
440. ab hac dignitate abhorrentis, ageret pluribus, quibus denique subjunxit, quæ ad novum in septentrione bellum, Suecis hoc anno a Polonis ac Moscis in Livonia illatum, & ad novam Ca-
448. lendarii rationem, quam Protestantes inierunt, pertinent.

MONUMENTA SEPULCHRALIA Ecclesiæ Ebracensis: accedunt alia quædam Monumenta Historica. Collegit & edidit P. IGNATIUS GROPP, Ord. S.Ben. ad S.Stephanum Wirceburgi Professus & Bibliothecarius.

Wirceburgi, sumptibus Phil. Wilh. Fuggart, 1730, 4.
Plag. 15½ Fig. æn. Tabb. 14.

Cum Reverendiss. ac Illustriss. *Dominicus Passioneus*, Archi-Episcopus Ephesinus, & nuper apud Helvetios nuntius Apostolicus, in literis ad Ill. *Eccardum* (quem superiori anno rebus mortalibus ereptum, & simul spem omnem publicandæ ejus Historiæ Franciæ Orientalis, quam jam fere integram typis impressam, sed in ipso quasi partu suppressam ferunt, præcisam esse, graviter dolemus,) optasset, ut celeberrimi Franconiæ cœnobii Ebracensis, e quo ceu schola S. Bernardi viri literis & pietate præstantes plurimi prodierint, Historiam aliquis conscriberet; Noster, quantum in ipso erat, votis honestissimis aliqua saltem ex parte satisfacturus, monumenta sepulchralia, quæ vel triplex incendium, quo conflagravit cœnobium, intacta reliquit, vel superioris ævi scriptores domestici, *Albericus Abbas*, *Jos. Agricola*, aliive scriptis suis conservarunt, accurate delineanda, & brevi doctoque Commentario illustranda duxit. Præmisit quædam de origine & fatis monasterii, quod germani fratres Berno & Richwinus, Comites de Ebraw, A. 1126, cum militiam Henrici V Imp. ac postea Conradi III Imp.

Imp. ſequerentur, ab Embrico Wirceburgenſium Præſule A. 1134 nonis Octobris, poſtquam jam antea eo commigraſſent e monaſterio Morimundenſi, quod quartam Ciſtercii filiam vocarunt, coloni, conſecrarunt. De benefactoribus, in quibus eminet Conradus III, qui pro altero fundatore habetur, quod immenſas opes in monaſterium hoc contulit, nihil dicemus; de Wirceburgenſibus præſulibus tantum notamus, plures inter eos beneficia in illud contuliſſe, & ut corda ſua poſt obitum illic deponerentur, conſtituiſſe; de quibus adeo Noſter Sectione I fuſius egit. Obſervat vero, morem hunc vix Ottonis M. Imp. temporibus antiquiorem eſſe, quippe qui primus ferme viſcera ſua in Miminleve (vulgo *Meinsleben*) Benedictinorum in Saxonia cœnobio condi juſſerit. Quod vero Epiſcopi Wirceburgenſes inde a Sigefrido ad Julium, A. 1617 defunctum, fere omnes corda ſua Ebraci recondi voluerint, id factum exiſtimat exemplo Conradi III Imp. cujus cor ibidem ſepulturæ traditum. Quibus præterea ceremoniis corda ibi fuerint depoſita, quæque cauſa fuerit, cur Julius & reliqui a ritu illo abſtinendum putaverint, non attinet hic pluribus recenſere. Pergit inde Noſter ad Sectionem II, qua ipſa demum monumenta ſepulchralia illuſtrium perſonarum, quæ illic viſuntur, conſiderat, Gertrudis inprimis, Conradi III Imp. conjugis, e Sulzbacenſium Comitum familia prognatæ, quam ſæpius, tum vivo, ſed bellis diſtracto, tum mortuo marito, Ebraci commoratam docet, ejusque filii Friderici junioris, qui in obſidione Romana, a Friderico Imp. A. 1167 facta, peſte correptus, Romæ eodem anno d. 19 Aug. deceſſit, tum & Irenes, aliis Maria dictæ, Alexii Imp. Orientis ſororis & Philippi Imp. Occid. uxoris, quam ibi ſepultam multorum fert traditio, etſi alii eam in Lorchenſi cœnobio conditam contendunt, multorum item nobilium, in cœnobium hoc admodum liberalium, in quibus eminent Teuſelli, & ex his maxime Conradus, cum matre Mechtilde ibi ſepultus, unde fama percrebuit, Diabolum cum matre ſua conditum in cœnobio Ebracenſi: quibus ſingulis ſi qui delectantur, librum ipſum evolvant, & monumenta, tabulis æneis repræſentata, attente contemplentur. Unum monemus, Autorem operæ pretium feciſſe, quod

p. 12.

19.

ſub finem libri excerpta dedit non ſpernenda ex Necrologio veteri monaſterii Ebracenſis, quibus paſſim ab ipſo dicta illuſtrantur.

LA TEBAIDE DI STAZIO, DI SELVAGGIO PORPORA.

h. e.

P. PAPINII STATII THEBAIS ETRUSCO Carmine reddita a SELVAGGIO PURPURA.

Romæ, apud Joan. Mariam Salvioni, 1729, 4 maj. Alph. 2 pl. 15.

OPus dicimus illuſtre, & ad omnem, ſi qua futura eſt, poſteritatem commemorabile, quod ſingulare conjuncti cum ſummo dignitatis faſtigio ingenii feliciſſimi rariſſimæque doctrinæ exemplum compleĉtatur, Italicæ autem nationi exiſtat longe honorificentiſſimum. Statuit hoc eminentiſſimus Romanæ Eccleſiæ Purpuratus *Cornelius Cardinalis Bentivolus*, pro Hiſpaniarum rege apud Pontificem hac tempeſtate Orator, præſentis *Etruſcæ Thebaidos verſionis* conditor clariſſimus, quem adſcito, quod titulus exhibet, nomine deſignari voluiſſe, indiciis non inficiandis cognitum habemus atque prorſus exploratum. Ille vero cum pridem ex literarum patrocinio in ſumma apud ſuos veneratione verſaretur; ad hoc etiam, quod graviſſima ipſi interdum negotia permittunt, otium impendere optime conſtituit, ut argumento aliquo publico demonſtraret, quantum ipſe excellentiſſimæ eruditionis ingeniique facultate ante alios emineret. Transferendum hinc ſibi ſumſit Etruſco ſermone nobile aliquod ex priſcis poema, ac præ reliquis non ſine conſilio *Statii Thebaida* eruditæ induſtriæ materiam elegit. Verum eſt, quanto in honore apud aliquos fuit *Statii* ingenium, ita ut ſecundo poſt *Virgilium* loco haberetur univerſim, tanto magis depreſſam fuiſſe recentiori tempeſtate a quibusdam ipſius exiſtimationem, ita ut ad *furioſi* usque calumniam deſcenderet *Rapinus* Jeſuita; pro quo tamen modeſtio-

ftiores alii *tumidum* illum dicere maluerunt. Quam pofteriorem cenfuram, *fublimis, generofi, excelfi* elogio aliquibus, *Lipfio* præcipue, *Turnebo*, *Cafaubono*, *Glareano*, *Dempftero*, *Grotio*, *Barthio*, permutatam, licet non ubique effugere poffe *Statium* incorrupti judices tantum fere non omnes arbitrentur; eft tamen, ubi vere *celfus* & *grandis* interdum appareat. Hic ipfe vero Neapolitani Vatis character, præ limpido illo ac fimplici aliorum, *Virgilii* præfertim, dicendi genere propius ad Etrufcæ poefeos indolem atque genium, qualis quidem hodie colitur, atque in fummo Italis pretio habetur, accedit, & proinde efficit, ut magis etiam aptus præter plurimos alios oftentandis Italici fpiritus ac fermonis veneribus atque Etrufco fermone referendis exprimendisque *Statius* exiftat. Novimus equidem, *Valvaforem* & *Hyacinthum Nini*, Senenfem, eandem olim *Statio* Italice convertendo operam commodaviffe; utrumque tamen abs Illuftriffimo noftro Interprete infinitis fere paffibus fuperatum fuiffe, facilis, & fi alia deeffent, vel ex ipfo tempore, quo illi vixerunt, conjectura poteft fieri. Certe communi ab omnibus Italiæ literatis viris applaufu, iis potiffimum, qui mufas amant politiores, cum nuper primum in publicam lucem exiiffet, exceptam fuiffe verfionem iftam, relatum accepimus; neque illud profecto temere. Non enim, ut fummatim fententiam de iftius pretio exponamus, omnia tantum interpretis officia ille diligenter explevit; fed ipfum etiam interdum ingenii felicitate *Statium* antegreffus fuiffe omnino videtur. Ita fcilicet fe ubique in hoc negotio geffiffe deprehenditur, ut, ubi verbum verbo reddi, quod *Horatius* poftulavit, per utriusque linguæ indolem licuerat, follicite illud, citra omnem tamen affectationem, efficeret; fenfum ut quam curatiffime exprimeret, nunquam non ftudiofe provideret; obfcurius dicta quafi luce quadam adhibita colluftraret; & ficubi tandem circumfcriptione aliqua opus fuerat, ita tamen calamum temperaret, uti non abripi fe proprio ingenio nimis longe pateretur, fed medius fere inter translationem fimplicem atque paraphrafin uberiorem incederet. Placet adductis in medium illorum delectationi, qui Italica amant ac legunt libenter, vel

duobus utriusque speciei exemplis fidem, quæ hactenus, diximus, conciliare. Primæ vicem sustineat venustum a *Tigride* repetitum simile lib. II v. 128 seq.

Qualis ubi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas, somnosque excussit inertes;
Bella cupit, laxatque genas & temperat ungues;
Mox ruit in turmas, natisque alimenta cruentis
Spirantem fert ore virum: sic excitus ira
Ductor in absentem consumit prælia fratrem.

Hæc ita ad literam fere expressit Interpres noster:

Come de' Cacciatori al corso & al grido
La Tigre arruffa la macchiata pelle,
Apre l' irate fauci, e l'unghie spiega,
E a battaglia si appressa, indi si lancia
Nel folto Stuolo, e vivo uno ne prende,
Ed alto il porta a Satollar la fame
De' crudi figli; in cotal guisa acceso
D' ira Eteocle incrudelisce, e stuffa
E col fratello in suo pensier guerreggia.

Secundum paraphraseos argumentum præstet *ignivomi montis* descriptio libro III v. 595 sq.

— — — Procul igneus antris
Mons tonat, exundant apices, fluctusque Pelorus
Contrahit, & sperat tellus abrupta reverti.

Quæ ita Etrusco carmine reddita leguntur:

Dalle profonde sue caverne mugge
Etna, e vomita fiamme: in se ritira
Peloro i flutti, e la Sicilia unirsi
Teme al terren, onde fu pria divisa.

Sed hæc specimina jam quidem sufficiant. Id unum additum volumus, externum etiam Operis habitum ita factum esse, ut dignus doctissimi interpretis persona existat, hoc est, longe splendidissimum. Insigni præcipue ornamento sunt singulis XII *Thebaidos* libris totidem *figuræ* æreæ, in vestibulo præfi-

xæ,

ræ, atque ita excogitatæ, ut summam cujusvis libri jucunde repræsentent, nullos vero non intuentium oculos exquisita voluptate demulceant.

OSSERVAZIONI ANATOMICO-FISICHE DI PIETRO SIMONE ROUHAULT.

i. e.

PETRI SIMONIS RUHALTI, REGIS Sardiniæ & generalis militaris Chirurgi, Professoris Chirurgiæ Taurinensis, Chirurgi jurati Parisiensis, & Academiæ Regiæ Scientiarum Socii, Observationes Anatomico-Medicæ.

Augustæ Taurinorum, apud Joh. Franc. Mairesse, 1724, 4. Plag. 14.

REPONSE DI PIERRE SIMON ROUHAULT.

i. e.

PETRI SIMONIS RUHALTI &c. Responsum ad Censuram a D. WINSLO, Professore Medicinæ Parisiensi & Academiæ Regiæ Scientiarum Socio factam super suum Commentarium de Circulatione sanguinis in fœtu humano.

Augustæ Taurinorum, apud Joh. Franc. Mairesse, 1728, 4. Plag. 19½.

MErito jungimus utrosque Clariss. *Ruhalti* Tractatus, œconomiam fœtus humani illustrantes. Postquam enim Autor in partes fœtus, earumque usum ultra duo lustra magna solertia inquisivit, multaque invenit, quæ hactenus non satis cognita fuerunt, præsentibus Observationibus eadem conjunctim exhibet, sex Capitibus circumscriptis, in quorum 1 de placenta & membranis fœtus, in 2 de funiculo umbilicali, in 3 de nutritione fœtus, in 4 de motuum potentia, qua sanguis a matre ad fœtum urgetur, in 5 de circulatione sanguinis per cor in fœtu, & 6 de partus causis agit. Quoniam autem in-

venta sua nova Historiæ & Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum hinc inde jam inseri curavit, ut in his Actis a nobis etiam monitum fuit, ulteriori de eis nunc plura differendi supersedere labore nos posse videmur.

Alterum Tractatum quod attinet, notum est, quod *Harvejus* & *Mery*, præter alios Autores, foramen ovale & canalem artèriosum in fœtu eum in finem formatum esse perhibuerint, ut, quoniam hic in utero non respirat, brevior redderetur circulus sanguinis, ita tamen, ut prior ex dextro cordis ventriculo in sinistrum, posterior vero ex sinistro in dextrum sanguinem per foramen ovale ferri existimaverit. Postquam autem Autor rem accuratius indagavit, & vicissitudines, quas arteriæ, venæ & cor de die in diem, quamdiu fœtus in uteri ergastulo latet, subeunt, probe advertit, verum quidem esse observavit, sanguinem ex sinistro cordis thalamo in fœtu ad dextrum meare, non tamen id fieri putat, ut circulus ejus brevior reddatur, sed partim ut hoc beneficio robur ventriculi dextri augeatur, partim ut saccus venæ cavæ & auriculæ dextræ appositus majorem inde acquirant capacitatem. Quam suam sententiam non solum A. 1718 in Academia publice prælegit, sed & Theses, quæ typis exprimerentur, eidem A. 1723 exhibuit. Tantum vero abfuit, ut has Commentariis insertas conspexerit, ut potius censuram *Winslovi* super easdem invenerit; uti in Præfatione docet Autor. Operæ igitur pretium duxit, præsente Tractatu Theses suas idiomate Gallico & Italico luci publicæ exponere, eisque Censuram Adversarii una cum suo Responso adjungere, quas tamen lites nostras non facimus.

DE VENA VERTEBRALI OBSERVATIOnem alteram, prioris supplementum, communicavit AUG. FRID. WALTHER, Archiater Regius & Professor Publicus.

PRæter venæ vertebralis propagines, quas ea omnis ad medullam spinalem mittit, externam nuper, & proprie magis dicendam cervicalem, deinde vero arteriæ sociam, internamque,

que, tanquam duas trunci præcipuas notabilioresque partes distinximus; scilicet cum nos, in infantis cadavere, maximam trunci vertebralis venæ partem, in cervice, & inter musculos surgere, neque vero his destinari doceremus. Qua nos tractatione, non solum in diversa ætate dimensionis utriusque, & capacitatis quodammodo exponere differentiam cœpimus; sed sigillatim de venæ cervicalis origine, & progressu, inprimis vero de fine, sed tantum singulo disquirere in exemplo suscepimus, quod non nisi duo principales, distinctique casus, seu notatu digniores venæ tractus, inter plura experimenta, quæ in hoc genere fecimus, nobis obvenerint. Quare alterum ex instituto jam tradimus casum, ut, quæ supersunt, fortassis levioris momenti varietates, ad unum, aut ad alterum exemplum commode revocari possint. Et, in cadavere feminæ adultæ, postquam capitis venæ, cerebrique sinus, cera viridi impleta fuerunt, fractis tum omnibus frangendis, atque tam venæ vertebralis trunco, quam ramis, in apricum positis, sequentia vidimus, publiceque demonstravimus. Ab vena subclavia, duos circiter digitos transversos, foramen versus nervorum, in collo septimum, vertebralis vena procedit; eodemque intervallo, a latere externo, hæc ramum versus acromion demittit, qui mox versus superiora loca ac musculos ascendere propaginem jubet: verum a latere interno, tres nostra surculos ad longum, colli musculum, locaque vicina producit. Igitur hæc vertebralis vena, præter istarum secessionem minorum venarum, proxime, ante septimum foramen, bipartita visitur; & ejus pars inferior, quæ tertia circiter parte minor altera est, foramen nervi ingreditur; dum altera pars interim ad sextum nervorum foramen pergit. De utraque parte distincte jam agamus. Atque ea portio, quæ septimo foramini reddita fuit, pariter, intra id ipsum, in duas novas divisa portiones intelligitur. Ex his una posterius excedit, & ad processus obliquos divertit; simul vertebralis venæ externæ, seu cervicalis venæ principium ea facit: at altera portio canalem magnum subit, & medullæ spinalis tunicæ, circulisque venosis impenditur. Igitur illa trunci venæ vertebralis pars, quæ a divi-

divisione, propter septimum foramen, reliqua est, & ad sextum pervenit, tertiaque parte major inferiore censetur, hæc jam intra id foramen tripartita animadvertitur. Ex hujus ita reliquæ propaginibus venæ una posterius, & in cervice excedit, & quasi alterum venæ vertebralis externæ fundamentum ponit; quod cum ramo ipsa conjungatur, qui e septimo foramine ad cervicem accesserat; deinde altera istius, & ad sextum delatæ, vertebralis venæ propago, per idem sextum foramen, magnum medullæ spinalis ingreditur canalem; denique tertia, ut arteriæ vertebralis socia esset, ad canalem transversorum processuum, quem vocant, osseum, ablegatur. Ita ex duabus venis distinctis illa vertebralis vena externa, tanquam cervicalis vera, componitur; atque eadem sub musculo complexo, indivisa quidem, pergit, donec, sub altitudine tertii processus transversi, ab altera, sociaque arteriæ vena, seu interna, quæ quippe singulari modo e foramine hujus processus excedit, tertiam sui partem, seu accessionem novam sibi consciscat, & inde augeatur. Antequam hanc externam porro prosequamur, præmittimus excedentis venæ, scilicet arteriæ sociæ, viam, & ejus flexum singularem, circum epistrophei transversum annotamus processum; quandoquidem hæc vena, quæ ita e canale osseo excessit, ad atlantis transversi processus redit foramen, ac, de novo, per idem, cum vertebrali arteria transire visitur. Nam inde demum hæc vena, scilicet arteriæ socia, quam internam nominavimus, iterum emergit, & ipsa in viam magis horizontalem, & sub occipite quasi se reflecti patitur; sed ad externam nostram, sive cervicalem, hæc ita appropinquat, eidemque anastomosin brevem concedit, reliqua vero sui parte, & paullo inferius, hæc interna ad commissuram occipitis atque atlantis pergit, & in ambitum venosum tunicæ medullæ spinalis primum, qui cum occipitali sinu communicat, desiisse observatur. Itaque externa illa vena, sicuti diximus, e tribus in exemplo componitur venis; &, cum ante fere æqualis alterius, & arteriæ sociæ, quoad magnitudinem esset, jam ea post tertiam accessionem, quam accepit, nondum circa atlantem duplo major reliqua interna observata fuit.

Qua-

Quare hæc externa noſtra, verſus latus foraminis magni, ſub occipite pergit, & anaſtomoſin, quam diximus, accipit, breviſſimumque truncum, ac ſatis craſſum, ſed minori intervallo, ab illo foramine magno ita fingit, qui tandem in os occipitis penetrat; & ipſe per viam, licet brevem, tamen in noſtro exemplo, ſcilicet magni in foraminis occipitalis latere, & poſt foramen, quod capitis noni paris nervum, atque occipitalem ſinum admittit, admodum in oſſe tumido inſculptam, & excavatam, ductu obliquiore fertur; denique in lateralis ſinus inferiorem partem deſinit.

Quæ noſtra obſervatio, ſi cum præcedente conjungatur, primum quoad oſteologiam clare docebit, quare in nonnullis ſubjectis latera foraminis magni præ multis tumidiora ſint; deinde etiam utraque hæc obſervatio monebit, ingreſſum venæ vertebralis jam in oſſe occipitis & juxta foramen magnum haberi, jam vero in ſuturæ lambdoideæ loco, talem in cranio humano ſuperſtitem eſſe: & nos addimus, aliquando in utroque eum videri, aut tantum in alterutro loco, minores ingreſſus, ſinguli & majoris vice eſſe apertos: denique, & in utroque capitis latere, quæ diximus, non raro ſic variaſſe obſervamus. De uſu doctrinæ in angiologia, ſive ex ſeptimo foramine, ſive ex ſexto, aut denique ex utroque educatur, imo vero, etiamſi ſingula viſa, vel e pluribus *illa ramis*, trunci venæ vertebralis pars cervicalis conflata fuerit; eandem nihilominus ab vera parte vertebrali altera, ſcilicet, quæ oſſei illius canalis magis propria eſt, ab anatomicis porro diſtinguendam eſſe confidimus. Atque omnibus ita invicem comparatis, demum facile conciliabuntur, quæ Celeb. *Heiſterus* in Comp. Anatom. & Cl. *Nicolai* Tr. de directione vaſorum, ac longe plures Anatomici, de vena vertebrali diſputaverunt. Tandem Pathologi cogitabunt, in infantibus duplo majorem circiter externam illam, præ altera, quæ quidem arteriæ ſocia eſt, & vulgo innotuit, inveniri venam: at in adultis utramque ad æqualitatem magis acceſſiſſe, ſimul reputabunt. Unde expendendum illis relinquitur, num ad proferendos, vel ſaltem ad augendos infantum morbos, cum ſuturæ in cranio coeunt, &, niſi in omnibus, ſaltem in pluribus, hæc notabilis varie-

tas venæ, quippe immediate cum ſinu laterali communicantis, aliquid conferre poſſit? Maxime vero hujus quoque venæ cauſa, ut Practici, topicorum uſum, ſcilicet remediorum, in cervice applicandorum, internisin capitis affectibus, atque nervorum morbis, ſibi, inter alia, commendatiſſimum, præcipue vero in morbis teneræ ætatishabeant, ſuademus.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences Année MDCCXXIII.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM A. 1723, cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem anni.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1730, 12 chart. aug. Alph. 1 pl. 8 Tabb. æn. 19.

IN *Phyſica generali* de virtute magnetica, ferro absque contactu magnetis concilianda, agit *de Reaumur*. Monet, modum, quem commemorat *Rohaltius* in Tractatu Phyſico, ſibi non ſucceſſiſſe, etſi aliquoties omni cum cura eundem repetierit; modos alios in omnibus officinis fabrorum obvios eſſe, ſed a Phyſicis neglectos, quorum negligentiam in obſervandis factis naturæ merito reprehendit. Inſtrumenta fabrorum ferrea, quæ in cuſpidem definunt, ab ictu mallei virtutem magneticam in continenti contrahunt, iterato ictu usque ad certum gradum augmentandam. Oportet autem ferrum eſſe frigidum, cuſpidem imponi fruſto ferri, & ictum fieri in altero extremo illi oppoſito. Similiter inſtrumento, quo ferrum perforatur, in ipſo uſu virtus magnetica acquiritur. Eadem vero facilius imbuuntur inſtrumenta, quorum longitudo ad craſſitiem & latitudinem magnam admodum rationem habet. Virga ferrea, per reciprocas inflexiones tandem fracta, virtutem magneticam contrahit in duobus extremis a ſe invicem ſecedentibus: id quod tamen in filo ferreo tenui non ſuccedit, nec in virgis craſſioribus non ſatis longis; melius autem ſuccedit in ferro, quod facile, quam in eo, quod difficulter flecti-

flectitur. Hoc tamen in casu virtus magnetica cito iterum exspirat, ut altero die nulla amplius observetur. Major autem fuit in frustis virgæ, etsi in octo partes diffractæ, ubi virtus magnetica per contactum magnetis eidem fuerat tributa. Mittimus experimenta alia Physicorum attentione digna. *Plinius* autor est, e genere concharum dactylos in tenebris lucere. Quæ de illorum lumine commemorat, ea concharum generi convenire observavit *de Reaumur*, quæ Gallis *dail* dicitur, ut adeo falli existimet eos, qui concham *coutelier* Gallis dictam pro dactylo *Plinii* habent. Idem systema suum de formatione lapidum, quod A. 1721 dedit, ulterius perficere studet, in caussam rotunditatis lapidum inquirens. *Du Fay* exponit methodum barometra lucida efficiendi, quam a vitriario Germano se didicisse candide fatetur. Singulas autem conditiones experimentis a se cum cura institutis confirmat. Illarum prima est, quod interior tubi paries ab omni humiditate immunis esse debeat: id quod obtinetur ope gossypii filo ferreo circumvoluti. Requiritur secundo, ut Mercurius sit purus. Purificatur autem ab omni immunditie, quando per infundibulum chartaceum, exiguum admodum foraminulum habens, transit. Tertio denique opus est, ut idem ab omni aere sit purgatus: id quod hoc pacto præstatur. Tertia pars Mercurii, quo tubus repleri debet, ei infunditur, & successive calefieri curatur, ope autem fili ferrei, sursum ac deorsum promoti, aer expellitur. Affunditur deinde altera pars tertia ejusdem Mercurii, quo tubus impleri debet, eodemque modo expellitur aer. Reliquus, qui infunditur, donec tubus integer repleatur, ut ab aere purgetur, opus non est. Quodsi Mercurium extra tubum calefieri, & ex calefacto aerem expelli cures, nihil efficies, quod proposito satisfaciat. Lumen barometri hujus successu temporis minime mutatur. Ceterum Autor non modo in rationem luminis hujus inquirit, verum etiam historiam condit de omnibus in hoc genere scriptis. *De Jussieu* ceranniam seu lapidem fulminarem describit. Quoniam incolæ Americæ istiusmodi lapides per continuum affrictum cum aliis, ad findenda ligna & in usum telorum parare hodienum solent; cerau-

niis eundem ortum adſcribit, cum homines barbari adhuc terras noſtras incolerent, qui ferri uſum ignorabant. Eorum utenſilia terra fuiſſe ſepulta, poſtquam ferri uſus innotuit. Idem oſtendit, lapides figuratos, quos oculos ſerpentum & batrachites appellant, eſſe dentes piſcis in littoribus Braſilienſibus capi ſoliti, quem Galli *grondeur* appellant: ſit ita, quod non ſine aliqua probabilitatis ſpecie quosdam illorum lapidum pro dentibus illius piſcis habeat *Auguſtinus Scilla*, Neapolitanus pictor, qui in America *Dorado* dicitur. *Maraldi* obſervavit quantitatem aquæ pluvialis A. 1722 in lineis

Januario	$4\frac{2}{3}$	*Julio*	$11\frac{2}{3}$
Februario	$16\frac{1}{6}$	*Auguſto*	26
Aprili	4	*Octobri*	0
Majo	32	*Novembri*	$10\frac{1}{2}$
Junio	19	*Decembri*	$12\frac{1}{2}$

Maxima barometri altitudo $28''\ 7\frac{1}{4}'''$ fuit a 2 Januarii usque ad 5, per quatuor integros dies, qualis hactenus non obſervata. Cœlum toto illo tempore fuit nubilum. Maximum frigus fuit d. 24 Januarii: maximus calor d. 15, 16 & 27 Jun. hor. 3 pomer. qua maximus æſtus per diem obſervatur. Acus magnetica quatuor digitorum a borea in occidentem declinavit 13° d. 22 Nov. 1722 & 4 Jan. 1723, ſtationaria per tres annos.

In *Anatomicis* oculos frigore conglaciatos diſſecuit *Petitus*, atque obſervationibus multa arte inſtitutis docuit, partem humoris aquei inter corneam & iridem eſſe majorem parte altera inter iridem & humorem chryſtallinum. Adhibendi autem ſunt ad obſervationem oculi ex animalibus modo extinctis effoſſi. In oculo humano totum humoris aquei pondus eſt 4 granorum. Camera anterior continet propemodum partem tertiam ejusdem; poſterior non niſi $1\frac{1}{3}$ gr. eſtque magnitudo ejus $5\frac{1}{2}$ lin. Notatu dignum eſt, humorem chryſtallinum congelatum non intumeſcere. *Morandus* exiſtimat, hydatides gigni ex valvulis vaſorum lymphaticorum, ſi illæ præter naturam liquore replentur, nec rurſus evacuantur. *Go-*

dofre-

dofredus describit monstrum biceps, quod constat ex duorum truncorum partibus superioribus communi umbilico junctis. In medio comparet vulva communis, ad cujus latera sunt duo crura cum pedibus. Fœmina in partu cum moreretur, insigni sanguinis quantitate effusa, uterus apertus fuit, & placenta uterina orificio uteri accreta ipsum occludere deprehensa. *Petitus* in mare hernia laborante unicum tantummodo deprehendit testiculum in latere sinistro, dextro intra abdomen abscondito, qui in locum herniæ intra abdomen detrusæ succedebat, & in sinistram bursæ virilis partem delabebatur, quæ adeo utriusque testiculi receptaculum unicum erat. Commemoratur vulnus ventriculo inflictum, & feliciter sanatum. Quidam herniosus, intestini quadam parte putrefacta, fæces non per anum, sed per intestinum, cujus orificium in abdomine prominebat, excrevit. Docetur ibidem modus, quo Chirurgus quidam magnæ autoritatis idem in alio hernioso certa arte præstitit. *Winslow* motus quosdam extraordinarios homoplatæ sive scapulæ describit.

In *Chymicis* materiam quandam mineralem viridem nativam ex India missam examinavit *de Reaumur*, eamque cuprum immaturum deprehendit arte metallurgica in cuprum a se mutatam: id quod tamen non successit in ærugine cupri, cui illa assimilatur. *Godofredus* describit sal Armoniacum, quod ex India ad nos affertur a Batavis, idque cum sale Armoniaco Ægyptiorum comparat. Docet etiam modum extrahendi ex eodem sal volatile, quod vulgo sal Anglicanum dici solet, atque analysin illius describit. Ex 16 unciis salis Ammoniaci 15 salis alcali extraxit & unciam unam salis acidi marini. Sali autem Anglicano odor gratus conciliatur beneficio quarundam plantarum aromaticarum.

In *Botanicis* novum quoddam plantarum genus constituit *Marchant* sub nomine *Ricinocarpus Americanus floribus pentapetalis.*

In *Algebraicis* jam A. 1717 *Nicole* calculum differentiarum finitarum exercuit in summandis numerorum seriebus. Nunc igitur secundam hujus calculi partem exhibens, aliam metho-

dum proponit, per quam summantur series numerorum, quæ per priorem summari nequeunt. Series, quas hic considerat, generaliores sunt, & illas sub se continent, de quibus tunc temporis dixit. Revocantur ad hanc formulam generalem: $x(x+n)(x+2n)(x+3n)+(x+m)(x+m+n)(x+m+2n)(x+m+3n)+(x+2m)(x+2m+n)(x+2m+2n)(x+2m+3n)$ &c. Quodsi in hac fiat $m=n$; prodibit illa formula, quam A. 1717 expendit. Ceterum seriem istam applicat tum ad series numerorum integrorum, tum ad series fractorum. *De Lagny* methodum proponit generalem transformandi numeros irrationales in series fractionum rationalium simplicissimarum, & quæ omnium maxime appropinquant, quantum datur. Displicent approximationes usitatæ per extractiones radicum, tum quod numeratores non progrediantur certa lege, ut series absque tædioso calculo continuari possint, tum quod calculus tentando fiat, quemadmodum in vulgus notum. Aliam igitur viam ingressus, invenire docet per formularum algebraicarum applicationem fractiones, quæ ad radicem ex potentia imperfecta extrahendam continuo magis magisque appropinquant. E. gr. si $\frac{a}{b}$ ita sumatur, ut sit $aa=3bb+1$; erit $\frac{2a+3b}{1a+2b}$ formula, per quam reperire licet quotcunque fractiones ad $\sqrt{3}$ in defectu appropinquantes, si terminus repertus ponatur continuo $\frac{a}{b}$. Quodsi vero $\frac{a}{b}$ ita sumatur, ut sit $aa=3bb-2$, per eandem formulam $\frac{2a+3b}{1a+2b}$ reperire eodem modo licet fractiones ad $\sqrt{3}$ continuo in excessu appropinquantes. Ita fractiones deficientes reperiuntur $\frac{2}{1}$, $\frac{7}{4}$, $\frac{26}{15}$, $\frac{362}{209}$, $\frac{1351}{780}$ &c. fractiones autem abundantes $\frac{5}{3}$, $\frac{19}{11}$, $\frac{71}{41}$, $\frac{265}{153}$, $\frac{989}{571}$, $\frac{3691}{2131}$ &c. quæ con-

continuo magis magisque ad verum valorem $\sqrt{3}$ appropinquant. Quoniam *Archimedes* in libello de quadratura circuli proponit in defectu $\frac{1351}{780}$, in excessu autem $\frac{265}{153}$, eædem autem fractiones in duabus seriebus regularibus tanquam termini ad $\sqrt{3}$ approximantes continentur; non credibile videtur Nostro, virum tam sublimis tamque rari ingenii, qualis fuit *Archimedes*, casu in istos numeros incidisse, etsi Commentatoribus ejus nunquam in mentem venerit, quod certa methodo eos repererit.

In *Geometria*, cum quadraturam circuli Academiæ Regiæ oblatam ad examen revocaret *Saurin*, in theorema Geometriæ elementaris incidit, quod area figuræ regularis circulo circumscriptæ sit media harmonicæ proportionalis inter aream ejusdem figuræ circulo inscriptæ, & aream alterius eidem circulo circumscriptæ, cujus numerus laterum est subduplus numeris laterum illius. *Beaufort* propositionem quandam elementarem demonstrat, quod in omni triangulo summa quadratorum duorum laterum sit æqualis duplæ summæ quadratorum dimidii lateris tertii & lineæ ex medio hujus lateris in angulum oppositum ductæ. *Saurin* denique casum quendam singularem circa tangentes curvarum expendit.

In *Astronomicis* diversas methodos determinandi Apogæum & Perigæum solis atque Aphelium & Perihelium planetarum describit & suum de iis judicium interponit *Cassinus*. A. 1717 locum Apogæi solis constituit in $7^{\circ}\,31'\,28''$ ♋. Explicat etiam methodos determinandi Aphelium in Ellipsibus *Keplerianis* & exemplo Saturni illustrat. *Maraldus* describit Cometam, qui mense Octobri A. 1723 in sidere Capricorni apparuit. Prima vice eundem observavit d. 18 Octobris in vicinia trium parvarum stellarum in humero Capricorni prope tropicum. Nudo oculo instar stellæ nebulosæ conspiciebatur. Per telescopium 16 pedum in medio videbatur nucleus lucidus parvæ admodum diametri, qui atmosphæra ingente undiquaque cingebatur. Atmosphæra ista sensim sensimque decrescebat & in extima peripheria male terminabatur. Observationibus ab hora septima usque ad decimam continuatis palam erat, Come-

Cometam admodum ſenſibiliter verſus partes cœli boreales moveri: id quod obſervationes ſequentium dierum confirmabant. Movebatur nimirum intervallo 24 horarum per intervallum 5 graduum & totidem minutorum in circulo, quem deſcribebat. Motus celeritas decreſcebat: etenim a die 19 usque ad 21 Octobris intra biduum non niſi 7° 2′ abſolvebat. Hinc patebat, eum jam perigæum ſuum fuiſſe prætergreſſum, & a Tellure continuo elongari. Juxta methodum *Caſſini* in Tractatu de Cometis, A. 1664 Romæ excuſo, *Perigæum* determinavit inter conſtellationem Phœnicis & ſtellam primæ magnitudinis in temone navis Canobum, in quo fuit d. 14 Oct. Motus diurnus ibidem erat 20°. *Blanchinius* eundem Cometam non procul ab urbe Roma obſervans, nudo oculo vidit caudam in orientem converſam, ſed quæ per teleſcopium 16 pedum eundem conſpicienti diſparuit. Nucleus inſtar exiguæ ſtellæ fixæ eidem apparuit. D. 10 Oct. per eclipticam tranſiit in 8° ♒, ſole in 26° ♎ exiſtente: id quod minime favere obſervat Noſter hypotheſi *Whiſtoniana* de Cometis ex ſole egredientibus. Ceterum Cometam quotidie obſervavit usque ad 5 Nov. poſtea enim partim ſubſecuta cœli per nubes obſcuratio, partim nimia Lunæ claritas impedivit, quo minus per teleſcopium aufugientem perſequeretur. Die 5 Nov. motus diurnus tertiam unius gradus partem non excedebat. Singularis autem prorſus obſervatio eſt, qua d. 19 Oct. per teleſcopium 16 pedum fixam quandam exiguam a Cometa tectam vidit, quæ per atmoſphæram tranſparebat eo in loco, ubi denſiſſima erat. Unde didicit, atmoſphæram plurimum ſuperare magnitudine ſua nucleum ſeu corpus Cometæ & pellucidam eſſe. Si motus Cometæ hujus cum motu illius comparetur, qui A. 1707 apparuit; idem cum illo eſſe videtur. *Caſſinus* d. 9 Nov. 1723 Mercurium in ſole obſervavit. Ingreſſus eſt in diſcum ſolis 2 h. 50′ 52″, ubi limbum ejus orientalem rodere viſus per teleſcopium 16 pedum. Mox 51′ 48″ integer in eundem ingreſſus conſpiciebatur. Hor. 2 53′ 6″ intervallo ſuæ diametri a limbo ☉ diſtabat, ut adeo intervallo unius minuti confeciſſet ſpatium 18″, conſequenter ingreſſus in ſolem contigerit

gerit h. 2 50′ 30″. Figura erat exacte rotunda, color nigerrimus; nulla prorsus nebulositate Mercurius cingebatur. Conjunctionis momentum fuit h. 5 28′ 56″. Ex sole egressus fuit Mercurius h. 7 43′ 14″: id quod cum tabulis *Philippi de la Hire* pulchre conspirat. Angulus ad nodum, seu obliquitas orbitæ respectu Eclipticæ, per observationem prodiit 10° 5′ 46″; locus nodi ♉ S. 15°, 18′, 44″; motus nodi annuus 44″; distantia ☿ apparens a nodo tempore conjunctionis 42′ 0″; vera 1° 28′ 26″; diameter apparens 7″ 20‴, quam pater Observatoris A. 1697 elicuerat 8″; distantia Mercurii a terra ad distantiam solis a terra ut 678 ad 1000, diameter ☿ vera ad diametrum telluris ut 1 ad 4, consequenter Mercurii magnitudo ad magnitudinem terræ ut 1 ad 64, ut adeo Mercurius Lunæ sit propemodum æqualis, vel eadem paulo minor. Idem phænomenon observavit etiam *Maraldus*, itemque *Delisle* junior. Uterque observationem suam prolixe describit, &, quæ inde colligit, perinde ac *Cassinus* annotat.

In *Opticis* experimenta complura fecit *Maraldus* de umbris corporum, propterea quod in Astronomia usui esse possunt. Instituit autem ea primo in cylindris, deinde in globis soli expositis in libero aere. Ex prioribus collegit, corpus opacum cylindricum soli sub dio expositum projicere umbram, quæ nigra & pura apparet usque ad distantiam 38 vel 45 diametrorum cylindri; postea eandem divelli in duos tractus intermedia penumbra distinctos, cujus continuo imminuitur obscuritas: ex posterioribus infert, omne corpus sphæricum ad distantiam 15 diametrorum in medio umbræ efficere penumbram sensibilem. *Grimaldus* primus nobis dedit experimenta de diffractione seu inflexione luminis, quam ante ipsum Physici atque Optici neglexerant, non nisi directam luminis & per reflexionem ac refractionem factam propagationem considerantes. Alia deinde addidit *Newtonus*, quibus ad novam illam luminis proprietatem attentionem Physicorum & Opticorum magis excitavit. Alia his porro subnectit *Maraldus*, umbras inprimis corporum inde ortas accurate examinans. Inprimis autem notatu digna sunt experimenta, quæ globis exiguis a lumine solis

per exiguum foramen in cameram obscuram immissis cepit. Cum globum, cujus diameter non nisi unius lineæ erat, in distantia 25 pedum a foramine collocaret, umbra in distantia 33 pedum excepta in medio exhibuit aream circularem lucidam, cinctam annulo non admodum lato, sed valde obscuro, quem annulus multo latior penumbræ circumdabat. Penumbram excipiebat annulus umbrosus secundus exiguæ itidem latitudinis. Sequebatur annulus prorsus luminosus, qualis esse solet lumine directo solis collustratus, qui coloribus in iride conspicuis undiquaque cingebatur. Successit experimentum in globis majoribus & minoribus, veluti quorum diameter erat $\frac{1}{4}$ & $\frac{1}{2}$ unius lineæ, itemque $1\frac{1}{2}$ & $2\frac{1}{4}$ lin.

In *Mechanicis* theoriam motus corporum ex percussione amplificavit *Saulmon*. Cum enim hactenus Geometræ corpora perfecte elastica supposuerint; *Saulmon* imperfecte elastica sumens, regulas generaliores exhibet, sub quibus communes tanquam casus particularis continentur. Docet modum determinandi gradum elasticitatis in corporibus imperfecte elasticis. Ipsa tamen theoria in Commentariis non legitur; eam tantummodo suo more describit *Fontenellius* in historia. *De Mairan*, qui A. 1722 theoriam de reflexione dedit, in Commentariis anni hujus 1723 theoriam refractionis eidem subjungit. Non ignota est controversia inter *Fermatium* & *Cartesium* de refractione luminis agitata, quorum ille defendebat, lumen in medio densiori difficilius seu tardius moveri, quam in rariori; hic vero contrarium asserebat. Theoria *de Mairan* favet *Cartesio*, ex qua per corollarii modum fluit assertum *Cartesianum*. Impugnat quoque principium, quod motus luminis in refractione tempore brevissimo fiat, idemque a *Fermatio* ad incrustandum errorem suum confictum esse affirmat. Cumque *Leibnitius* in his Actis A. 1682 pag. 185 idem cum elogio adoptarit, in hunc quoque calamum stringit, *Cartesium*que adversus eum defendit, quod ex Physica cordate causas finales proscripserit. In genere itaque contendit, in rebus physicis non dari methodum magis incertam, æquivocam & temerariam, quam quæ a causis finalibus petitur. *Hugenius*

nius quoque ab eodem atro carbone notatur, quod in Tractatu de lumine cum *Fermatio* contra *Cartesium* fecerit, & inde systema undarum luminis deduxerit, præsertim cum idem subsistere possit, judice Nostro, cum *Cartesiano* principio, etsi alias naturæ parum conforme judicet, ac, num ingeniosum dici possit, dubitet, quod deducitur ex principio *Fermatiano*. Mittimus, quæ de *Hospitalio* monet, qui in Analysi infinitorum itidem principium viæ brevissimæ amplexus.

EMMANUELIS THESAURI, COMITIS & magnæ Crucis Equitis SS. Mauritii & Lazari, Patricii Taurinensis, Philosophia Moralis, derivata ex alto fonte magni Aristotelis Stagiritæ &c. Opus ex idiomate Italo redditum Latine a P. A. U. D. U. J. AA. LL. & Phil. M. C. Profess. Publ. & Ord. in Universit. Wirceburg.

Wirceburgi, typis Marci Ant. Eugmann, 1731, 8.
Alph. 3½.

NOn novum Librum annuntiamus, quippe jam dudum Italico idiomate conscriptum, ac sæpius hic illic postremoque Venetiis 1728 recusum, sed nunc demum a Viro Cons. *Philippo Adamo Ulrico*, J. U. D. ac Codicis in Academia Wirceburg. Prof. Publ. qui nomen in Dedicatione, ad Reverendiss. ac Celsiss. Principem Fridericum Carolum, Episcopum hodie Bamberg. & Wirceburg. exarata prodidit, summa fide Latinitate donatum. Equidem non ignoramus, jam pridem, nempe A. 1699, editionem libri Latinam prodiisse Norimbergæ in 12, cujus Præfationi nomen haud dubie fictum subscriptum legas *Cyriaci Lentuli*; at facile patebit Latina cum Italicis conferentibus, Interpretem hunc non satis perspectam habuisse vim vel linguæ Latinæ, quam Solœcismis fœdavit, vel Italicæ, eoque sæpius sensum autoris corrupisse, & in alia omnia abiisse. Ut itaque nova magisque genuina concinnaretur versio, nemo aptior videbatur *Ulrico* nostro, qui non modo Latine scribit non ineleganter, sed linguæ Italicæ quoque tam peritus est, ut

ut carminibus quoque pangendis excellat, quorum aliqua in Oratoriis Wirceburgi decantari consueverunt. Plura non addimus, judicium Lectori attento relinquentes, simulque vires apprecantes Cl. *Ulrico*, ut *Corpus Juris controversum, redactum ad ordinem Digestorum, frequentissimas legum oppositiones earumque succinctas Resolutiones exhibens*, in quo jam diu eum elaborare accepimus, tandem in publicam lucem proferat.

JUSTINIANUS IN PRINCIPIIS SUIS defensus, sive Tractatus de Natura & Constitutione Jurisprudentiæ Romanæ Forensis, continens Jurisprudentiæ veræ principia, secundum regulas Peripateticorum conscriptus a SALOMONE BACH, S.R. Maj. Pruss. Secretario a Legationibus.

Francof. & Lipsiæ, apud Theoph. Henr. Schwarz, 1730, 8. Plag. 15.

DE Jurisprudentia Rom. ad legem artis efformanda cogitarunt hoc seculo eruditi, sed res adhuc stetit in consiliis eventuque caruit. Plerisque probatur Methodus Mathematices æmula, cum ob præstantiam, tum ob facilitatem; Noster autem, Philosophiæ Aristotelicæ a multis annis deditus, non alium Systemati Jurisprudentiæ convenire modum censet, quam
p. 216. quo Dialecticam & Rhetoricam A. 1704 Prof. *Rabe* in sua Methodologia exposuit. Et tale Juris opus (ut vocat) scientificum jam pridem orbis conspexisset, nisi Autor omni supellectile libraria locisque communibus &c. A. 1694 prope limites Poloniæ incendio fuisset orbatus jacturamque cepisset irreparabilem. Jam vero, ne omnia secum moriantur, novi hujus instituti fundamenta jacit, & hoc quasi præludio indicat, quid ab aliis in pari conatu fieri possit præstantissimum, ut *Accursium* vel *Baldum*, Speculatorem, & alios fortasse magistros studiosi Juris non valde sint in posterum desideraturi. Proinde in hoc libro de natura Jurisprudentiæ forensis acturus, principia Justiniani, quæ invenit juri ac legibus consentanea, defendit & constituit, ut ad illa

tan-

tanquam ad regulam in hac ſcientia recte poſſint omnia examinari. Cap. I agit de fine cujus & cui Jurisprudentiæ, nempe
Juſtitia legali (i. e. decretis ac ſententiis Judicum) in foro liti- p. 16.
gantibus tribuenda. C. II de Inſtrumentis ſive mediis eorum-
que materia ex qua, i. e. de actionibus juris & legibus, ex quibus 48.
illæ conficiuntur. Qua occaſione docet, quid Juſtinianus per
præcepta naturalia, gentium & civilia intellexerit, nempe ait, Im- 55 ſqq.
peratorem conſideraſſe hominem pro triplici ſtatu, quo pertinet
ad Jurisprudentiam, 1) ut animal, 2) ut hominem, 3) ut hominem
civilem; inde fluere totidem illa præcepta: neminem lædere,
honeſte vivere, ſuum cuique tribuere. Vulgaria item conſue-
tudinis requiſita inquirit, & pleraque in dubium vocat, inprimis 85 ſqq.
conſenſum Principis. C. III de materia circa quam ſeu objecto
materiali ſ. operationis, ſcil. rebus tam divinis quam humanis, 107.
quatenus quæſtionem juſti vel injuſti ingrediuntur, uno verbo,
de quæſtionibus juris. C. IV de genere atque officio Jurispru-
dentiæ, quam ita definit: eſt ars conjecturalis diſputandi & ju- 145.
dicandi de quavis quæſtione facti in judicium deducta, ex actio-
nibus ſeu jure, ad tribuendam litigantibus juſtitiam legalem.
C. V de ſcopo & utilitatibus Jurispr. C. VI de ſcientia Jurispru- 152.
dentiæ & hujus objecto formali, ejusque ſcientiæ partibus. Pri-
mo contendit, omnino dari ſcientiam & methodum Juris, quia
doceri ac diſci poteſt; deinde, objectum principale totius ſcien- 169.
tiæ eſſe actiones de juſto vel injuſto; denique textum §. 12 J. de
J. N. G. & C. explicat, eosque, qui triplex inde ſibi objectum fin-
gunt, refellit. Scientiam juris conſtare putat duabus partibus,
contrariis quidem, ſed tamen junctim tractandis, Jurisprudentia 184 ſqq.
vera & fucata ſive rabuliſtica, quarum illa tribus libris, hæc vero
duobus rite poſſit explicari. C. VII de Indole hujus ſcientiæ. 89 ſq.
Agnoſcit Autor, eam eſſe ſecundæ menſuræ, i. e. quæ omnia ex-
acte demonſtrare non poſſit, ſed multa ex iis, quæ utplurimum
ſe habent, probet & generali ſub ratione exponat. Id quod nu-
perrime tradidit etiam Dn. *Puſendorffius* in Præf. Tr. de Privi-
legiis. C. VIII agitur de auditore genuino hujus ſcientiæ. Agno- 210.
ſcunt eruditi profundam Autoris tam in Jure Civ. quam in Phi-
loſophia veteri doctrinam. Ceterum abhorret Opuſculum ab

elegantia seculi, olet scholam magistri Peripatetici, pannisque obsoletis tegit margaritas.

HISTORIA PANDECTARUM AUTHENtica, sive D. Justiniani Imp. de Pandectis Epistolæ III, una cum Indice JCtorum Florentino, ex Emendatione LAUR. THEOD. JO. FR. F. GRONOVII, novaque opera FRANC. CAROLI CONRADI.

Halæ, apud Crugium, 1730, 8.
Plag. $14\frac{1}{2}$.

Illæ ante Pandectarum libros Præfationis loco positæ Orationes III Justiniani, ad historiam Juris perquam sunt necessariæ, sed insolentissime a librariis habitæ, & a medica editorum manu magis magisque depravatæ. *Laur. Theod. Gronovius* ex collatione Florentini Codicis, cujus usum ope *Magliabecii* nactus erat, vitia illa sanare instituit, editis Lugd. Bat. A. 1685 in has tres Constitutiones & Indicem Florentinum emendationibus. Quæ cum rariores essent factæ, nova forma illas ad prelum denuo paravit Cons. *Conradi*, Prof. Juris in Academia Helmstad. ita ut post emendationes illas *Gronovii*, integrum Constitutionum contextum accuratius repræsentaret, restitutas veriores a *Gronovio* lectiones admitteret, conjecturas autem ejus in marginem rejiceret. Insuper contulit primam & tertiam Epistolam cum duabus istis Tituli *de Vet. Jure Enucl.* legibus, nec sine fructu consuluit antiquissimas Codicis editiones impressas, Moguntinam & Basil. unde natæ sunt illæ notæ criticæ, quibus emendationes *Gronovii* passim examinantur. Nova Præfatio non est nullius momenti. Nam inter alia demonstratur contra Dn. *Brencmannum*, istas Epistolas non privata autoritate ex Tit. Cod. *de Vet. Jure Enucl.* descriptas & Pandectis præfixas fuisse, sed potius duas ex illis præcipuas jussu Imperatoris in Titulum Codicis relatas. Inde orta ei videtur ingens illa diversitas, quia Epistolæ cura Principis in Codice repetitæ prælectionis quasi fuerint recognitæ, notanturque illi, qui emendationes ex Titulo Codicis haurire satagunt. Indicem Florentinum recentiori tempore concinnatum & in locum Justinianei, qui perierit, substitutum suspicatur Dn. *Brencman-*

mannus, sed rectius pro genuino habetur, quem Græce prorsus initio compositum librarius in hybridam formam mutaverit. Quod vero mancus est & nævis laborat, nihil detrahit vetustati, quoniam haud dubie absoluto demum opere, compositionem ejus Compilatoribus injunxit Imperator.

ARCANA BIBLIOTHECÆ ANNÆBERgensis in Partes tres divisa &c. luci publicæ exposuit CHRISTIANUS GOTTHOLD WILISCHIUS.

Lipsiæ, sumtu heredum Lanckischianorum, 1730, 8.
Plag. 21.

Bibliothecam hanc eandem fere, quam urbem ipsam Annæbergam, originem primumque, qui urbem condidit, benefactorem Georgium Ducem Sax. habuisse, & paulatim civium munificentia ita auctam esse, ut non tam copia librorum & ornatu, quam antiquitatis venerandæ reliquiis & selectu commendetur, Cl. Autor, qui antehac scholæ Annæbergensis Rector & Bibliothecarius fuit, nunc vero verbi divini Minister est apud Fribergenses, fusius hoc Opere indicavit. Exstat hic, ut *Sectione I* docemur, inter alia cimelia *Pauli Jenisii*, Rect. Annæb. *Chronicon Annæbergense* manu scriptum, quod ab eo, quod postea prodiit, diversum subinde ac plenius esse traditur, ut & *illustrium aliorumque eruditorum Autographa*, codex satis spissus, qui CXCVIII epistolas & alia monumenta Principum non minus ac virorum doctorum seculi XVI complexus, ab eodem *Jenisio* A. 1593 Bibliothecæ illatus est, quem æmulatus quodammodo Cl. *Wilischius* eandem Bibliothecam ditavit novo volumine Epistolari doctorum præcipue superioris seculi, quo præter alia pars commercii epistolici, quod *C. S. Schurzfleischio, V. L. a Seckendorf, C. Cellario, & A. A. Hochstetero*, cum *Ott. Menckenio* nostro intercessit, continetur. Hinc Noster *Sectione II*, præmissis nonnullis de epistolarum usu, infert primum longum collectionum epistolarum, quæ Theologici maxime argumenti sunt, catalogum, unde didicimus, in manibus Autoris esse *Guntheri a Griesheim* Consil. Eccles. Sax. & Canon. Numburg. Commercium Epistolicum Theologicum, pluribus & prolixis satis Theologorum ejus temporis lite-

literis repletum, quod editione dignum utique existimamus: tum vero ex utroque Codice Annæbergensi epistolas nobis exhibet
p. 95. LXXIV, e quibus pauca hic memorabimus. Epist. 7 Jo. Frid. I El. Sax. a Comitibus Mansfeldicis petit, ut exuvias *Lutheri* Islebiæ
96. mortui mittant Vitembergam terræ mandandas, cui rei illi ægre quidem assenserunt, quod ei in patria sua Islebiæ sepulchrum concedere statuissent. Ep. 13 *Christoph. a Vietztum* Praga A. 1575
102. nuntiat *Greg. Bersmanno*, Prof. Poes. Lips. Hispanorum, Gallorum & Italorum tantam illic frequentiam esse, quantam nunquam alibi viderit: ordines Regni de instauranda Academia & amplectenda religione Augustana egisse diligenter, sed respon-
144. sum nondum accepisse. Ep. 34 *Giphanius* Altorfio scribens ad *Bersmannum*, commendat illi *Lucani*, quam parabat, editionem, & ab eodem suppetias petit ad editionem *Ammiani Marcellini*, a *Cantero* Ultrajecti adornandam, *Mureti* vero, *Sigonii*, *Victorii* & *Wesenbecii*, quem *Vitembergæ* morientem Ubiquitistis assensum
151. esse indicat, obitum dolet. Ep. 36 *Conr. Gesnerus* se libri de prodigio, quem dissimulato nomine ediderat, autorem fatetur. Ep. 37
152. *Sam. Huberus* Witteberga inter alia scribit: *est Academiæ nostræ pudendum, nullum organi esse præceptorem.* Ep. 41 *Lipsius* A. 1573, Jena scribens ad *Lud. Camerarium*, male sibi ominatur his verbis:
172. *Equidem metuo, ne nova exsilio nostro sedes quærenda sit, etsi devinctos habeo & virorum bonorum animos & juventutis.* Ep. 47
175. *Petrus Mosellanus* Lipsia nuntiat *Ge. Agricolæ* A. 1520: *Prælectio Augustini miro successu a me suscepta enecat illos, qui nolint sinceriorem Theologiam reflorescere. Sunt in hac nobis Auditores supra ducentos, atque inter hos Monachi, Magistri & Theologiæ Baccalaurei.* Claudunt agmen septem epistolæ ab *Andr. Ad. Hochstetero* A. 1690 & sequenti in itinere Belgico-Anglico ad *Ott. Menckenium* scriptæ, quæ ideo, quod multa singularia de viris eruditis, Theologis maxime, narrant, lectu dignissimæ
298. sunt. His demum Noster *Sectione III* subjecit Annalium Typographicorum specimen, Catalogum nempe Scriptorum in Bibliotheca illa exstantium, quæ ab A. 1466 ad finem usque seculi XV prodiere.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXXI.

MENOLOGIUM GRÆCORUM JUSSU Basilii Imperatoris Græce olim editum, munificentia & liberalitate sanctissimi Domini nostri Benedicti XIII in tres Partes divisum; nunc primum Græce & Latine prodit studio & opera ANNIBALIS tit. S. Clementis Presbyteri Cardinalis ALBANI S. R. E. Camerarii, & Basilicæ Vaticanæ Archipresbyteri.

Tomi III.

Urbini, ex typographia Venerabilis Cappellæ S. S. Sacramenti apud Antonium Fantauzzi, 1727, fol. maj.

Alph. 8 pl. 6½ cum Tabulis æneis in singulis paginis insertis.

SPlendidum hoc & insigne antiquitatis monumentum agnoscit autorem primum Basilium Porphyrogenitum, Orientis Imperatorem: uti quondam contra Cardinalem *Baronium*, pro Macedone eum habentem, ostendit *Leo Allatius*. Idem confirmat Purpuratus Editor Dedicatione sua ad Benedictum XIII Pontificem Maximum. Suadet id quoque Carmen Græcum, quo Menologii Autores Opus suum Basilio Imperatori dedicarunt his verbis:

Ἄναξ ὅλης τῆς γῆς, ΗΛΙΟΣ ΤΗΣ ΠΟΡΦΥΡΑΣ,
Βασιλέων τὸ θρέμμα τῆς ἁλουργίδος,
Κράτιστος ἀμφοῖν, καὶ τροπαίοις καὶ λόγοις.

T Rex

Rex totius terræ, SOL PURPURÆ,
Basilius fasciarum alumnus,
Præstantissimus in utroque, tropæis & verbis.

Non potuit autem Basilius Macedo ἥλιος τῆς Πορφύρας, seu Porphyrogenneta dici, qui a patre Imperatore non natus erat, sed ortus obscuro & ignobili genere. Imperator vero Basilius Porphyrogenitus, sive, quod idem, a patre jam Imperatore constituto genitus, non minus armis deditus quam studiis, inter atrocissima bella cum Saracenis & Bulgariis de Græcorum Sanctis in unum corpus redigendis cogitavit, ut tum fortitudinis tum pietatis exemplum nobile relinqueret. Neque eum concepta spes fefellit. Quibus enim munus Codicis adornandi impositum erat, nihil intermisere, quod ad splendorem ejus, & æternam civium præstantissimorum, qui in cœlitum numerum relati sunt, memoriam, pertineret. Præter accuratam & satis concinno dicendi genere conspicuam descriptionem Sanctorum Græcorum martyrii, quadringentas ac triginta imagines minio depingi curarunt, quæ Sanctorum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Monachorum, Virginum, Mulierum, Tyrannorum, Judicum, vestes, arma, sedes, ornatus, nec non ædium, templorum, tribunalium, structuram, formam, apparatum, oculis exhibent. Quanquam vero gratia & venustate carent; pro temporum tamen illorum conditione satis concinne efficta, ad res, quas repræsentant, intelligendas sufficiunt. Mortuo Imperatore diu Constantinopoli latuit Codex; usque dum forte fortuna allatus ad Ludovicum Sfortiam, Mediolani Ducem, ad Sfondratorum gentem illustrissimam deveniret. Dono tandem a Paulo S. Cæciliæ Cardinali Sfondrato datus Paulo V Pontifici, & Bibliothecæ Vaticanæ insertus, ubi tanquam in illustri positus monumento, primum incepit publico esse usui. Inde *Leo Allatius*, Vir Latine & Græce præclare doctus, Codicis ætatem, præstantiam, fortunam, aliquoties est persecutus in Dissertatione de Libris Græcorum Ecclesiasticis; quibus Eruditis salivam vehementer movit. Ideo cum desiderio videndi codicis eruditi tenerentur; eorum voluntati, parum tamen diligenter, satisfecit *Petrus Arcudius*, Corcyrensis,

par-

partem ejus aliquam A. 1659 opera *Ferdinandi Ughelli* Tom. VI Italiæ ejus sacræ publici juris faciens. Hic etenim *Arcudius* in Versione sua Latina partim adjiciendo, partim prætermittendo multa, imo quoque sensum ipsum mirifice detorquendo, multum sibi indulsit. Proinde a Cardinali *Josepho Maria Thomasio* curatum, ut suo nativo splendore Codex, prope in aliam formam ab *Arcudio* redactus, lucem videret: qui tamen impensarum magnitudine deterritus, inchoatum opus deseruit. Demum Pontifices Maximi, Clemens XI, Innocentius, & Benedictus XIII, perficiendo tabulas æneas, atque elegantes græcos typos procurando, ultimam manum applicuere Codici, ut nostra ætate, studio & impensis Emin. Cardinalis *Annibalis Albani*, edi potuerit. Præsertim Clemens XI, cum sex posteriores Menses intercidisse viderentur, eos, itidem autoritate Basilii Imperatoris in usum Ecclesiarum Constantinopolitanarum editos, ex vetustis Codicibus Monasterii Cryptæ Ferratæ restituit; quippe qui Græcis litteris mirifice excultus, agens decimum septimum ætatis annum, menses omnes accurate descripsit, & Latinitate feliciter donavit. Purpuratus Editor hujus Menologii subinde literas Græcas a *Petro Possino* ad *Joannem Franciscum Albanum*, nondum Pontificem, datas affert, quibus evincitur, *Albanum* adolescentem ineunte anno decimo tertio apprime jam literis græcis edoctum fuisse. Inter ea tamen, præter Aprilem & Majum, translatum ab Clemente XI in latinum sermonem, intercidit, incertum quo fato, quatuor Mensium versio. Augustum ergo latinum fecere Monachi Basiliani Cryptæ Ferratæ; Martium, Junium & Iulium transtulit *Petrus Benedictus*, e Societate Jesu. Attulisse vero hanc Menologii editionem insigne orbi erudito emolumentum, vel id documento esse potest, quod multa longe explicatius definiat, quam quidem *Menæa* illa, Venetiis A. 1689 cura *Nicolai Sari* Tomis VI in fol. Græce edita: ita, ut horum *Menæorum* supplementum existimari possit nostrum Menologium. Exemplum afferamus ex Mense Septemb. die secunda, ubi memoria *Mamantis* Martyris occurrit. *Menæa* non definiunt ætatem *Mamantis*; Menologium autem disertis verbis exponit,

Mamantem ſub Aureliano Rom. Cæſare inclaruiſſe. Contra in Menæis patria Martyris Gangra in Paphlagonia, ſedes quondam imperii Paphlagonici, explicate fertur; quod in Menologio non extat. Illa matrona, quæ, ſupplicio affectis parentibus, noſtrum Martyrem educavit, in Menologio dicitur ordinis ſenatorii; in Menæis vero nomen ejus Ammias eſt, addita ratione, unde Maman nomen ſuum acceperit, quia nimirum μαμᾶ ſuam novam matrem ſæpius nuncupaſſet. Menæa non docent, *Mamantem* a Præſide Cæſareæ in ignem conjectum eſſe: ex adverſo Menologium non exponit, eundem, cum quindecim annorum eſſet, baculis verberatum & circumpoſito cervici plumbo mari ſubmerſum, divinitus conſervatum eſſe. Ambo confirmant, cum ad belluas damnatus, & intactus ab iisdem rediisſet, confoſſum fuiſſe; Menologium dicit haſtili generatim; *Menæa* vero, tridenti ferreo. Demum in Menæis non commemoratur, *Mamantem* viſcera ſua in terram ictu effuſa, manibus ſuis ſuſtuliſſe, & ex urbe Cæſarea egreſſum eſſe. In iisdem quoque ſepulturæ locus Cæſarea non indicatur. Jure igitur meritoque Eruditi omnes, qui antiquitatis ſenſu aliquo ducuntur, Purpurato Viro *Annibali Albano*, ſui ordinis ornamento, pro nobili ſuſcepto labore inſignes deferunt gratias. Non enim ſolum verſionem *Arcudii* diligenter emendavit, ſed etiam reliquam partem, *Leonis Allatii* & *Arcudii* tempore pro deperdita habitam, Operi adjecit, ut adeo integrum habeamus Menologium. Interim majorem in modum ſibi devinxiſſet orbem literatum Purpuratus Editor, ſi ei placuiſſet, *Menæa* ſupra commemorata contendere cum Menologio; ut hac ratione notitia ex Menæis haurienda, in Menologio autem præſuppoſita, quæ jam pauciſſimorum eſt, omnium fieret. Subinde vero *Petrum Benedictum*, e Societate Jeſu, Virum Græcis & Syriacis literis mirifice excultum, rogamus publico nomine, ut, quæ jam ſelecta MSta Syriaca manu verſat, & latinitate donat, inprimis Martyrum Perſarum hiſtoriam, quamprimum typis deſcribendam curet.

ANASTASII BIBLIOTHECARII DE VI-

tis

tis Romanorum Pontificum, a Beato SYLVESTRO ad S. GREGORIUM M. cum Notis variorum, ſub Auſpiciis ſanctiſſimi noſtri BENEDICTI XIII, Pontificis Maximi.

Tomus III.

Romæ, ex Typogr. Vaticana, apud Jo. Mar. Salvioni, 1728, fol. maj.

Alph. 4 pl. 16 Tabb. æn. 28.

NOn de ſede Romana ſolum, ſed etiam de literario orbe bene mereri pergit Vir Clariſſ. *Franciſcus Blanchinius*, Veronenſis, Baſilicæ Liberianæ Canonicus & Prælector domeſticus, publici juris faciendo Tomum tertium Vitarum Romanorum Pontificum, quas *Anaſtaſius* Bibliothecarius collegit. Cujus quidem præſtantiſſimi Operis Tomum primum cum A. 1719 p. 425, Tomum ſecundum autem A. 1725 p. 153 in Actis noſtris recenſuerimus; noſtrum nunc erit commemorare, quæ hujus tertii Tomi ſit ratio. Antequam Celeb. Editor ipſum *Anaſtaſii* textum cum variis doctiſſimorum virorum annotationibus exhibet; præmittit uſu non caritura Prolegomena; eo conſilio, ut non ſolum lectori facem præferat ad meliorem *Anaſtaſii* intelligentiam, ſed etiam ut ex æqualis ætatis monumentis fidem faciat hiſtoriis ab *Anaſtaſio* relatis. Exhibetur ibi *primo* Tractatus Analyticus de præeminentia & autoritate ſanctæ Sedis, breviter complectens hiſtoriam dogmaticam ejusdem S. Sedis a fundatione usque ad Pontificatum S. Leonis M. Gallico ſermone eum elaboravit Cl. *Sommier*. Quam vero hic deprehendis, Latinam interpretationem D. *Cajetano Cenni*, Presbytero Piſtorienſi, acceptam referas. Faciet hoc Opuſculum ad acquirendam generalem notitiam connexionis hiſtoriæ, quæ integro hoc Tomo illuſtratur. Quæ ſigillatim Romani Pontifices memoratu digna geſſerunt, vel ad regulas fidei & morum, vel ad conſtitutas in Eccleſia cerimonias poſſunt referri. Illa ex Conciliorum Actis & Epiſtolis Pontificum decretalibus ſat lucis accipiunt; hæc non ſine laude illuminarunt *Macer*

& *Cangius* in Lexicis suis. At enimvero cum seculo quarto, quinto & sexto præcipuæ ecclesiæ sint fundatæ; instrumenta autem divini cultus antiquis nominibus a Bibliothecariis exprimantur; e re esse duxi, afferre aliquot publica documenta illius ætatis, de qua hoc Tomo agitur, ex quibus constare possit, qualis tum temporis sacræ supellectilis fuerit ratio? Huc pertinet *Charta*, quæ secundum locum inter Prolegomena obtinet, *Cornutiana* s. donationis, quam obtulit Ecclesiæ Cornutianæ Fl. Valia Q. Theodovius Leone Augusto V & Probiano Consulibus, edita a Viris Cl. *Suaresio* & *Mabillonio* Huic chartæ non solum *Franciscus Blanchinius* notas addidit, sed & observationes præmisit. Quibus quidem interseruit alia adhuc monumenta comparis cum historia, quæ hoc Tomo recensetur, ætatis; quorum paucis mentionem faciemus. Primum describit Cubiculum, quod in æs incidi curavit, Cœmeter. S. S. Martyrum A. 1726 via Salaria detectum. Uti ex inscriptionibus ibidem repertis concludit, hæc monumenta ætatem Sylvestri attingere; sic ex altari ibi deprehenso & collato *Augustini* testimonio ostendit, veteribus Christianis solenne admodum fuisse, super sanctum martyris corpus sacrificium offerre; cum crediderint, Deum martyrum sepulchra sanctis suis angelis sociasse. Inter ornamenta Clericorum præ ceteris celebre est *Pallium* seu *Phrygium Pontificale*. De quo quidem *Blanchinius* singularem observationem profert. Generatim tuetur, pectorales fascias sive clavos purpura contextos & assutos oræ togarum magistratibus majoribus quondam datos fuisse. Primos autem Christianos Antistites hunc ritum fuisse imitatos, ut quædam sacerdotii insignia haberent. Præcipue autem *Blanchinius* finire studet celebrem controversiam, qua quæritur, utrum Papa *Celestinus Cyrillo Alexandrino Phrygium* transmiserit, ut ejus nomine synodo Ephesinæ præsideret? an vero Alexandrini Pontifices ab ipsis Ecclesiæ suæ initiis in consecratione pallio fuerint induti? Exhibet enim imagines duorum magistratuum Romanorum Conciliorum ex veteri pictura, in libris Antiquitatum *Camilli* Cardinalis *de Maximis* extante, depromptas. Inibi Præses Concilii a ceteris omnibus discriminatur ornamen-

to

to singulari convoluto circa collum, humerum, ac pectus in morem fasciæ latioris. Cum itaque ejusmodi ornamentum Præsidis Concilii indicium fuerit; existimat, planum esse, quod utique *Cyrillus* a Papa *Cælestino* phrygium acceperit, ut ejus nomine Concilii Ephesini Præses esset. Quæ quidem argumentatio utrum omni nævo careat, antiquitatis ecclesiasticæ consultis judicandum relinquimus. Ad historiam *Constantini M.*, Sarmatarum Longobardorumque illustrandam facere putat imaginem Ducis barbari, quam ex veteri sigillo æneo, in urbe effosso, in æs incidi curavit. Ex nummo *Constantini M.*, qui in pectore hujus Ducis visitur, conjectat, illum fuisse e Scythis aut Sarmatis imperio additis; de quibus *Eusebius* Lib. IV Cap. 6 & 7 refert; quod beneficio & concessu *Constantini M.*, post partam auspicio crucis Domini victoriam, barbaram feritatem Romana libertate permutarint. Tertium locum inter Prolegomena sibi vindicat *Ordo Romanus* ex vetusto Codice tabularii Capituli Veronensis editus; cui præmittuntur prænotata *Francisci Blanchini*. Edidit quidem *Georgius Cassander* jam A. 1561 Coloniæ Ordinem Romanum. Quam editionem post septem annos recudi curavit *Melchior Hittorpius*. Sed de hac editione judicat Celeberr. Cardin. *Jos. Maria Thomasius*, *quod sit farrago diversorum rituum secundum varias consuetudines*. Huic malo mederi & unius ejusdemque ætatis Ordinem Romanum exhibere voluit vir in his literis summus, *Mabillonius*. Tres enim illos Ordinis Romani libellos, qui de missa, baptismo & sacris ordinationibus agunt, Tomo secundo Musæi Italici ex vetustis Codicibus edidit. At vero nullum Codicem præ manibus habuit *Mabillonius*, qui manifestum contineret ætatis, qua scriptus fuerat, testimonium. Codex autem, quo doctissimus *Blanchinius* usus est, hac prærogativa gaudet. Cum enim in eodem vota nuncupentur pro salute Ludovici & Lotharii; facilis est conclusio, quod hic Codex imperantibus Ludovico & Lothario sit scriptus. Appendicis loco ad tertium, cujus mentionem fecimus, Opusculum adjici curavit Epistolas duas *Gelasii* Papæ adhuc ineditas, quas ex vetustissimis Codicibus tabularii Capitularis Veronensis, suis notis additis, cum clarissimo editore communicavit ejus fratris filius *Josephus Blanchinius*, Cathe-

thedralis Ecclesiæ Veronensis Canonicus. Promittit etiam Celeberr. Editor, se ex eodem Veronensi tabulario propediem cum aliis sanctorum Patrum Opusculis editurum *Felicis tertii* Tractatum de evitanda communione *Acacii*, nondum publici juris factum. Sed propositum hoc præmatura doctissimi *Blanchinii* morte, de qua haud ita pridem facti sumus certiores, vehementer dolemus interceptum. Quarto denique inter Prolegomena sistitur Chronologia Pontificia, Cæsarea & Consularis a S. *Sylvestro* ad S. *Gregorium M* per *Franciscum Blanchinium*, secundum annos Romanor. civiles, comparatos Æræ Christi communi & periodo *Julianæ Scaligeri*. Nondum vero Prolegomenorum finem facit; sed duo adhuc additamenta addit. Primum constat tribus vetustis inscriptionibus, ætate *Gallieni* incisis in æneis tabulis, quæ A. 1728 Rever. Cardin. *Albani* venales oblatæ sunt. Faciunt hæc monumenta ad barbaras voces Operis Anastasiani illustrandas. Alterum additamentum est imagines B. *Petri* & S. *Pauli*, ætate *Sylvestri* in ecclesia Romana custoditæ.

Progredimur ad Partem alteram hujus tertii Tomi, qua notæ variorum ad *Anastasium* continentur. Quorum autorum notæ hic deprehendantur, in Actis nostris A. 1725 p. 155 jam exposuimus. Unde illud tantum repetimus, quod *Francisci Blanchinii* & *Alphonsi Ciaconii* notæ nunc primum in lucem prodeant. *Ciaconii* observationes plerumque sunt brevissimæ; & utique iis *Blanchinii* annotata accuratione & eruditione palmam præripiunt. Ex *Blanchinii* itaque notis specimina quædam in medium proferemus. Inchoabimus a celebri, quam tangit, controversia de rebaptizato anno ætatis 45 *Constantio*;
p. 27. cum *Blanchinius* tueatur, quoad hanc historiam alios scriptores ecclesiasticos ex *Anastasio* posse emendari. *Anastasius* in vita *Felicis II*, *Hic*, inquit, *declaravit Constantium filium Con-*
29. *stantini hæreticum & secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediensi.* Huic *Anastasii* relationi refragari videntur comparis ætatis scriptores. *Hilarius* enim quinquennio ante obitum *Constantii* queritur, *quod Constantius nondum regeneratus* h. e. baptizatus *credendi formam præscribere audeat ecclesiis.* Cui quidem *Athanasius* in libro de Synodis suffragatur. Unde intelligitur, catechumenum fuisse *Constantium*, morti vicinum.

cinum. Qui igitur *Anastasio*, de iterum baptizato Constantio verba facienti, credere possumus? Observat *Blanchinius*, ex indubitatæ fidei scriptoribus constare, *Constantinum M.* cum συγγενεῖς αὐτοῦ Romæ A. 319 baptizatum esse. Cum igitur Constantius, A. 317 natus, tum temporis jam bimus fuerit; non dubium esse, quin etiam una cum *Constantino M.* baptizatus sit. Præterea contendit, *Anastasium* h. l. majorem fidem mereri, quam *Hilarium* aut *Athanasium*, cum Romana ecclesia diligentissime servaverit memoriam collati a se in *Constantinum M.* ejusque liberos baptismi, & causa etiam dari possit, quare *Hilarius* & *Athanasius* primum *Constantii* baptismum ignoraverint. Nempe verisimile esse, quod *Constantius* juvenis baptizatus confirmationem distulerit, dein autem, cum ipsi Arianorum placita arriderent, baptismum, quem ab orthodoxo doctore acceperat, de industria dissimulaverit. Uti autem *Blanchinius* cum *Anastasio* statuit, rebaptizatum esse *Constantium*; sic conjicit, *Eusebium* Nicomediensem erronee hic nominatum esse; cum *Euzoius*, Episcopus Arianus Antiochenus, rectius dicatur Constantium iterum baptizasse. Singulari industria *Blanchinius* ornamenta Basilicæ Liberianæ, cujus Canonicus fuit, edisserit. Vitæ enim *Sixti III* attexuit duas Dissertationes; quarum una agit de translatione sacrorum cunabulorum ac præsepis Domini nostri Jesu Christi, nec non corporis B. *Hieronymi*, ab Ecclesia Bethlehemitica ad Basilicam Liberianam. Dissertatio altera describit musivas imagines, a Xysto Papa III collocatas in amplificatione Basilicæ Liberianæ post Oecumenicam Synodum Ephesinam. Ex priori Dissertatione quædam delibabimus. Agnoscit, insignem errorem commissum a *Petro de Natalibus*, qui refert, tempore *Cyrilli* Hierosolymitani *Hieronymi* corpus ad Basilicam Liberianam esse translatum; cum mortuo *Cyrillo* vitam adhuc egerit *Hieronymus*. Tuetur autem, Hieronymi corporis translationem evenisse circa annum 640. Quo quidem tempore etiam sacra Christi cunabula Romam sint translata. Id quod variis argumentis communit. Magnam etiam navat operam, ut declaret, quomodo hæ reliquiæ in Palæstina præservatæ fuerint, antequam Romam pervenirent.

[Margin notes: p. 30. (beside "sit. Præterea contendit"); 109-122. (beside "fuit, edisserit"); 123-140. (beside "Dissertatio altera"); 110. (beside "delibabimus"); 113. (beside "mortuo Cyrillo")]

p. 117. Provocat præcipue ad *Constantini M.* ætatem, qua templa fuere erecta super Sanctorum reliquias summa diligentia conquisitas. Non deprehendimus autem, quod solide demonstret, Mariam tantum pretium cunabulis Christi statuisse, ut eadem studiose servaverit. Quod quidem cum nondum evictum sit; nonne frustra ex sequenti ætate testimonia conquiruntur de diligentissime servatis Christi cunabulis? In vita *Hormisdæ Anastasius*, *Eodem*, inquit, *tempore venit Regnum* (i. e. corona aurea, quæ Regnum appellari solet,) *cum gemmis pretiosis a Rege Francorum Chlodoveo Christiano donum B. Petro Apostolo.* Ad
242. 243. quæ quidem verba observat *Blanchinius*, *Chlodoveum* respexisse ad visionem seniorum Apocalypseos, qui divinitatem Redemptoris nostri profitentur oblatione coronarum suarum ante illius thronum. Ex *Plinii* Lib. 16 Cap. 4 etiam docet, paganos eodem consilio Diis suis coronam obtulisse, & aras victimasque coronasse. Plures *Blanchinii* observationes non commemoramus, cum ex generali hujus Operis instituto unicuique facile pateat, quas historias hic illustratas quærere debeat. Illud tantum observamus, majori diligentia hic explicari, quæ ad ritus ecclesiæ pertinent, quam quæ faciunt ad historiam doctrinarum atque hæresium. Videlicet ipsorum Bibliothecariorum propositum fuit, gesta Pontificum in majoribus scriptis non commemorata recensere. Quæ enim Pontifices perpetravere ad universæ Ecclesiæ statum pertinentia, plerumque generali hac formula tantum indicant: *fecit constitutum de ecclesia.* Ceterum etsi Cel. *Blanchinium* constat, vix absoluto hoc Tomo, nempe VI nonas Martias A. 1729, anno ætatis LXVII, magno Reip. literariæ damno, rebus mortalibus ereptum; spes tamen superest, reliqua *Anastasii* ex schedis ejus proditura pari cultu ac felicitate.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES ab anno Æræ Christ. D ad MD. LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS, Sereniss. Ducis Mutinæ Bibl. Præf. collegit, ordinavit, & Præfatt. auxit, nonnul-

nullos ipse, alios vero Mediolanenses Socii ad MSS. Codd. fidem exactos, variis Lection. & Notis auxere.

Tomus XVI.

Mediolani, ex Typogr. Societatis Palat. 1730, fol. Alph. 7 pl. 8 Tabb. æn. 2.

TOmo hoc, S. P. Q. Mediolanensi dedicato, exhibentur I *Vitæ Episcoporum & Patriarcharum Aquilejensium, a primo Christianæ Æræ seculo usque ad A. 1358*, ab Anonymo circiter eundem annum conscriptæ, quas jam antea Cl. *Muratorius* Tomo IV Anecdotorum suorum in lucem protraxerat. His accessere *Antonii Bellonii*, qui sub initium Seculi XVI floruit, *Vitæ Patriarcharum Aquilejensium*, a Cl. Viro *Apostolo Zeno* communicatæ, & hic e Bibl. Vaticana & ab *Ant. Ranbaldo*, Colalti Comite, novis Additamentis auctæ. Sequuntur II *Petri Pauli Vergerii*, Justinopolitani, qui a juniore *Vergerio*, quem notum est, cum refutare Evangelicos aggressus esset, agnitione veritatis ad eorum castra transiisse, omnino diversus, ex eadem tamen familia fuit, *Vitæ Principum Carrariensium ad annum circiter 1355*, (neque enim absolvit Autor, aut potius suprema familiæ attingere noluit,) nunc primum, ut Cl. *Muratorius* censet, e Codice Estensi editæ; quanquam, nisi maxime fallimur, jam antea editæ, & Thesauro Italiæ *Grævio-Burmanniano* insertæ fuerunt, ut testatur Lexicon Eruditorum vernaculum *Menckenianum*. Interim bene factum, quod in eo recudendo non modo probum Codicem Estensem adhibitum, verum & duos alios opera diligentissimi *Argelati* collatos intelligimus, imo additas insuper e Codice illo Estensi ejusdem *Vergerii* Orationes quasdam & Epistolas historicas satis elegantes, quas inter eminet illa de *Virgilii* Statua Mantuæ per Carolum Malatestam eversa invectiva; ut taceamus *Franc. Zabarellæ* Orationem ad Franciscum Carrariensem, Ducem Patavii, in obitu Parentis ejus Francisci, ultimo loco additam. Succedit III *Breviarium Italicæ Historiæ a temporibus Friderici II Augusti usque ad A. 1354*, ab Anonymo Italo, sed synchrono, Autore conscriptum. Inciderat in Codicem libri, quantum constat, unicum *Menckenius* noster, p. 215 sq.

cum Bibliothecæ nostræ Paulinæ scrinia excuteret, eundemque accurate in usus suos atque adeo ad lucupletandos Scriptores suos rerum German. & Saxon. describi sibi curaverat; at cum res in eo Italicas fere tantum contineri intelligeret, librum Amico suo veteri Cl. *Muratorio* cedendum putavit, qui de Italia sua tam præclare hoc tempore meretur. Etsi vero is haud sibi ingratum opus fuisse fateatur; non potuit tamen non quædam resecare ex iis, quæ tempora Friderici II præcedebant, quod Autor *Riccobaldum*, (cui nec ipsi quidem pepercit Noster, cum eum Tomo IX Collectionis hujus ederet,) aliosque notissimos Scriptores in illis secutus videretur. Equidem versiculos illos, quos prosæ suæ inseruit Autor, se minime capere fatetur Cl. *Muratorius*:

Me genuit tellus Romæ *vulcana* (seu *Vulcania*) candens
Pondera *claudentem jam* particularia libræ;

verum quid si eum in territorio Romano dicamus a fabro ferrario fuisse natum, eamque artem jam tractare incepisse, & pondera minora pro ætate tractasse atque aliis adaptasse? Latinitatem enimvere ferream nemo in eo miretur; etsi ausus est librum Carolo IV, qui A. 1354 Coronam Imperialem suscepturus, in Italiam descenderat, dedicare. Sequitur IV *Petri Azarii*, Notarii Novariensis, synchroni Autoris, *Chronicon de gestis Principum Vicecomitum ab A. 1250 ad 1362*, cum Opusculo ejusdem Autoris *de Bello Canapiciano*. Quale Nostri de Autore judicium sit, ipsius verbis lubet proloqui: „ Non solum res sui temporis, sed quibus nonnunquam & ipse interfuerat, literis mandavit. Humili quidem ac interdum barbaro stylo est usus; attamen vadem me præsto, omnia ferme, quæ scripsit, lectum iri cum voluptate. Nam vivido ingenio is fuit atque apto ad rectum de rebus judicium ferendum; &, quæ laudanda erant, sincere laudavit, quæ vero a semita recti discederent, veritatis amans fortiter improbavit. Certe lepores identidem narrationi immixtos & nitidam morum picturam apud eum reperias; neque facile librum deponas, ubi semel legere inceperis. „ Etsi vero *Lazarus Augustinus Cotta*, JCtus Novariensis, in exemplo cum Nostro communicato verbis barbaris puriora substitue-

stituerit; maluit tamen hic sequi Codicem incorruptum, quem
idem *Cotta* paulo ante mortem intulerat Ambrosianæ. Cete-
rum confirmat, Autorem eas tantum res, quæ intra A. 1250 &
1362 gestæ sunt, sibi enarrandas constituisse, & falli adeo *Puri-
cellium* & cum eo *Picinellium*, qui, eundem Annales Mediolan.
ab origine urbis ad A. 1402 reliquisse, nondum editos, existi-
mant, quippe quos alium haud dubie Autorem habuisse, pro-
babile est. De altero quoque Opusculo Autoris de bello Cana- p. 295-426.
piciano, ubi varios casus Canapiciani Comitatus, (nunc *il Ca-
navese*) in Pedemontana regione siti, describit, observat Noster,
insertum quidem fuisse idem a *Cotta* libri Veneriis sub titulo
Galleria di Minerva editi Tomo II, sed stylum temere mu-
tatum, quin & mala fide intrusa quædam atque adeo *Azario*
supposita fuisse, quæ merito in hac editione exulant. Hæc ex-
cipit V *Chronicon Placentinum ab A. 222 ad 1402*, e Codice Mu-
tinensi, cum Simonettano collato, nunc primum editum, quod
Johanni de Mussis primus vindicat Noster, quandoquidem ille
ad A. 1399 de miraculo a se viso differens, nomen suum prodi-
dit, quod non animadversum *Campo*, qui in præstantissima Hi-
storia Placentina eo se usum quidem, sed nomen ignorare, fa-
tetur. Ceterum notat Cl. Editor, Autorem, Gibellinis partibus
nimium addictum, culpam malorum omnem in Pastores Ec-
clesiæ conjicere, quod ei in illa temporum iniquitate condonan-
dum putat: Diplomata vero, quæ multa passim inserta erant,
nimium tamen depravata, plane omittenda censuit, quod o-
mnia & longe accuratius descripta exstant apud laudatum mo-
do *Campum*. Opportune postea ex eodem Codice Estensi
accessere *Placentinæ urbis descriptio*, cum origine aliquot fa-
miliarum nobilium non Patavinarum modo, sed & aliarum
Italiæ urbium, quæ, quoniam nonnulla hinc in Chronicon trans-
tulit, eundem Autorem habere putat, quamvis non neget, mul-
ta hic contineri prorsus fabulosa; tum *Chronica Rectorum Ci-
vitatis Placentinæ*, ac denique *Fabricii Martiani*, qui A. 1476
a sede Tordonensi in Patavinam translatus est, *Chronica Epi-
scoporum Placentinorum*. Proximum locum occupant, e Co-
dice Novariensi, VI *Annales Mediolanenses*, *incerto Autore ab*

A. 1230 ad A. 1402 scripti: nam, quæ ex *Gualvanei Flammæ* Florum Manipulo, a Nostro pariter Tomo XI vulgato, inde a condito Mediolano ad A. 1230 aliisque plena fabulis, & deinde quoque passim ex *Azario*, retentis ipsis ejus verbis, descripsit, ea utique prætermittenda hic duxit Cl. Editor. De Autore nihil quidem constat, etsi *Corius*, qui eum adhibuit in Historia Mediol. & alii, quos paulo ante nominavimus, Annales hos *Petro Azario* adscribant, qua in re magnopere eos falli hic iterum docet Noster, simul indicans, ne de patria quidem ejus quicquam ex lectione libri constare, cum nunc Mediolanensis, nunc Novariensis, aliquando Placentinus aut Parmensis esse videatur, quod inde factum, quia ipsa autorum verba, mentione tamen illorum haud facta, nihil mutans descripsit. Subjicitur his VII *Castelli de Castello*, Notarii & Jurisperiti Bergomatis, *Chronicon Bergomense Guelpho-Ghibellinum ab A. 1376 ad A. 1407*, quo tempore vixit Autor, & Bergomensibus, a quibus Codicem obtinuit, multo in honore fuit habitus. Etsi vero & stylo barbaro exaratum sit, & nihil fere, quod magnum in historia momentum trahat, contineat; neutiquam tamen rejiciendum plane putavit Cl. *Muratorius* vel ideo, ut intelligant Lectores, quousque factiosorum, Guelphorum nempe & Gibellinorum, (his vero favere Autor videtur,) furor & insania processerit. Ceterum idem Chronicon Italice quoque translatum in MS. exstare didicit Noster e *Matthæo Ægyptio*, quem singulare Neapolitanæ urbis bonarumque literarum ornamentum vocat, a nobis quoque laudatum superiori Anno Mens. Sept. p. 407. Interjectis deinde *pacis capitulis facta Laudæ d. 9 Apr. 1454 inter Franc. Fascanum Ducem Venet. & Franc. Sfortiam Vicecom. Ducem Mediol.* sequitur VIII *Ordo funeris Jo. Galeatii Vicecom. Ducis Mediol.* qui cum multum extulisset res Mediolanenses, magnifica sepultura, qualem antea Italia non viderat, elatus est: accessit ejusdem Epitaphium non inculto carmine exaratum, & *Petri de Castelletto* in eundem *Oratio funebris*; ut & *Fragmentum Historiæ Mediolanensis*, Italice scriptum ad A. 1368: quæ omnia Noster debet Viro Cl. *Franc. Arisio*, Cremonensi. Claudit nunc Tomum IX specimen *Historiæ Sozomeni*, Presbyteri & civis Pistoriensis,

riensis, *ab A. 1362 ad A. 1410*, nunc primum tenebris erutum e MS. Codice nobilis Viri *Jo. Bapt. Restæ*. Non est obscurum nomen hujus *Sozomeni*, quippe cujus mentionem fecere *Possevinus*, *Panvinius*, *Vossius*, *Caveus*, *Oudinus*, *Mabillonius*, & plures alii. Et passim exstant grandia Chronici ejus inde ab O. C. volumina, cumque alia ad A. 1292, quousque revidisse & emendasse opus videtur, alia ad A. 1410 pertingant, hinc diversæ de ætate Scriptoris exortæ sunt sententiæ. Noster eum A. 1387 natum, & circa A. 1457 e vivis excessisse probat. Et quamvis alios, inprimis *Johannem* & *Matthæum Villanos*, *Leonh. Aretinum*, *Poggium*, *Capponium* & *Buoninsegnium*, Scriptores Florentinos, sæpe κατὰ πόδα secutus sit, atque adeo vix laudibus, quibus eum extulere recentiores, dignus videatur; hanc tamen laciniam detrahere Operi, & hic, speciminis quasi loco, exhibere non detrectavit Cl. Editor.

MEMORIAS PARA A HISTORIA ECCLEsiastica do Bispado da Guarda, &c.

h. e.

MEMORIARUM AD HISTORIAM Ecclesiasticam Episcopatus Guardiæ spectantium Pars prima, complectens duobus Tomis ea, quæ ad illum Episcopatum pertinent, dum sedes Episcopalis in civitate Idania fuit, inde a fundationis suæ tempore, donec a Mauris extincta est, dicata Regi JOHANNI V, approbata ab Academia Regia, scripta a Doctore EMANUELE PEREIRA DE SYLVA LEGALI, JCto Ulyssiponensi, Collegii Pontificii S. Petri Collega in Universitate Conimbricensi, Equite Ordinis Christi & Academico Regio.

Tomus primus.

Ulyssip. Occident. apud Jos. Ant. de Sylva, 4 maj. Alph. 1 pl. 8.

Cum

CUm Excell. Autori nostro historiam Episcopatus hujus scribendi munus ab Academicis injunctum fuerit, illi ex asse præsenti Opere satisfacere studuit, quod ex præmisso ei apparatu historico & Prologo, insigni eruditione referto, luculenter apparet. Quippe ibi de methodo historiam scribendi in genere, ac dein speciatim de sua disserit, postea vero subsidia tam Manuscripta, seu monimenta ex Regni tabulariis sibi subministrata, quam impressa, quorum nonnulla pag. 22 seqq. partim laudat, partim vituperat, recensens, amplissimum singulorum Indicem ordine alphabetico annectit a p. 37 usque ad 110. Ipsam historiam tribus Titulis comprehendit, quorum primo, novem Capitibus, antiquam Idaniæ diœcesin illustrat, & tempus, quo radiis Evangelii collustrata fuit, & sedes Episcopalis ibi collocata, definit, secundo vitas & actiones Episcoporum Idaniæ quindecim Capitibus, tertio personas sanctitate illustres hujus Episcopatus quatuor Capitibus persequitur. His appendix, seu Dissertatio Critica contra Concilium Bracarense, a *Bernardo de Brito* publicatum, subjuncta est. Ex singulis igitur notatu digna breviter more nostro excerpemus. Capite primo veteris Idaniæ diœceseos limites & confinia describit, & extra controversiam ponit. Capite secundo disquirit, quando & per quem Idaniæ civitas fundata sit? ac non solum de ejus origine, sed & situ, variisque nominibus & statu, usque ad deletionem ejus Seculo octavo per Mauros factam, prolixe agit. Probat ex diversis Inscriptionibus, Egitaniam, vel Ægitaniam, & Igeditaniam vel Igæditaniam, olim dictam esse & Idaniam, dein opinionem duplicem, de ejus fundatione per Græcos aut Romanos, examini subjicit. Cap. III primam fidei Christianæ lucem Idaniæ ab Apostolo S. Paulo illatam esse, ex ejus in Hispaniam itinere conjicit, & Cap. IV S. Petrum de Rates, S. Jacobi discipulum, ibi Christi doctrinam prædicasse, negat. Cap. V sedis Episcopalis Idaniæ originem rimatur, & primis tribus seculis, num Episcopus ibi, vel eo tempore Metropolitani in Hispania fuerint, haud constare probat; nec quarto Seculo id satis exploratum esse, Capite VI evincit, nec Constantini Magni tempore, simulque de Hispaniæ in Episcopatus

patus varios divisione illi tributa judicat. Nec, quinto seculo Episcopos Idaniam habuisse, Capite VII verisimile ipsi videtur, & primum Concilium Bracarense eo fine examinat, epistolasque, cum eo a *Bernhardo de Brito* publicatas, adulterinas ac suppositas esse, Capite VIII multis argumentis ostendit; potius vero in Concilio Lugensi Cathedram Episcopalem Idaniæ constitutam fuisse, variis rationibus Capite IX confirmare annititur. Hinc Tituli secundi Capite I, *Adorium* seu *Adoricum* Præsulem memorat, demum anno 569 electum, & contraria de quatuor Episcopis anterioribus, *Salvato, Gregorio, Egica & Audencio*, opinione refutata Capite II, Episcopatus Adorii tempore ortam de Cyclo Paschali controversiam refert Capite III, & prolixe discutit, Capite IV secundum Ecclesiæ Egitanensis Præsulem *Licerium* vocat, & cum ille Concilio Toletano, A. 597 habito, interfuerit, primum ejus Canonem, ad disciplinam Ecclesiasticam & sacerdotum continentiam spectantem, docte illustrat, & p. 142 sqq. de Secretariis Ecclesiæ, sive locis, quibus asservabantur vasa sacra, & Subdiaconorum officio ac dignitate fuse disserit. Capite VI tertius Episcopus *Montesis* appellatur, qui Concilio Toletano, A. 633 habito ad disciplinæ Ecclesiasticæ emendationem, multum contulit, & duos antecessores *Fulgentium* & *Athanasium* minime habuit. Capite VII officium antiquum Ecclesiarum Hispaniæ, a Mozarabibus seu Mixtarabibus, mistis scilicet cum Hispanis Arabibus, celebratum, & Concilii Toletani quarti Canones aliquot eruditis observationibus illuminat. Capite VIII Episcopum *Mentesium* a memorato jam *Montesis* diversum esse probat, & Canonem septimum Concilii Toletani sexti, de Pœnitentia publica peccatorum agentem, prolixe interpretatur, ac ejus ritus explanat. Quintus Episcopus fuit *Armenius*, qui Concilio Toletano septimo subscripsit. Hinc Capite IX Canonem ejus primum, de Clericis transfugis & desertoribus, explicat simul, &, quinam sint homines officii Palatini, definit. Capite X Episcopus *Sylva* commemoratur, ac varia, quibus interfuit, Concilia historice pertractantur, & quia litem ipsi moverat *Justus*, Episcopus Salmanticensis, de

diœcesi sua, Capite XI disquirit, quando & qua ratione Episcopus Egitanensis Ecclesiam Emeritensem pro Metropolitana agnoverit, &, quantum temporis ad præscriptionem vicinarum diœcesium requiratur, ex Jure Civili & Canonico disputat. Capite XII sequitur Episcopus *Monesonsus*, &, cum eo vivente sextum Concilium Oecumenicum Constantinopoli fuerit habitum, illius historiam & controversiam in subscriptione Actorum enatam describit. Capite XIV sub examen vocat, quæ vulgo de aliis post *Monesonsum* Episcopis, ante *Theodomirum*, traduntur; & tandem Capite XV *Theodomirum* adjungit, simulque de Epocha consecrationis templi S. Jacobi in Compostella, & Concilii Ovetensis, controversa, sententiam suam expromit. Titulo tertio quatuor Capitibus memorias sanctarum feminarum, *Xantippes*, *Wilgefortis*, *Antoninæ*, *Irenes*, celebrat. Appendix quatuordecim Notis criticis, in quibus præter alia de Bibliotheca Monasterii Alcobacensis p. 7, 8, de *Alberto* Portuensi, de *Gelasio* Emeritensi, p. 37 & 43, de *Pontamio* Eminiensi p. 18, de *Petro* Numantino p. 51, de voce Fanum p. 54, agitur, Concilii Bracarensis, a *Bernardo de Brito* editi, autoritatem destruit, & Actis Academicis anni 1723 jam inserta fuit.

VERA DELINEATIO ATQUE DESCRIPTIO Globi Imperialis, qui inter cetera S. Rom. Imperii Insignia asservatur.

Francof. & Lipf. apud Petr. Conr. Monath, 1730, fol.

Plag. 4½, cum fig.

QUamvis de Insignibus Imperii Romani & speciatim de Globo Imperiali extent peculiares eruditorum Commentationes; præsens tamen Opusculum satis docet, quantum ad eam historiæ partem illustrandam possit conferri. Habemus hic ipsum Globum ad justam magnitudinem artifice manu æri eleganter incisum, & quam diligentissime explicatum. Globus simplex & lamina tantum auri purissimi inductus, Carolo M. tribuitur, crux vero & circuli gemmati a Conrado II. Imp. addi-

additi creduntur, propter diversum auri valorem, & recentius in gemmis sectis ac insertis artificium, & potissimum propter Monogramma, quod in majori sapphiro crucis est insculptum, & *Counrad* nomen præferre videtur. Ceterum hujus globi facies in nummis, sigillis, aliisque monumentis admodum varia, & a duobus aliis globis Imperialibus, qui tamen in solenni inauguratione hodie non adhibentur, multum diversa est. Autor, quisquis est, veriorem hujus ornamenti Imperialis delineationem sibi forte fortuna his diebus oblatam esse ait, & ad eam illustrandam subsidiis quibusdam a Viris Cl. *Schannat*, *de Ficoronis* & *de Harzheim* instructum se profitetur.

FRID. ESAIÆ PUFENDORFII DE PRIvilegiis, speciatim de Jure de non appellando Libellus.

Hannoveræ, apud Nic. Fœrsterum, 1730, 8.

Plag. 18.

UTile privilegiorum, nobile juris de non appellando argumentum est. Operam perdunt, qui naturam privilegiorum sine Juris Nat. adjumento aggrediuntur; offendunt, qui in explicatione juris de non appellando versantur sine lumine antiquitatum ac literarum. Cl. Autor egregie his subsidiis instructus, Libellum tribus Capitibus absolvit: 1) de privilegiis, 2) de appellationum in Germania statu veteri & hodierno, 3) de jure de non appellando. Primo diligenter secundum regulas Juris Nat. de renunciatione jurium, tanquam fonte privilegiorum, agit, omnem inde naturam privilegiorum & modum ea interpretandi deducit, tandemque certa ratione, quæ jure de non appellando comprehendantur, demonstrat. Porro, cum jus Principum Imperii de non appellando non noviter quæsitum sit, sed priscorum temporum privilegiis plerumque debeatur; interesse putavit, ut ex antiquitatibus patriæ, quomodo olim, ad quos, & quibus in causis provocatum fuerit, distincte declararet. In his omnibus Autor secutus est methodum Mathematices æmulam, & ex suis quæque principiis deducendo,

 do,

do, quasi periculum facere voluit hujus methodi, quam magnopere commendat, ad Juris doctrinam rite accommodatæ. Quod si, teste *Plinio*, præclara exempla hoc in se boni habent, quod approbant, quæ præcipiunt, fieri posse; jam hinc illi, qui Jurisprudentiam ab ea methodo abhorrere putant, satis intelligent, se frustra de re facili desperasse. Utinam Cl. Autori tantum otii supersit, ut ipse desperatæ rei consilium plenissime exequatur, & secundum traditas in Præfatione regulas Systema Juris Civilis componere atque adornare instituat.

JOHANNIS JACOBI NEUHOLD, PHIL. & Med. Doct. Inclyti Comitatus Neogradiensis Physici ordinarii, ut & Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Academiæ Collegæ, Exercitatio Clinica de Inundatione Capitis a sufflaminato refluxu maris microcosmici.

Jaurini, literis Josephi Antonii Strelbii, 1730, 4.
Plag. 8.

RArus quidem est affectus Hydrocephalus; ea tamen obtigit Clariss. *Neuholdo* felicitas, ut intra brevissimum tempus, ex quo Medicinam fecit, ternis vicibus eundem tractaverit; unde etiam præsentem Exercitationem conscribere animum induxit, quam in tria divisit membra, quorum I Hydrocephali Historiam, II Enodationem Physico-Medicam, III Diductionem Pathologico-Therapevticam sistit. De quibus pauca sumus commemoraturi. Suppeditat initio Autor Clariss. historias trium ægrorum, quos ipse oculis suis usurpavit, in quorum uno, cultro Anatomico post fata subjecto, nulla glandula pinealis, nulla corpora striata, nulli processus seu eminentiæ, quas nates atque testes appellant, in cerebro fuerunt conspectæ. Tertia vero historia est, quam basin hujus Tractationis posuit Autor, atque ita se habet: Puer semestris mox post partum tres continuos dies motibus convulsivis vexatus, & primas tres hebdomadas nec lacte materno, nec alio victu altus, caput habebat immensæ magnitudinis, virile si non superans,

certe

certe æquans, faciem depressam, oculos parum prominentes, palpebras tamen clausas, serum interdum stillantes, os aliquantum contortum, gingivas maxillæ superioris dentibus minoribus instructas, reliquis corporis membris bene perfecteque conformatis, nihilque monstrosi præ se ferentibus; mortuus denique est septimo mense. Quemadmodum autem, quicquid raro & inusitatum accidit, nunquam non cum admiratione intueri, ac digitis monstrare solemus; ita nulla injuria tales fœtus monstri nomine notantur. Qua occasione detestatur Autor opinionem rudiorum, inprimis quorum animis insidet antiqua de infantibus suppositititiis, quos cambiones vocant, superstitio, partum non humanum, sed diabolicum indubitato existimantium, monstra esse occidenda; pluribusque evincit, non dari incubos aut succubos, nec dæmones generare aut creare posse homines. Præmaturam dentium propulsionem motibus convulsivis adscribit, qui haud secus ac motiones febriles eosdem protrudunt. Quod autem puer tres hebdomadas sine ullo alimento supervixerit, eam rationem esse dicit, quod provida natura tantum nutrimenti in stomachum pusilli, in utero materno adhuc latentis, transmiserit, quantum postea ad conservandam vitam per tantum temporis intervallum eidem suffecerit; vel potius, quoniam collectio seri intra cranium, non solum cerebrum, sed & nervorum origines & venulas cerebrum percurrentes fortius mole sua comprimens, tardiorem sanguinis motum effecit, unde constans & perpetua ad somnum inclinatio & animi abjectio, sive stupiditas aut hebetudo, omniumque motuum vitalium suppressio insecuta. Quemadmodum autem, qui profundiore somno sepultus jacet, quod omnibus asitia laborantibus familiare est, nullo ad cibum vel potum appetitu gaudet vel indiget, cum somnus vim possideat vires conservandi refocillandique; sic, ubi motus vitales supprimi contingit, nulla corporis consumptio evenire potest. Porro inter symptomata hydrocephalicorum visus obscuritatem allegat, a nullo hactenus Autore annotatam. Inter caussas mentionem facit tuberculorum scirrhosorum & indurationum glandularum aut quarumvis concretionum circa cere-

 brum

brum congeri ſolitarum, ſive metaſtaſis febrilis, ſive ſcabiei aut achorum ad interiora retropulſionis, quorum omnium efficacia in eo conſiſtit, quod, cum præpediatur circulus ſanguinis, ſubſequatur ſæpe ſeri a conſortio ejus exturbatio atque in cavitates, qua datur via, diffuſio. Qua occaſione tria commemorat exempla ex ſcabie chronica retropulſa mortuorum, ubi duo anaſarca ſuccubuere, tertius vero puellus 5 annorum hydrope pectoris extinctus eſt; in cujus ſectione ſtigmata ſcabiei in cute adhuc relicta, in cavitate thoracis aquarum copiam maximam, in abdomine nullam, viſcera autem omnia extra ordinem majora, hepar inprimis, quod pallidum ac veluti coctum fuit, duas fere libras civiles ponderans, conſpexit. In curatione hydrocephali rejicit ex fonte pharmacevtico medicamenta draſtica, ſive ſub evacuantium, ſive alterantium titulo exhibeantur; abeſſe jubet generoſiora pro ſcopo ſudorem & urinam pellendi, item decocta lignorum, vulneraria ac balſamica remedia, ac ſalivationem mercurialem, ex fonte chirurgico ſetacea, fonticulos, & veſicatoria in nucha applicanda, & in interno hydrocephalo trepanationem. Tutius vero agere exiſtimat Medicos, qui triplicem ſibi præfixum habent ſcopum; ſcilicet 1) ut humoribus fluxilitatem ſuam reſtituant per incidentia, reſolventia, attenuantia & diſcutientia, tam interne propinata, quam externe adhibita; 2) ut humores præparati educantur per blandiora laxantia, mitiſſima diuretica & leniſſima diaphoretica; & 3) ut cerebrum & annexæ partes roborentur, ac ab uberiore affluxu præmuniantur, ſicque recidiva præſcindatur. Inter alia maximopere laudat miſturam laxativo-diureticam, quæ ex eſſentia rhabarbari cum aqua cichorei parata & liquore terræ foliatæ tartari aut tinctura tartari æqualiter mixtis conſtat, quam in variis affectibus, inprimis infantum ſeroſis, polychreſtam expertus eſt. Laudat etiam in hydrocephalo incipiente faſciam Guidonis, in forma cucuphæ concinnatam, & in externo paracentheſin. De cetero Clariſſ. *Neuholdus* Diſſertationem de nova purpuræ ſpecie, febribus malignis exanthematicis conſtanter fere ſuperveniente, ut & Tractatum de Medico Hungaro, ſeu de morbis Hungarorum patriis,

patriis, eorumque cura genuina, aliisque falso ipsis imputatis, in lucem publicam brevi se missarum pollicetur, cui operæ perficiendæ ut vires atque sanitatem concedat Deus, ex animo precamur.

LAURENTII HEISTERI, MED. DOCT. ET in Academia Julia Prof. Publici, Schediasma de Studio rei herbariæ emendando; cum Serenissimæ potentissimæque domus Brunsuicensis & Luneburgensis jussu Professionem Botanicam hortique Academici curam susciperet.

Helmstadii, 1730, 4.

Plag. 3.

NOvum & inexpectatum prorsus rei Botanicæ illuxit sidus, postquam, qui cum suæ ætatis Anatomicis de primatu hactenus contenderat, Celeberrimus *Laurentius Heisterus*, uno saltu in Botanicorum castra, mediis corporum sectionibus, quod ipse testatur, ereptus, transiisse deprehenditur. Dubium sane esse poterat, utrum majore Anatomicarum rerum detrimento an feliciori Botanices fato in diversa studia transiverit, nisi tanto impetu spem & expectationem eruditorum, quod inventa anatomica attinet, jam dudum explevisset. Non invidebunt plantis, qui corporum humanorum Historiæ student, novum hunc & industrium prorsus Observatorem, cujus prima & publica in Historia vegetabilium tentamina eruditis hoc loco exhibentur. Suscepit ille, quod faustum felixque sit, emendandi rei herbariæ studii negotium, cujus Historia angusta adeo non est, ut non post Celeberrimorum superioris nostrique seculi Autorum labores supplenda & corrigenda adhuc supersint oculatioribus. Has vero lacunas emendari hinc inde *Heisteri* studio posse, dubium eo minus esse poterit, quo majores successus esse convenit in jucundiore studii genere ei, qui tædiosos mascule evicit labores, in lucem protractis, quæ hactenus in abstrusis corporis humani latebris delituerant. Et ne quis novos hos in Botanica conatus pro temerariis habeat,

scire

ſcire convenit, inter flores educatum eſſe *Heiſterum*, cujus apparatum herbarum, ſeptuaginta Voluminibus plantarum exſiccatarum gravidum, Germania, Gallia, Anglia, Batavia, exſtruxit, auxit, perpolivit. Optima ſane non tantum nativa indolis vis, ſed & promiſſi memor Viri autoritas ſperare nos jubet, qui anguſtis his paginis ad auguſtiſſima præludit. Duo ſunt, quæ pertractanda his ipſis ſuſcepit, momenta. Alterum, quid hactenus actum ſit in re Botanica, edocet; alterum, quæ agenda ſuperſint, demonſtrat. In eo inprimis eſt Celeberrimus Autor, ut nemini adhuc ſuſpecta *Johannis Raji*, Theologi & Philoſophi Angli, in rem herbariam merita magis magisque evehat, cujus perſpicua plurimumque in hiſtoria vegetabilium valens methodus, non tantum ipſi, non tantum celebratiſſimis nominibus, *Hottoni*, *Volckamero*, *Boerhavio*, ſed & nobis deſideratiſſima eſt. Neque adeo magna lis inter fulgidum Lipſienſium ſidus, Beatum *Auguſtum Quirinum Rivinum*, & *Rajum* unquam extitit, ut non optime conciliari inter ſe utriusque methodi poſſint. Quam amica etiam utriusque fuerit contentio, exinde clarum eſt, quod ingenue faſſus ſit *Rivinus* in *Introductione in rem herbariam*, ex *Rajo* ſuppleri, quæ deſiderari poſſint in ſua methodo, nec *Rajo* indigna applauſu viſa ſit *Riviniana* methodus, de qua legi poterit *Raji Præfatio ad Syllogen Stirpium Europæarum extra Britannias naſcentium*. Tantum adeoque abeſt, ut oppugnatus a *Rivino* fuerit *Rajus*, ut potius amice uterque conſpirent, maxime quod genera conſtituendi ex flore & fructu rationem attinet. Unicum eſt, quod in *Rajo* deſideratum hactenus eſt, inconſtantia. Solet enim modo a flore, modo a fructu, modo ab habitu externo ſummorum generum characteres deſumere. Major omnino lis eſt inter *Rajum* & *Tournefortium*, id quod ex Diſſertatione *Raji de variis plantarum methodis*, & *Tournefortii ad Guilielmum Sherardum Epiſtola de optima methodo inſtituenda in re Herbaria*, in qua *Rajo* reſpondetur, clarum fit. Sed & huic negotio aliisque, de quibus in re herbaria dubium eſſe poterat, non exiguam lucem fœnerabuntur Celeberrimi *Heiſteri*, quorum hæ paginæ ſpem faciunt, Adverſaria,

quorum

quorum Pars I docebit, antiqua plantarum nomina ob metuendam confusionem non esse mutanda. Pars II in eo versabitur, ut clarum fiat, ab Autoribus celebribus data nomina tangenda & corrigenda temere non esse; in quo utroque Capite *Tournefortius* reus agitur. Parte III de specialium nominum ad tyronum captum accommodandorum indole agetur. Pars IV de characterum genericorum more declarabit, nullos esse posse, qui non de speciebus quoque valeant. Pars V de novorum generum constituendorum Botanicis relicta libertate exponet. Pars VI de specierum, quæ hactenus pro diversis habitæ fuerunt, ad aliud genus reductione media proponet. Pars VII proprias & familiares Cel. *Heistero* plantarum observationes communicabit. Parte VIII ordines plantarum usualium, quas officinales vocant, desumpto ab effectibus dividendi fundamento, exhibebit Autor. Gratulamur merito tum Reipublicæ literariæ, tum Celeberrimo Autori, de tot tantisque ingenii fœtibus uno nixu edendis. Si quid in nostris est viribus, quo adjuvari tanti conatus possint, faciles futuros spondemus eos, qui in re herbaria apud nos desudant. Largiatur Deus vitam, incolumitatem, viresque, quibus integris de felici suscepti negotii successu nulli dubitamus. Ceterum cum Nostri opera nuper etiam prodierit in 8 *Index Plantarum rariorum atque officinalium, (indigenis vulgatioribus omissis,) quas hoc anno MDCCXXX in Hortum Academiæ Juliæ intulit Laurentius Heisterus, ejusdem Horti Præfectus, una cum constitutione aliquot novorum plantarum generum*, cui nova quædam genera plantarum adjecit; ea ipsis Autoris verbis hic describere lubet:

Quoniam multas observavi plantas, quæ vel male, vel saltem non satis commode ad plantæ genus, ad quod a Botanicis relatæ sunt, sed melioris doctrinæ causa ad peculiaria & nova genera pertinere videntur; nonnulla earum speciminis loco hic proponam, de aliis nostris observationibus alio tempore, in Adversariis Botanicis, nuper promissis, acturus prolixius. Genus I *Coffe*. Primum esto *Coffe* planta, quæ in Saxonia nostra inferiori in Sereniss. Ducum nostrorum aliorumque Magnatum hortis magna copia nunc colitur. A recentioribus ad *Jasmini* quidem genus relata est, nomine Jasmini Arabici castaneæ folio; mihi vero flos ejus a Jasmini floribus, licet ali-

 quo

quo modo cum eis conveniat, tamen si curatius examinatur, longe diversus videtur; dum primo in longe profundiores lacinias divisus, tubusque ejus longe brevior est, &, quod potissimum, ex quinque interstitiis laciniarum floris Coffe quinque adhuc angusta petala alba, altera parte villosa, eriguntur, quæ in reliquis Jasmini floribus, quos ego saltem examinavi, desunt. Deinde ut plures alias distinctionis notas, præsertim ratione situs florum & fructuum verticillati, nunc taceam, in arbore Coffe peculiaris observatur ramorum trichotomia, quam in aliis Jasminis non vidi, & qua facile ab his distinguitur, foliaque conjugata nascuntur. Accedit denique, nomen Coffe adeo notum hodie omnibus, ut immerito, me judice, ex re herbaria ejiciatur, & in Jasminum transmutetur: cum signa non desint, quibus ab affinibus distingui, atque antiquum nomen tueri queat. Neque folia ejus cum castanea, ut vulgo volunt, conveniunt; hæc enim satis profunde serrata sunt; Coffe autem folia, ut in Citriis, integra. Genus II *Conringia.* Inter *Hesperidis* species deprehendo varias, quæ cum notis Botanicorum, ut *Raji*, *Tournefortii*, *Boerhavii*, quas Hesperidi tribuunt, non conveniunt. Notas enim ei adscribunt *florem tetrapetalum*, sive *cruciformem*, & *siliquam longam*, *teretem*, *cylindraceam.* Sed inter has deinde a *Tournefortio*, *Boerhavio*, & aliis variæ indicantur species siliquis quadrangulis. Cum vero hæ, me judice, ad cylindraceas, sive teretes, sine confusione in accurata methodo referri nequeant; peculiare & novum genus ex *plantis tetrapetalis, quæ siliquam ferunt longam & tenuem quadrangulam*, conficiendum esse puto, quod nomine *Conringiæ*, in honorem *Hermanni Conringii* nostri, Theologi, JCti, Medici, Philosophi & Historici Academiæ nostræ quondam summi, insignire placet. Adeoque *Conringia* nobis est planta flore tetrapetalo cruciformi, siliqua longa, tenui, quadrangula. Conf. pag. 10. Genus III *Gakenia.* Deinde cum inter Hesperides etiam occurrant species *siliqua tricuspidi*, atque hæc nota adeo notabilis, manifesta & insignis sit, ut ea facile a ceteris plantis etiam a tyronibus distinguatur; novum genus inde constituam, & *Gakeniam* appellabo, ut gratus sim in *Alex. Chr. Gakenholzium*, qui per plures annos non solum horti nostri curam gessit, sed eum quoque legato mille imperialium & ædium beavit. Vid. pag. 13. Genus IV *Schelhammeria.* Præterea cum & planta sit, floribus quidem cum Hesperidibus conveniens, sed *siliquis cornu cervi divisura* donatis (vid. *Boerhav.* Index, ubi hesperidibus annumeratur); hæc merito etiam ab his separanda, eamque *Schelhammeriam*

ri... appellare lubet, in memoriam Viri doctissimi G. *Chr.* *Sc...lhammeri*, generi *Conringii*, qui primus hac in Academia suis sumtibus hortum Botanicum exstruxit, plantarumque cultar... catalogum imprimi curavit A. 1683. Hoc modo simul h...eridis genus a nimia copia specierum, qua abundabat, in ...ntium commodum, liberatur. Genus V *Meibomia*. He...rum refertur inter plantas flore papilionaceo non trifolia...ed polyphyllas. *a*) Attamen Botanici male species his accen...t trifoliatas sive triphyllas: utpote quæ semper & merito a ...lyphyllis diversæ habentur. Proinde triphyllas ab his rectius ...stinguendas esse puto, eisque nomen a *Meibomiis*, qui ultra integrum seculum Academiam Juliam exornarunt, *Meibomiæ* do: cujus notæ sunt flos papilionaceus spicatus & siliqua undulata, ut in hedysaro, sed folia triphylla. Vid. pag. 21. Genus VI *Stifferia*. Cum ita vulgo dictæ *Fritillariæ crassæ* a recentioribus ad *Asclepiadis* genus, quod *Matthiolo* & Medicis Vincetoxicum appellatur, relatæ sint, habitus vero illarum aphyllos, angulosus, succulentus, ab asclepiadis vel Vincetoxici habitu nimis diversus sit, atque Cl. *Boerhavius* ejusmodi prorsus ob rationem sive habitum *euphorbiæ* a *tithymalis*, & quidem recte, distinxerit; hinc & has, præsertim quia & magnus & speciosissimus illarum flos valde ab exilibus vincetoxicorum differat floribus, imo & sine flore facile a quovis vel vilissimo hortulano, ex folis caulibus illis succulentis, angulosis, aphyllis, lacte carentibus, cognoscatur, atque ab aliis plantis distinguatur, notiorque & antiquior in Germania species, flore scilicet tessulato, a *Stissero* nostro, qui prima horti nostri Medici fundamenta jecit, in Botanica sua curiosa optime delineata sit, *Stifferia* imposterum, una cum reliquis ejus speciebus (vid. pag. 29) vocabitur. Genus VII *Volcameria*. Inter plantas verticillatas, flore galeato & labiato donatas, unica est, quantum novi, triphylla, *Moldavica* scilicet *triphylla* a recentioribus dicta. Quoniam vero hæc folia in hac plantarum familia tam facile in sensus incidunt, & hanc plantam ab omnibus aliis distinguunt affinibus, ita, ut laboriosiori floris & seminis pervestigatione ad eam cognoscendam opus non sit; peculiare genus eam mereri censeo: & quia Cel. *Volkamerus* eam in Flora sua Norimbergensi pag. 145 primus delineavit nomine dracocephalo affinis Americanæ trifoliatæ terebinthinæ odore, eam *Volkameriam*, in honorem tanti

 Medi-

a) Vid. *Raji* Method. plant. p. 106. *Boerhav.* Index plant. edit. secund. Part. II p. 51.

Medici & Botanici, mihique a longo tempore amicissimi, appellabo; cujus notæ sunt flos galeatus & labiatus, folia triphylla, quibus facile ab aliis omnibus distinguitur. Genus VIII *Dillenia*. Clarus Botanicus *Jo. Jac. Dillenius*, qui jam in Anglia in Opere *Sherardiano* perficiendo occupatus est, in Catalogo suo plantarum Gissensium rubeolæ speciem graves ob rationes a rubeolis distinxit, & *Sherardiæ* nomen ei imposuit. Quia vero Cel. *Vailantius* alii prorsus plantæ nomen *Sherardiæ* jam dederat, (vid. ejus Diss. de structura florum,) duoque diversa genera sub eodem nomine stare non possunt, *Dillenii Sherardiam* judico *Dilleniam* vocandam esse, quia hic primus hujus plantæ & flores & semina peculiaria optime pervestigavit: cujus notæ in laudati Catalogi Appendice p. 95 videri possunt. Genus IX *Convolvuloides*. Inter convolvulos variæ species occurrunt, quæ vel parum, vel prorsus non convolvuntur. Cum vero nomen a convolvendo adepti sint; male convolvulos appellari puto plantas, quæ non convolvuntur. Hinc ut prioris tamen nominis vestigium maneat, quod memoriam juvat, *Convolvuloides* hos dicendos esse puto, qui nullis aliis notis a convolvulis veris, quam quod rectos obtineant caules, qui appositis baculis non circumvolvuntur, differunt. Genus X *Melilotoides*. Ita Melilotis a Botanicis vasculum breve subrotundum vel reniforme adscribitur. Datur vero species alias incognita, cui vasculum planum orbiculatum & latum est: quæ propterea ob fructus diversitatem novum genus meretur, ut *Boerhavius* jam judicavit. Quare mihi *Melilotoides* nuncupatur. Genus XI *Psittacus*. *Amarantus, tricolor* vulgo dictus, folis foliis sine floribus & semine, eodem modo, ut *Stisseria*, facile cognoscitur, & a ceteris plantis distinguitur; præterea & florum situs, qui circa alas foliorum caules singulari modo ambiunt, (ut ceteras distinctionis notas nunc præteream,) tantopere diversus est a reliquis amarantis aliisque stirpibus, ut merito peculiare genus constituere possit. Quia vero folia pennas psittacorum (*papegaisfedern*) vulgo æmulantur, haud immerito *Psittacus* vocari poterit. Genus XII & XIII *Veronicella & Veronicastrum*. Veronicarum amplissima familia ut a nimia specierum copia, quæ confusiones facile parit, liberetur, in duo genera commode dispesci potest: alterum, quod flores plures monopetalos, tetrapetaloides fert in spica, & *Veronicæ* nomen retinere potest, ex quo est *Veronica officinarum*, alterum flores similes profert, sed singulares, & ex alis tantum foliorum prodeuntes, non in spica dispositos: cujus species, quia plerumque humiles & exiguæ sint, *Veronicellæ* apte dici possunt.

Vid.

Vid. pag. 31. Ex *Veronicis* vero ſpicatis ſpecies eſt, cujus flores longo ſunt tubo præditi, (quo reliquæ deſtituuntur,) ſive infundibuliformes ſunt & quadrifidi, atque præterea etiam differt vaſculis ſeminalibus teretibus a ceteris, quæ cordiformia ſunt: hinc *Veronicaſtrum* ſalutari poteſt. Vid. pag. 31. Genus XIV *Tuberoſa*. Inter notas Hyacinthi Botanici præſtantiſſimi referunt caulem aphyllum. Male igitur in ſpecierum enarratione illis eos accenſent, qui vulgo *Tuberoſen* Germanis, Anglis, & Tubereuſe Gallis vocantur: qui caulem habent foliis quam plurimis præditum. Adeoque novum potius ex his genus, nomine vulgato, omnibusque noto *Tuberoſa* inde conſtituo: quod ab hyacinthis differit caule, foliis prædito, floribus longe majoribus, craſſioribus & magis campaniformibus, radice modo tuberoſa, modo bulboſa & tuberoſa. Vid. pag. 31. Hujus majoris ſpeciei, quod miror, nullam invenio mentionem factam apud *Tournefortium, Boerhavium, Menzelium*, aliosque varios autores, neque etiam in *Tournefortii* Indice Gallico occurrit, licet planta ſit apud nos vulgatiſſima. Genus XV *Urticaſtrum*. Urticæ nomen habent ab urendo; quoniam vero variæ dantur ſpecies, quæ non urunt, licet eandem faciem, habitum, floremque apetalum habeant, ut urentes, atque Cl. *Pontedera* jam has in duo genera diſpeſcuit, quorum alteri *Urticoides* nomen dedit, quod florem & ſemen in eadem planta fert; ego ex non urentibus peculiare quoque & novum genus conſtituendum eſſe duco, quod *Urticaſtrum* commode appellari poteſt, quaſi planta ad urticam accedens. Abſonum enim eſſe puto, plantas non urentes appellare urticas. Genus XVI *Ranunculaſphodelus*. Denique quia nimis magna ſpecierum *Ranunculorum* datur copia, eorumque magna & pulcherrima pars radicem obtinet Aſphodeli, (vid. *Tournefortius* & *Boerhavius*,) has ſpecies a *Ranunculis* ceteris ſeparandas eſſe duco, nomine *Ranunculaſphodeli*: cujus novi generis notæ ſunt flos & fructus *Ranunculi*, radix Aſphodeli, eodem modo, ut liliaſphodelus a lilio diſtinguitur. Accedit huc proprius adhuc habitus, quo hi etiam facile a ceteris *Ranunculis* diſcerni queunt.

JO. THOMÆ BRINII, BERGOMENSIS, J. C. Philoſ. & Medic. de Spiritibus animalibus, deque iis præcipuis, quæ iisdem attributa, in animantibus, ſive ſanis, ſive morboſis contingunt. Inquiſitio Phyſico-Medica.

Patavii, typis Jo. Bapt. Conzatti, 1729, 4.
Alph. 2 pl. 2.

OPus singulare magna eruditione aggreditur Clar. Autor, dum, hoc in libro a pervulgata communique sententia sensuque recedentia se propositurum, scribit, ita tamen, ut *Galilei*, *Borelli*, *Malpighii*, *Redi*, ac præceptorum suorum, *Hermanni*, *Poleni*, *Morgagni*, *Vallisnieri* lecturus sit vestigia. Principes nobis appellat Physicos ac Geometras: quorum illi summa mentis sagacitate a posteriori, hi a priori, in intima rerum, consensu omnium, penetraverunt. Et quis non ab Autore, tantorum Virorum imitatore ac discipulo, demonstrationem contra spirituum animalium exsistentiam jure exspectaret? Imo vero promittit illam. Admodum optamus, ut talis saltim speciem præ se ferat. Non latent Autorem bella, haud ita diu in Germania inter Cl. Viros, *Gælickium* & *Burggravium*, ea de causa gesta, quorum neuter nova argumenta protulit. Superfuit adeo Autori, uti ipse scribit, ferendæ sententiæ locus. Audiamus ipsam. Vetustissimum ait præjudicium de spiritibus animalibus, in cerebro secretis, *Malpighio* persuasisse, quod cerebrum esset glandula; unde omnia in cerebro φαινόμενα ad illam hypothesin firmandam contorta fuere: magna cruoris, ad cerebrum advecti, copia; fabrica cerebri, per microscopium visa, glandularum fabricæ similis. Tum procedit ad spirituum illorum qualitatem, ex mente Medicorum, sed Chemicorum, ut *Willisii*, sed, uti putamus, a plerisque hodie explosam. Jam progreditur ad argumenta, sat vulgata refutataque, quæ vero spirituum illorum exsistentiam saltim dubiam reddant, qualia sunt inane *Bidloi* studium in fibris cavisque nervorum detegendis; fabrica cerebri reticularis atque globosa, detecta a *Cowpero*, & confirmata a *Morgagno*; ganglia, nervorum motum turbantia; cerebra petrefacta in animalibus, sensu tamen & motu gaudentibus. Imo vero, ligata arteria sanguifera, motus sensusque parti perit: qui ergo neque nervis adscribi poterunt. Excipiunt tum objectationes has responsiones patronorum spirituum animalium, etiam sat notæ; quæ tamen Autori minus ad rem facere videntur. Ajunt scilicet,

licet, & vasa perspirantia non videri posse, licet certissime præsentia; & ita de feminarum ovis, de pediculi vasis in plantis &c. Ad omnia hæc brevibus respondet, quod in objectis instantiis quædam adsint, unde invisibilium illorum exsistentia certo colligi queat; quale vero in spirituum animalium negotio nullum adest. *Heisteri* experimentum, sed jam *Pitcarnio* notum, quo, ligatis nervis phrenicis, iis infra ligaturam compressis, motus quidam septi transversi secutus fuerit, fortuitum aliquod edocet, cum idem eventus non contigerit in experimentis *Willisii*, *Valsalvæ* atque *Varignoni*. Tum devenit ad *Michelottianam* sententiam refellendam, qua cum *Leibnitzio* statuitur, repleri nervos materie summe elastica; hinc, nervo compresso, materies illa elastica compressa comprimet vicinam, & hæc rursum aliam sibi proximam, donec in summo compressionis gradu eadem per nervorum poros avolet. Excipit autem Autor, nervos ita tensos contractosque potius arctaturos esse suos poros, quam aperturos. Denique urget Autor exempla fœtuum, absque ἐγκεφάλῳ, absque medulla spinali natorum, & tamen per diem post exclusionem superviventium; ut & hominum, caput graviter vulneratorum, ita, ut quandam cerebri jacturam passi sint: unde, cum spiritus animales omnia ad cerebri centrum referre debent, non potuisset non sequi magna irregularitas in ipsis internis sensibus, quæ tamen observata nunquam. Equidem, cum fœtus illi, ante memorati, mortui sint, dicendum, illos caruisse parte, ad vitam necessaria; cum autem senserint, seque moverint, dici nequit, illis absfuisse spiritus animales, sive causam sensus motusque, licet carerent machina, spiritus præparante. Diximus, hæc argumenta dubiam saltim reddere spirituum animalium exsistentiam. Devolvimur jam ad id, quod Autori principium absolutissimæ demonstrationis est contra illorum exsistentiam. Nititur autem illud experientia *Mariotti*, quod radii luminis ad locum, ubi choroides membrana perterebrata est, evanescant: quare nervus opticus pellucidus est, ac reflectendo impar. Unde commentitii sunt illi animales spiritus, præcipue cum cerebrum non sentiat, sed saltem dura ac pia mater. Choroides ergo est visus ὄργανον,

νον, inque ea re vera fit visio. Atque hac occasione quoque disputat cum *Meryo*, cui eadem quidem circa choroidem sententia, nisi quod addiderat, reflexos a choroide in retinam radios percutere spiritus animales, qui objectorum idola ad cerebri centrum pervehant. Sed entia non vult multiplicari Cl. *Brinius*. Atque hoc est prætensæ demonstrationis principium: in quo adhuc unicum, leve forte, dubium removendum erit: annon ad locum, ubi choroides perterebrata est, radii evanescant ob arteriam sanguineam, in centro nervi optici hærentem, delineatam jam *Eustachio* atque *Ruyschio?* Qua observatione Physiologi hodie solent dubia *Mariotti* a finibus suis removere.

Omnia φαινόμενα igitur Autor deducit ex solidorum elatere, a nemine negando. Vita pendet a mechanica compositione & solidorum cum fluidis structura, unde originalis forma, nisus, vis. Nisus autem corporum non est, nisi elater. Ut ergo sciatur impellens solida, in primum viventis ortum Autori inquirendum fuit. Adest in ovulo prædelineatum animal: omnes ejus partes moventur vi nisuque materiæ organicæ; nesciunt vero se explicare, pulsore destitutæ, licet per secula nitantur. Dixere plerique, semen virile illum pulsorem esse. Sed nec *de Graaf*, nec *Harvæus* illud unquam invenerunt in utero post coitum; quin & obstare ajunt uteri fabricam, a *Morgagno* ostensam. Adsunt enim ad cervicem ejus rectæ transversæ fibræ, & sæpe quoque valvulæ, intra rectarum fibrarum fasciculos oblique enatæ, unde nihil extrinsecus potest ingredi uterum, ne specillum quidem. Et, quem *Ruyschius* observavit, humorem Autor habet pro tali, qui ex glandulis tubarum, vel mucilaginosis uteri, vel hydatibus per convulsiones, expressus fuit. Forte autem aura seminalis erit motor partium ovuli? Neque illam sufficere posse probat, licet lux ipsa esse ponatur. Spiritus solidus autem atque elasticus *Hequeti* non est, nisi fluidum nerveum, jam supra ab Autore rejectum. Quid ergo? Solus motus tremulus, contractilis, a voluptuosa vellicatione per contactum genitalium oriundus, atque peculiaris seminis virilis irritatio ad sedem ovuli & embryonis

bryonis propagatur, in quo prædelineatum nititur animal. Sic fit in plantis, ubi pulveres staminum excitant ovula. Vermiculi seminales autem irritant naturalia feminæ ad excutiendum ovum; quales vermes ideo quoque in pulvere staminoso plantarum adesse opinatur. Propter singularem autem vermiculorum illorum irritationem neque putat feminam absque coitu concipere posse. Morbi hæreditarii a præordinatione quadam corporum rerumque humanarum pendent, quæ, per impulsum illum, stato tempore, in actum deducuntur.

Progreditur Autor ad motum explicandum; primoque annotat, unumquemque sibi, secundum captum suum, fibræ fabricam excogitasse. Excogitare ergo licet & Autori secundum captum suum. Habent nempe fibrarum fasciculi, indeque conflati musculi maximam vim ex propria & peculiari fibræ natura ad se contrahendum, sola objectorum præsentia & actione. Habere ipsi videntur fibræ duarum spiralium in oppositum constitutarum, vel cycloidis, vel helicis, figuram. Quare hæ fibræ maximum habent nisum ad se mutuo comprimendum, ad tremendum, oscillandum, impressum motum communicandum. Quodsi ita coarctentur, ut resiliant, fit motus localis, & præcipue, si id per intervalla contingat. Musculorum motus igitur fit per contractionem, non per inflationem, illaque contractio usque ad nervorum initia propagatur. Hinc nec sanguine opus ad impellendos musculos, docentibus id a priori *Poleno* atque *Winslow*, a posteriori autem *Littrio*, dum in vetula quadam musculi aridissimi atque membranacei visi sunt. Est itaque in fibris intestina oscillatio & fluctuatio levissima, quæ, nisi ipsi externa causa accesserit, insensilis est, ut quiescere videamur. Venit ad explicationem experimenti, quo, ligatis arteria & nervo, ad musculum quendam procedentibus, hujus motus sensusque perit; quia nempe solida non possunt recipere determinatam pressionem, & sanguis reliquus impedit, quo minus tenuis illa concussio sequatur. Putat vero porro Cl. Autor, spinæ nervos motui dicari, cerebri vero nervos sensui. Nervi autem ipsi Autori habentur meningum propagines, omnia solida constituentes, per infinitas ramo-

 mo-


morum distributiones & extensiones multiplicatas. Ubi jam motus ab objectis excitatur, nervi hi motus partim sunt nuntii, partim conservatores, partim moderatores. Atque hac occasione prolixus est circa animas humanas atque brutorum, circa quas longe meliora docti sumus a *Leibnitzio* nostro. Quare de talibus tacemus. Adjungamus potius pauca de ideis materialibus. Nempe objectorum præsentia in duræ matris initium per varias nervorum propagata contractiones ideam facit: & idearum consecutio est illatio: illarum vero unio ratiocinatio audit. Non possumus autem nos continere, quin ingenue id moneamus, *Leibnitzio* multum injuriæ ab Autore illatum esse, dum illi attribuit, quod dixerit, materiam miraculose elevari posse ad perfectionem, spiritui debitam: hincque illum cum *Lockio* comparat. Norunt autem *Leibnitziani*, quantum Vir Illustris a tali sententia abfuerit. Miramur vero, Cl. Autorem tam parum ad rem dixisse de tanto cerebri apparatu, bene gnarum, quod natura frustra nihil faciat. Quæ præterea de morbis capitis nervorumque attulit, cum scopo nostro abunde nos satisfecisse arbitremur, studio prætermittimus.

G. W. WEGNERI OBSERVATIO HALOnis circa solem, Germendorfii d. 30 Maji A. 1728 facta.

DIe 30 Maji A.1728 Halonem, seu coronam circa solem observabam, quæ propter magnitudinem notabilis erat. Initium observationis erat tempus meridianum. Et, si dicendum, quod res est, duæ erant coronæ eccentricæ, quales antehac B. Abbas *J. A. Schmidius* Helmstadii observatas in peculiari Tractatu nobis descripsit. Altera tamen harum coronarum imperfecta tantum apparebat. In utroque enim latere interiori perfectæ coronæ duo circuli segmenta apparebant, quæ ad coronam perfectam ab una parte pertingebant, ab altera autem, qua debuissent esse conjuncta, erant interrupta, & quidem in regione ad septentrionem. In regione opposita meridionali,

in

in qua corona imperfecta extra perfectam apparere debuiſſet, nulla ejus animadvertebam veſtigia. Figura ſequens omnium optime has coronas ante oculos ſtatuit. ABCD eſt corona perfecta, in cujus centro M ſol reperiebatur. BE & DF ſunt duo ſegmenta coronæ imperfectæ. In C eſt plaga ſeptentrionalis, in A vero auſtralis. Margo interior coronæ perfectæ erat ſubfuſcus, exterior autem flavus. Segmenta coronæ imperfectæ



non tam denſa videbantur, quam corona perfecta, & color eorum ſubflavus erat. Hoc Meteoron in ſuprema aeris regione apparebat, ſiquidem nubes per Japyga ventum actæ, illud interdum totum, interdum ex parte obtegebant. An corona perfecta apparere poſſit, cujus diameter ſit 45 graduum, de eo *Carteſius* ſubdubitare videtur in *Tractatu de Meteoris Cap. 9* §. 4, & in *Epiſtolis Part. 2 Epiſt. 105 ad Merſennum* ſcribit: *Nolim inficiari autoritatem Domini Gaſſendi, & velim credere, illum obſervaſſe coronam 45 graduum diametri.* Id ſaltem *Carteſius* affirmat in *Meteor. l. c. magnitudinem diametri 45 graduum eſſe maximam, quam coronæ poſſint acquirere, priusquam omnino liqueſiant.* Et in laudata *Epiſtola ad Merſennum, hanc magnitudinem tantum tribuit coronis, quæ variis coloribus diſtinctæ ſunt*, addens: *Quod ſi experientia ab iis, quæ dico, diſſentiat, & ſi minus perfectæ (coronæ) augeantur etiam ad 45 gradus, fateor, me non poſſe illarum rationem reddere.* Sed præſens phænomenon efficiet, ut de hac cauſa certi quid ſtatuere poſſimus. Meteoron usque ad horam quintam in cœlo conſpiciebatur, quamvis paulatim pallidius. Diame-

metrum coronæ metiebar instrumento Goniometrico, quo ad dimetiendos agros, nec non altitudines, utimur, & diameter areæ hujus coronæ, ipsa corona excepta, cujus latitudo pene diametro solis æqualis erat, 45 graduum reperiebatur. Iterata sæpius dimensione, semper totidem gradus inveniebam. Adhibita mensula prætoriana, eaque verticaliter suspensa, regula paululum longior, duorum scilicet pedum Rhenan. semper 45 gradus pro diametro areæ coronæ monstrabat. Ut itaque diameter integræ coronæ 45 gradibus longior fuerit. Reliquas circumstantias hujus phænomeni ut addam, aer & ventus hoc die erant frigidi, etsi cœlum maximam partem serenum. Tribus antecedentibus, & duabus insequentibus noctibus aqua gelu concreta erat; deinde frigus remittebat. Nocte inter 10 & 11 Junii iterum frigus majus erat, quam alias ratio temporis ferre solet, quod etiam frugibus aliquale damnum inferebat. Id tantum in transitu contra *Cartesium* moneo, me plus una vice observasse Halonem circa lunam, cujus diameter se ultra 90 gradus extendebat. Forsitan de iis data occasione pluribus erit dicendi locus.

QUATUOR IRIDES SIMUL VISÆ Germendorfii a G. W. WEGNERO, d. 21 August. A. 1728.


IRides apparere duas admodum frequens est. Duas inusitati positus observavit Autrici in Gallia *Stephanus*, quarum una alteram intersecabat ad angulos rectos Vid. *Oldenburgii Acta Philos. p. m. 166.* Tres aliquando apparuisse e narratione aliorum *Cartesius* refert, quarum tertia duas ordinarias cinxisset, sed multo pallidior, & tantum circiter a secunda remota, quantum ab illa prima distaret, extitisset. Sed quatuor simul nunquam observatas legi. * Id vero mihi contigit d. 21 August. A. 1728

* Dum hæc scriberem, nondum mihi innotuerant Observationes *Langwithi* Angli, de quibus Acta Erud. A. 1730 p. 64. Transactiones Philosoph. recensentia ita habent: *Langwith plus simplici*

A. 1728, circa horam ſextam veſpertinam. Iris primaria perfecta erat, & coloribus ſuis pulcherrime ornata. Secundaria, quæ primariam ambit, non minus perfecta erat, quamvis, uti ſolet, colores ejus eſſent pallidiores. Tertia ſecundariam non includebat, qualem nobis deſcripſit *Carteſius Meteor. Cap. 8. §. 14*; ſed a primaria includebatur. Minor propterea erat primaria, & ab hac diſtabat non tantum, quantum ſecundaria a primaria remota eſſe ſolet, ſed modo intervallo latitudinis primariæ. Erat hæc tertia non adeo perfecta, quandoquidem crura ejus terram non attingebant, & in regione meridionali Horizonti ſ. terræ propior erat, quam in ſeptentrionali, cum crura primariæ & ſecundariæ ad terram usque pertingerent. Colores hujus tertiæ non ſitu inverſo poſiti erant, ſicut ſecundariæ, ſed in eodem plane, quo primariæ, conſpiciebantur. Circumferentia exterior rubra erat, proxime flavus color ſequebatur, quem ſubviridis excipiebat. Cæruleus autem dignoſci non poterat. Sed hi colores non tam vividi erant, ac in iride ſecundaria. Vividiores tamen erant in crure meridionali, quam ſeptentrionali. Quarta intra tertiam continebatur, & admodum imperfecta erat, nec niſi pars tantum iridis. Conficiebat enim vix ſemiquadrantem circuli, & crus ejus meridionale multum longius erat ſeptentrionali. Colores in ea non ut in ceteris diſtincti erant, ſed ſubrubrum tantum obſervare licebat. Diſtabat a tertia propemodum intervallo latitudinis tertiæ, & latitudo tertiæ cum latitudine primariæ fere erat eadem. Margo exterior hujus quartæ iridis, qui tertiam reſpiciebat, ſatis diſtincte videbatur, ſed interior margo dignoſci, & a nubibus contiguis diſtingui non poterat. Nubes, quæ pluviam ferebat, non adeo magna erat, & e regione ſepteptrionali ad nos deferebatur. Non atra erat, ſed coloris cinerei, nec admodum denſa, ſed paſſim interrupta, ut cœlum ſerenum transpareret, quod etiam circum circa apparebat. Guttæ pluviales, quæ decidebant, majores tamen erant, quam alias eſſe ſolent. Figura adjecta hæc phænomena illu-

 ſtrare

vice intra iridem primariam obſervavit ſecundam, imo tertiam colorum ſeriem primæ contiguam.



ſtrare poterit. A B eſt Iris ſecundaria. CD primaria. E F tertia. GH quarta. A plaga ſeptentrionalis: B meridionalis.

JO. FRIDER. NOLTENII, PRINCIPALIS Anna-Sophianei Scheningenſis Conrectoris, Lexicon Latinæ Linguæ Antibarbarum.

Helmſtadii, impenſis Chriſt. Frid. Weygandi, 1730, 8.
Alph. 3 pl. 5.

(Recenſuit M. *Paul. Dan. Longolius.*)

EST liber verſandus pueris, in quorum gratiam a ſe compoſitum fatetur Cl. Autor; non tamen iis ſolis, ſed etiam adultioribus, qui puriorem ſtilum volunt, ipſa literarum harum ſecreta aut neſcientes, aut ad ea penetrandi tempus non habentes. Ceteroquin enim raro quid heroes in illa arte hic invenient, quod non antea ſciverint. Non tamen diffiteor, magis in rem tironum fuiſſe, ſi, quod Noſtro, cetera harum rerum peritiſſimo, facile fuiſſet, rationem omnium reddiſſet. Brevitas autem, cui ſtuduit, veniam ipſi apud omnes bonos parabit, etſi gratiſſimam operam præſtitiſſet caſti ſermonis ſcriptioniſque ſectatoribus, quibus ex ignorantia nativæ cujusque vocabuli vis ſæpius impingitur. Qui plura ſcire cupiat, facile voti ſui compos fieri poterit, cum eos adierit, qui hic monſtrati fuerunt. Pauca ſunt, quæ de ſe adjecit, haud tamen ſpernenda. Commendat præterea librum optimum optimus ordo, univerſo Opere in quinque Partes deſcripto, quarum I eſt Orthographica, II Proſodica, III & IV Etymologicæ, quas conſtituunt Sectio prior de verbis merito ſuſpectis, & poſterior de falſo ſuſpectis, V Syntactica. Alphabeti, ut vocant, ſerie non ſolum ſingulæ confectæ ſunt, ſed quoque inſuper duplex rerum & verborum index ſubjectus eſt, ut ne quid impeditum ſit quærentibus. Agmen claudunt aliquot paginarum

rum

rum *Addenda*, maximam partem *Medica*, & a Cel. *Laurentio Heistero* olim transmissa Nostro. Ita quidem de more libri faciem adumbravimus; ad plura tamen invitamur, Lectorum suorum limam intendente Nobiliss. *Noltenio* in Præfatione, ut eum rectiora edoceant, si quid erroneum in libello offenderint. Id nobis spem certissimam facit, eodem animo, quo a nobis proficiscuntur, id est, amico, ab eo acceptum iri, quæ nobis in perlegendo fuerunt subnata: librum quidem auctiorem non reddituri, cujus hic non est locus, sed rectius formaturi, quæ nobis perperam posita visa sunt. Damnat *alias* pro *alioqui*, ut multi in ea senten- p. 248.
tia fuerunt, quorum tamen injustam censuram dudum contuderunt *Grævius* ad *Sueton.* Tib. Cap. 71, *Perizonius* ad *Sanctii* Minerv. Lib. I C. 17 not. 2. *Minus recte*, censet Noster, *vocari* di- 302.
vos *defunctorum eos, quos sanctorum ac beatorum in numero esse convenit.* Sed ego in omnia alia discedo. Originem quidem τὸ *Divus* debet incunabulis superstitiosis: eo tamen res tota haud conficitur, quin usus ratio habeatur. Hunc si consulimus, liquido apparebit, non heri aut nudius tertius morem invaluisse, quod *divi* dicti fuerint, quos sanctorum ac beatorum in numero esse convenit. Quæ ratio, cur Constantinum ejusque in Imperio successores post mortem *divos* vocaverint? Quia consecrati? Nihil minus. Foret hoc contra Christianas doctrinas, quibus tamen nomen suum dederant. Nec etiam est videre, quibus olim in consecratione utebantur, superstitionis symbola, ut aquila, ara, alia; sed Christiana, ut in nummo Constantini, quadriga & brachium cœlitus se exserens ad Constantinum attollendum, quæ docte persecutus est nuper V.C. *Jo. Dan. Schœpfelinus* in Diss. de Apotheosi Cap. II p. 48 seqq. Adde *Ez. Spanhemium* ad *Julianum* p. 67, & *Anton. van Dale* de Oraculis Diss. I p. 155. Si vero adhuc perseveres Christianis sacris hanc vocem interdicere; *Borrichio* tamen haud vertendum vitio, ita appellasse eos, quos Romana Ecclesia a morte consecrat. Exigua enim est differentia inter hanc & priscam illam consecrationem. Vox *gentilis* a Cl. Autore *Ciceroni* imputatur, de quo ne cogita- 324.
vit unquam. Probaturus enim, *gentilem* idem esse, quod vulgo *civis, conterraneus, popularis, Tullii*, ut putat, afferti confirmandi

di ergo excitat *Gellium* Lib. XVII (non VII, uti apud Nostrum legitur,) Cap. 17. Utrumque falsum. *Ciceroni* Topic. C. 6, quo respicit Noster, *gentiles* dicuntur, *qui inter se eodem nomine sunt ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo servitutem servivit.* Quis vero in re Romana tam hospes, ut ipsum prætereat, quid *gens*, unde *gentilis?* Non opus est, quo nihil facilius, multa ex autoribus conscribere. Instar omnium sit *Festus*, *Gentilis*, inquiens, *dicitur & ex eodem genere ortus, & is, qui simili nomine appellatur: ut ait Cincius: gentiles mihi sunt, qui meo nomine appellantur.* Sed quæ inde vis concludendi, quam a *Gifanio* in errorem inducti & *Cellarius* & Noster statuunt. Fac, *Gellium* ita locutum esse; constat tamen inter omnes, nullo fundamento nos niti, quando ejus autoritate novum significatum voci affingeremus. Sed hac ex parte nihil vitii habet *Gellius*, sed omnis culpa quibusdam ejus editoribus tribuenda est. Hi pessimo, imo nullo consilio obsequi noluerunt libris, qui integrum servarunt *quasi* gentis *ejus esset*; ita prorsus, qui prodierunt Argentinæ in ædibus *Knoblouchi* clↄ Iↄ xvii ductu *Matthiæ Schurerii*, Basileæ apud *Andr. Cartandrum* clↄ Iↄ xix, *Gryphianus* Patris *Sebastiani* clↄ Iↄ lv, & filii *Antonii* clↄ Iↄ lxxxv. Ut satis mirari nequeam, cur novissimi editores neque correxerint, neque corrupti *gentis* in *gen-*
p.483. *tilis* mentionem fecerint. Differentiam inter ambitionem & ambitum statuit, quæ non custoditur ab omnibus. Uti enim, quod ne quidem Nostrum fugit, *ambitus* sæpe pro *ambitione*, sic *ambitio* pro *crimine ambitus* legitur. Vide eundem, quem nominat, *Auson. Popmam*, eodemque loco; cui adde *Cic* pro Cluentio Cap. 28, ubi *Græv.* recte contra *Sylvium*, *Sallust.* in Jug. Cap. 86 n. 3, & quæ ibi Cel. *Cortius*. *Livius* Lib. III Cap. 35: *Postquam vero comitia decemviris creandis in trinum nundinum indicta sunt, tanta exarsit* ambitio, *ut primores quoque civitatis* prensarent honores, *honorem summa ope ab se impugnatum, ab ea* plebe, *cum qua contenderent*, sup-
498. pliciter petentes. *Calatores* Autor dicit *servos publicos*. Verum est, sed tamen etiam privatorum servi in antiquis monumentis ita audiunt. *Plautus* Mercat. Act. V Sc. 1 v. 11, Pseudolo Act. IV Sc. 2

v. 52

v. 52, *Rudente* Act. II Sc. 3 v. 5. Nec repugnat analogia. Est enim *Calator* a Gr. καλεῖν. Servi autem publici æque ac privatorum possunt *vocari* & citari *ob necessitatem servitutis*, ut vult *Festus*; vel potius, quod mihi placet, *vocare alios*. Hinc in comitiis calatis calatores. Vid. *Gell.* Noct. Att. XV C. 17. *Displicen-* p. 536.
tiæ vocem Autor tribuit *Suetonio*, cui tamen injuriam facit, nec, quod scio, unquam ea usus est. Sed alius ejusdem ætatis, *Seneca* de Tranquill. Animi C. 2: *Hinc illud est tædium & displicen-tia.* *Ducere* verbum honestum est Nostro. Adhibent tamen et- 539.
iam, cum de amore vetito sermo est ac meretricio. *Plautus* Bacchid. A. V Sc. 10 v. 6: Duxi, *habui* scortum; in Casina Grex v. 5: *Clam uxorem* ducat scortum *semper, quod volet*; *Mostellaria* Act. I Sc. 1 v. 35, *Petronius* Satyr. C. 126. Concinunt cum illo verbo composita, *deducere*; *Suetonius* Cæs. 50, ubi *Torrent.* *Tibullus* 1 Eleg. 7 v. 65, ubi *Brœkhus.* æque ut *perducere* apud *Suet. Vespas.* 22, *Tiber.* 45, *adducere* apud *Plaut.* Mil. Glor. A. III Sc. 1 v. 193, & quos collegit *Taubmann.* Ver- 554.
bum *famosus* pro *celebri* usurpantem notat *Appulejum*. Sed antiquius est. In *Tacito* Hist. V. Cap. 2 princ. *famosa* urbs dicuntur Hierosolymæ; *Sueton.* Calig. 19 *famosi* equi; Vit. 2 *famosus* cœnarum magnificentia, Cap. 13 *famosissima* super ceteras cœna. *Internectionem* legit Autor in *Suetonii* Othon. Cap. 594.
12. Nescio, quod iratius fatum *Tranquillus* meus experiatur, ut, cum quis adducendus, qui osce atque casce locutus sit, is arcessatur. Nostri certe libri, qua scripti, qua cusi, omnes *internecionem* aut *internicionem* legunt, nisi quod, nescio ex quo fonte, *Henr. Loritus Glareanus* editionis suæ ad illum locum in margine alleverit *internecio sive internectio*, quæ quidem tanquam illius origo nota est Grammaticis, *Prisciano* L. IV & *Festo* v. Internectio. *Mammas* dicit esse hominis, pecudis *ube-* 606.
ra, autore *Fl. Claro*, refragantibus veteribus, quibus mammæ etiam de *porcis*; *Martial.* II Epigr. 37 v. 2 de *capellis*, *Virg.* Georg. III v. 310 de multis aliis pecudum, *Plin.* H. N. XI C. 40 tot. uti ubera de hominibus, *Gell.* XII C. 1, *Virg.* Æn. VI v. 428. Rectus est, quod vocabulum *præsentaneus* vindicet; 652.
pace tamen ejus salvisque manibus *Cellarii* dixerim, id

non recte intellexisse. Est enim a *præsenti.* Ergo non tam *efficax*, quam *in præsenti statim efficax.* Ita jubet *Suetonius* Ner. 33 : *Coegit se coram in cubiculo quam posset* velocissimum *ac* præsentaneum (venenum) *coquere*; *Quintilianus* Declam. XVII C. 11: *Virus* præsentaneum *paro, quod* statim, *quod* subito *corripiat . . . An* lentum *&* *quod* tarda peste consumat. Omnium optime *Gellius* VI C. 4 : *Venenum sibi Carthaginienses dedisse, non* præsentaneum, *sed ejusmodi, quod* mortem in diem proferret: *eo consilio, ut viveret quidem tantisper, quoad fieret permutatio : post autem grassante* sensim *veneno cor tabesceret.* Vidit hoc *Beroaldus* ad *Tranquillum*
p. 694. c. l. *Toxicum* præter Poetas & *Plinium* neminem habere existimat, sed tamen habet etiam *Sueton.* Claud. 44, Ner. 35.
700. *Cernimus*, inquit, *oculis.* Cur non etiam mente? Sane ita *Cic.* I de Nat. Deor. C. 18 : *ut primum non sensu, sed* mente cernatur ; Acad. Qu. IV C. 42 : *quorum omne bonum in mente positum &* mentis *acie, qua verum* cerneretur; *de Fin.* I C. 19: *quicquid porro* animo cernimus, *id omne oritur a sensibus; Catil.* IV C. 6: cerno animo *sepultam patriam*; *Plin.* XI C. 37 : *Animo autem videmus*, animo cernimus : *oculi, ceu vasa quædam, visibilem ejus partem accipiunt atque transmittunt ; Ennius* apud *Nonium : Impetrem facile ab* animo, *ut* cernat *vitalem Babium*; idemque apud *Cic.* Amic. 18; item *Plautus* Cistell. A. I Sc. 1 v. 1; *Terentius* Andr. A. I Sc. 1 v. 108. Ratio est in promtu. *Cernere* est a Gr. *κρίνειν*, id est, *liquido rem videre.* Quid autem vetat, ne & corporis & animi oculis id fiat. Consulendi de ea re *Perizonius* & *Kusterus* in suis
719. de hac voce disputationibus. *Quorsus* in *Fabro* omissum esse docet. Tu tamen, Lector, scito, ei additum fuisse in novissima editione, quam Cl. *Gesnerus* nobis dedit, ex quo id indicave-
721. rit *Chr. Falsterus* in Supplem. ad Lex. Fabr. p. 298. *Affigere mandata, mandata publicare barbari : Latini edicere.* Hæc Noster. Recte *τὸ edicere* de posteriori, perperam de priori. Nam *affigere* non est *ore loqui*, sed aliud quid. Id Latinus, quod mihi videtur, enunciaret *proscribere. Sueton.* Cæs. 49: *missa etiam facio* edicta *Bibuli, quibus* proscripsit *collegam suum*

um Bithynicam reginam; *Ner.* 39: *Multa Græce Latineque* proscripta *aut* vulgata *sunt*. Vid. *Torrentius* ad utrumque locum. Sic *ædes* dicuntur *proscribi*, quarum auctionis dies, leges, conditiones ex tabula publico loco posita indicabantur. *Brisson.* de Formul. VI p. m. 510; adde *Schor.* Phras. h. v. Vel si hoc verbum abhorres, (non tamen est, cur abhorreas) substitue *proponere*. *Cic.* de Orat. II C. 12: *Res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex maximus, efferebatque in album,* & proponebat tabulam *domi*, *potestas ut esset populo cognoscendi*. *Liv.* II C. 24: *Hoc* proposito edicto, & *qui aderant nexi, profiteri extemplo nomina*. *Suet.* Callig. C. 41: *Hujusmodi vectigalibus* indictis *neque* propositis, *cum per ignorantiam* scripturæ *multa commissa fierent, tandem flagitante populo* (omitto ex libris meis optimis *Romano*) proposuit *quidem* legem: *sed* & *minutissimis literis* & *angustissimo loco, uti ne cui describere liceret*. Dum legerem, quæ de formula *cernere hereditatem* animadverterat, me fere in eam sententiam induxissent, Nostrum præterire, quæ tanto apparatu *Kusterum* inter atque *Perizonium*, ne alios memorem, disputata fuerunt. Amplius vero evoluto libro, turbabar, *Perizonii Responsionem ad Ludolph. Kusterum* pag. 761 offendens. Ut plane nesciam, quid de Nostro sentiam. Nimis iniquus mihi videtur in τὸ damnare ad *perpetuos carceres*, dum constructio verbi *damnare* cum præpositione *ad* ei sordet. Ponamus ejus ex bonis autoribus aliquot exempla in medium. *Suet.* Callig. 27: Ad *metalla*, *aut* ad *viarum munitiones*, *aut* ad *bestias* condemnavit. Ita etiam Claud. 14 extr. & Ner. 31, ad *opus* damnari; L. 6 §. 6 ff. de injust. rupt. & irrit. fact. test. *Sed si quis fuerit capite* damnatus, *vel* ad *bestias*, *vel* ad *gladium*, *vel alia pœna*; L. 8 §. 4 ff. qui test. fac. poss. *qui* ad *ferrum, aut* ad *bestias, aut in metallum damnantur*, & quæ in notis; quibus adde l. 6 ff. ad leg. Jul. pecul. & *Plaut.* Rudent. Act. V Sc. 1 v. 2: *quem* ad *recuperatores modo* damnavit *Pleusidippus*. Quem locum Cl. *Noltenius* cum *Vorstio* haud ignorarunt, ut mirer, talem orationem tam audacter Germanismis potuisse addicere: quasi argenteæ præ aureæ ætatis scriptoribus

p. 749. 767.

bus major ſit autorita, id eſt, *Plinio*, qui τῷ *damnare* apponit *in*,
p.777. quam *Plauto*, qui *ad*. Errat Autor, dum *vix reperiri* ait *dicere ſequente quod*. Novi equidem, hanc eſſe plerorumque Grammaticorum opinionem. Sed vel *Vorſtius* Lat. falſ. ſuſp. C. 24, & *Perizonius* ad *Sanctii* Minerv. III Cap. 14 not. 16, contrarium demonſtrant. Et hujus commatis eſt, cum infra p. 853 pronunciat, *memini*, *quod viderim*, vix reperiri. Quæ ſemel refutaſſe ſufficiat, nec eſt, quod pluribus id fiat, Noſtro
786. ſe ipſo infra p. 905 refutante. *Ducere bellum* pro *gerere*, dicitur *Vorſtio*, unde noſter accepit: contra quem tamen nuperrime *Franciſcus Theod. Kohl* in Commentationibus Criticis Pentadec. II Loc. 6 p. 139 ſeqq. recte interpretatus eſt de *tracto* ac *prorogato bello* ad *Nepot*. Dat. VIII n. 5: *Autophradates cum* bellum duci *majore regis calamitate*, *quam adverſariorum videret*, *ad pacem atque amicitiam hortatus eſt*. Junge, ſi
788. placet, *Cic.* VII Ep. 3 n. 7, & quæ ibi Cel. *Cortius*. Falſa eſt etymologia, quam Autor dat τῷ *equidem*. Qui enim expones, quando ſecundæ perſonæ junctum fuerit, ut *Terent*. Adelph. Act. V Sc. 3 v. 64, 65: *atque* equidem *filium tum etiam*, *ſi nolit*, cogas; *Perſius* Sat. V v. 45:

Non equidem *hoc* dubites, *amborum fœdere certo*
Conſentire dies;

quando tertiæ, ut *Sall.* Cat. LII n. 16: *Quare vanum* equidem *hoc conſilium*, *ſi periculum ex illis* metuit; quando primæ numeri pluralis, ut *Terent*. Phorm. Act. III Sc. 1 v. 7: Equidem, *here*, nos *jam dudum hic te abſentem* incuſamus, *qui abieris*, *Sall.* Cat. LII n. 11: *Jam pridem* equidem nos *vera rerum vocabula* miſimus. Ex his anguſtiis ut ſalvus evadas, non erit autoritate *Servii* dici, *equidem* ſæpe ſignificare *ego quidem*, interdum *quidem*. Non opus erit tali exceptione. Ortum eſt ex *&* *quidem*, uti in haud paucis locis integrum ad nos pervenit. Vid. *Periz.* ad *Sanct.* III C. 14 not. 26, & Cl.
795. *Corte* ad *Sall.* Cat. LI. n. 15. *Exercere artem* haud idoneum habere autorem, ſtatuere, quod ariolor, mihi videtur Cl. *Nolteniu*s. Sed cave credas. Habent *Horat.* I Epiſt. 14 extr. *Sueton*. Cal-

Callig. 54, Domit. 7, *Columell.* I Cap. 8, *Celsus* Præf. L. I. Differentiam inter *ille* & *iste* constituit, ut hoc per contem- p. 812.
tum, illud per dignitatem ponatur. Sed non usquequaque custoditur veteribus, ut haud etiam *ille* per contemtum dica-
tur. Vid. *Cic.* I Epist. 9 n. 21, ubi *Gottlieb Cortius.* De in- 827.
finitivis differens, Græcorum more construi eos existimat. Sed hic Græcismis nihil est negotii. Sunt infiniti-vi. Et tamen sint finita ex decreto ineptorum quorundam ludimagistrorum, quibuscum nollem Cl. Autorem, rerum cetera peritissimum, stare. Omnia alia liquido ostendit *Sanctii* Minerva III Cap. 6, quam si consultum adieris, hoc responsum feres, infinitivos adhiberi pro nominibus quorumcunque casuum. Conf. *Vossium* de Constructione C. 50, Cel. *Cortium* ad *Sall.* Jug. 89 n. 3. Neque insolens & durum est, cum infinitivos adhibent pro conjunctivis. Id enim castissimis scriptoribus familiare. Cernere est hoc apud Cel. *Cortte* ad *Sall.* Cat. 52 n. 24: *Conjuravere nobilissimi cives patriam*
incendere. Sui forte oblitus est Vir doctissimus, qui cetero- 851.
quin satis per hunc librum significavit, quantum a rudi indoctaque Grammaticorum plebecula dissideat. Adeo nihil pene sani inest animadversioni de nominum generibus. Per partes hoc videbimus. Regula ejusdem I est: *Masculina duo singularia adsciscunt masculinum plurale*, v. g. liber & culter meus *sunt amissi*, non *amissa.* Imo & hoc modo loquuntur veteres. Quot exempla congessit *Sanctius* Min. IV Cap. 10 extr.; præterea *Quintil.* Declam 247: *Sicut* coitus *atque* congressus *citra jus non efficeret uxorem, ita uxor etiam citra* hæc *manet.* V. C. *Burmannus* apposuit alium locum ex eodem *Fabio* & *Suetonio* Claud. C. 11: *Aviæ Liviæ* divinos honores, *& circensi pompa*, currum *elephantorum Augustino similem* decernenda *curavit*; ut ex *Memmiano* Codice legendum jubet loco insani *decernendum*, cui accedunt e nostris duo, item *Sabellicus*, *Schurerius*, *Henr. Petrus* & *Rob. Stephanus.* Reg. II: *Masculinum & femininum pariter adsciscunt masculinum plurale*, *v. g. doctoris & urbis*, *quorum*,

non quarum. Sed etiam femininum. *Varro* de R. R. I C. 4: exercitus *ac* classis, & omnes domus repletæ *essent ægrotis ac funeribus*. *Suet.* Cæs. C. 75: detectas conjurationes conventusque nocturnos., *non ultra arguit*, *quam ut edicto ostenderet esse sibi* notas. Ac neutrum; *Liv.* XXVI Cap. 21: urbs ager*que in Sicilia*, *ex iis*, *qui a populo Romano defecissent*, jussa *dari*. *Cic.* VII Epist. 20 n. 4: *deinde* tuam domum, tuos*que* agros, ea*que remoto*, *salubri*, *amœnoque loco*. Reg. III de duobus fœmininis nihil pene vitii alit. Reg. IV *Femininum & neutrum adsciscunt adjectivum plurale neutrius generis*, *v. g. ancilla & domicilium sunt combusta*; *uxor & pignora sunt mihi cara*. Scito, etiam fœmininum. *Lucan.* I v. 176:

— *Hinc* leges & plebiscita coactæ.

Sall. Cat. 10 n. 2: *Iis* otium divitiæ, optandæ *aliis*. *Columell.* de R. R. I C. 4: *Nam prima inspectione neque* vitia, *neque* virtutes abditas *ostendit*. *Cic.* pro Flacco Cap. 26: *Adsunt Athenienses*, *unde* humanitas doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, *atque in omnes terras* distributæ *putantur*. Ceterum in universum improbo, numerum multitudinis in his omnibus crepare, cum tamen haud raro singulari utantur. *Cic.* V Epist. 21 n. 14: *Præter* culpam *ac* peccatum, qua *semper caruisti*. Ubi plura a Cel. *Cortio* pete. *Sall.* Jug. 111 n. 1: Amicitiam, fœdus, *Numidiæ* partem, quam *nunc peteret ultro* adventuram. *J. Obsequens* Cap. 71: Cœlum *ac* terra *ardere* visum. *Ter.* Andr. Act. V Sc. 2 v. 3: *Ego* commodiorem hominem, adventum, tempus, *non vidi*; ubi *Donat.* *Varro* de R. R. I Cap. 13: *Cujus* latera & summum *virgis ac fronde* vindicatum *ab sole*; Cap. 22: Instrumentum & supellectilem rusticam omnem *oportet habere scriptam in urbe & rure dominum*. *Cato* de Re Rust. Cap. 59: *Quoties cuique* tunicam *aut* sagum *dabis*, *prius* veterem *accipito*. *Cic.* III Off. Cap. 10: *Cum consilium principes cepissent*, cognationem *superbi*, nomen*que Tarquiniorum* & memoriam *regni esse*
p. 872. *tollendam*. *Oportere* Latinos interdum jungere Dativo, sibi persuadet Autor. Oportet autem indolem nescisse linguæ suæ Latinos,

tinos, qui ita loquantur. *Oportere* enim nullum casum admittit, sed verbum, quod ei apponitur. Hoc dudum probaverunt doctiores, quos non opus est arcessere, cum & Nostro eadem sedeat sententia. Miror ergo, Cl. Autorem sibi imponi passum esse ab unico loco *Plauti* ex Mil. Glor. Act. II Sc. ult. v. 80 seqq. eoque in vitio cubante, nec a me unquam reperto nisi in unica editione, quotquot ego inspexerim, *G. Longolii* Coloniæ apud *Jo. Gymnicum* cIↄIↄxxxviii cusa. Errori ansam præbuit antiqua scriptura *hominē servō*, ex qua rerum ignari finxerunt *homini servo*, lineolas supraductas haud intelligentes, ac primum *servom* in *servo*, deinde, ne scilicet oratio non sit hiulca, *hominem* in *homini* reformatis. Sæpius hoc factum fuit. Sic a *Rich. Bentlejo* in *Horat.* Carm. II Od. 14 v. 27, defensam interpolatoris lectionem:

— — — *& mero*

Tinguet pavimentum superbo

rejicit, substituitque *Alexand. Cuningamius* in Animadv. in *Horat. Bentl.* Cap. 11 p. 155:

— — — *& mero*

Tinguet pavimentum superbum.

Scriptum quippe erat more majorum *superbom*. De *tonsura* & *rasura* hæc habet Noster: *Tonsura sacerdotalis perperam: dic rasura sacerdotalis. Tondetur pecus; homo raditur.* Sed non ita est. Tondere enim æque de homine ac de pecore dicitur. Evolve *Cic.* Tusc. V Cap. 20, in Pison. Cap. 8, extr. *Suet.* Aug. C. 79, *Virg.* Ecl. I v. 28. Æn. V v. 556. *Tibull.* III *Eleg.* 1 v. 10, alii. Imo *tonsura*, quæ causa litis, veteribus non fuit ignota. *Ovid.* Art. Am. I v. 517: p. 937.

Nec male deformet rigidos tonsura capillos.

In Addendis hæc nota. Vocabulum *consistentiæ*, quod ut barbarum legitime rejicitur, etiam dici posse, si unico vocabulo mavis, *crassitudinem*, quo aliquoties usus est hac in re *Celsus* V Cap. 18. Quæ deinde paullo post de voce *contractura* in medi-

medium prolata fuerunt, non videntur vitiis immunia. Medicorum enim filiis, quod accepimus, *contractura* longe est aliud, quam *rigor* & *distentio nervorum*, quæ tamen jubentur, illius in locum substituantur. Differt tamen non solum *contractura* a *rigore* & *distentione nervorum*, sed etiam hæc inter se, ut *rigor nervorum* sit *spasmus*, *distentio nervorum*, *convulsio*. Testatur hoc *Celsus* iisdem locis, quibus illa sententia debuit adstrui; Lib. II Cap. 7: *Si in continua febre puero venter nihil reddit, mutaturque ei color, nec somnus accedit, ploratque is assidue, metuenda nervorum distentio est;* (conf. *Hippocrat.* S. VII Aph. 18,) ibidem: *Si tumores super ulcera subito esse desierunt, idque a tergo incidit, vel distentio nervorum, vel rigor timeri potest*; (conf. & hic *Hippocr.* S. V Aph. 65,) & adhuc eodem Libro Capiteque: *Quorum faucibus in febre illiditur spiritus, instat his nervorum distentio.* Adde ex eodem scriptore L. VII Cap. 26 pag. 479 & 482. Nihil tamen clarius loco *Celsi* IV Cap. 3, in quo rigor nervorum dividitur in *ὀπισθότονον*, *ἐμπροσθότονον* & *τέτανον*, quæ species de communi Medicorum sententia sunt spasmi. Contractura vero est *ἀγκύλη*. Ea quomodo Latine enuntianda, patet ex *Celso* V Cap. 18 p. 257: *Euthyclei malagma quod est, & ad articulos, & ad omnem dolorem, & ad vesica, & ad recenti cicatrice* contractos articulos, *quas ἀγκύλας Græci nominant.*

Philologisches Lexicon.

i. e.

LEXICON PHILOLOGICUM PURIORIS atque elegantioris Latinitatis, per M. DANIEL. FRID. JANUM, Schol. Torg. Conrect.

Lipsiæ, apud Jo. Christ. Martini, 1730, 4 seu 8 maj. Alph. 3 pl. 8.

(Recensuit idem M. *Longolius*.)

LExico Antibarbaro, in quo exponendo præter morem paullo longiores fuimus, ejusdem argumenti librum damus

imus comitem. Hoc est, de quo non sine causa lætamur, copia facta, duos simul in scenam producendi, qui in emendanda custodiendaque Latina lingua haud vulgarem posuerunt operam, nostris præsertim temporibus, quibus ii, qui sibi solis sapiunt, alto supercilio eos despiciunt, quibus sermonis castitas curæ cordique est. Scilicet non opus est verbis, quibus animi tui sensa alteri aperias; nec refert, quibus vocabulis utaris, ea mentem clare distincteque ostendant, nec ne, id est, impure pureve atque ad rem apposite loquaris. Sed hæc *ὡς ἐν παρόδῳ*. Et *Noltenius*, & *Janus*, Viri clarissimi, circa idem negotium versati, multa in libris suis proponunt, circa quæ utrique eorum eadem mens est. Jam de istis, quæ nobis in contrarium visa sunt, in superioribus actum est. Ea vero rursus apponendo tempora Lectoris temere moraremur. Missa igitur illa faciamus. Has tamen potissimum differentias invenies, cum doctos eorum labores inter se contuleris. Per partes, ut vidimus, alter egerat, vel, ut ei appellantur, quinque indices; alter in unum corpus redegit omne, servato tamen, ut vocant, ordine alphabetico, breviorque illo est in re orthographica atque prosodica. Ille etiam, nisi perraro, transscripsit ipsa autorum testimonia, hic vero usquequaque, eaque integra, quo dicta non solum exemplis confirmaret, sed quoque eorundem locorum obscuriora simul explanaret. Denique Barbarismos, Solœcismos, ceteraque sermonis vitia ille insectatus est: hic autem eo contentus omnem movit lapidem, ut præterea apta reperiret verba, quibus exprimerentur honorum tituli aliaque, quæ toga sagumve artes disciplinæque recens post Latinæ linguæ fata nobis dederunt inventa. Sed, ut fit, cum veteribus ignota eorundem ore loquenda sunt, obscurior haud raro reddatur oratio, erunt forte, qui nunquam hariolati fuissent, eum esse sensum verborum, quem Cl. *Janus* vult, nisi id adjecta interpretatio significaret. Sic, quod nostrates ein Muster-Platz, *diribitorium* Latino homini dici asserit. Istud ta- p. 194.
men eam vim nunquam habuit, etsi præter Nostrum illi tribuat *Fabri* Lexicon p. 751. *Diribitores* erant in Romana civitate, qui in introitu ponticulorum civium cuique tabellas ferendorum

ſuffragiorum cauſa *diribebant*, hoc eſt, *diſtribuebant*. *Cic.* in Piſon. Cap. 15, & poſt red. in Senat. Cap. 11. Liquido hinc apparet, locum ab his, quod ibi commorabantur, dictum fuiſſe *diribitorium*. Vid. *Torrent.* ad *Sueton.* Claud. Cap. 18. Quid autem hoc ad locum, in quo milites recognoſcuntur?
p. 1344. Legi *poſitivæ*, ut barbaro vocabulo, Cl. Autor ſubſtituit *veram;* ſed non ſine injuria. Num lex naturæ alium, quam Deum, habet autorem? Imo eundem. Aut igitur lex naturalis, quod nunquam credo facturum, falſa dicenda erit, aut æque vera; quo pacto haud diſcernere poteris ex vocabulo, de quanam ſit ſermo. Videtur etiam nobis Cl. Autor veterum aliquot loca non recte intellexiſſe. Humanitas ejus, quam quondam ex-
142. perti ſumus, veniam promittit iſtud indicantibus. Ei *amicus communis* is eſt, qui medius intervenit, duosque ſibi inimicos inter ſe conciliat. Verum enim vero *commune* eſt, quod ad plures *eodem jure eadem ratione* pertinet. *Sueton.* Tib. C. 7 communis *filius*, id eſt, Tiberii & Juliæ, quem iſte ex hac tulerat; *Virg.* Æn. II v. 709 commune *periclum*, nempe ambobus *Æneæ* patrique Anchiſæ. Confer inſuper Noſtrum infra p. 383. Erunt ergo potius apud *Cic.* V Ep. 2 *communes amici*, qui *Metello* pariter ac *Ciceroni* erant amici.
290. *Ceſtus* Autori dicitur cingulum, quo ſponſus ſponſam cinxerit. Ego quidem fateor, me id adhuc nunquam legiſſe, iſtud tamen, ſponſum ſponſæ cingulum ſolviſſe, quo cincta ei tradebatur. Demonſtrabit hoc vel *Sigonius* de Antiq. Jur. Pop.
672. R. I Cap. 9. *Suſcipere* inimicitias perperam interpretatur eas ſibi *contrahere*. Ego mallem, inimicitias *contra aliquem concipere*. Exemplo eſt Hannibal, patri jusjurandum jurans, acerrimum hoſtem Pop. R. futurum, ut referunt *Polybius*, *Nepos*, *Livius*, *Valerius Maximus*. *Tacit.* Mor. Ger. C. 21. Suſcipere *tam* inimicitias *ſeu patris ſeu propinqui, quam* amicitias *neceſſe eſt. Nec implacabiles durant.* *Nep.* Datam. C. 9: *At rex, quod implacabile* odium *in Datamen* ſuſceperat, *poſtquam bello eum opprimi non poſſe animadvertit, inſidiis interficere ſtuduit.* Opponitur deponere *inimicitias*, *ſimultates*,

tates, *odium*. *Tranquill*. Cæs. Cap. 73: Simultates *contra nullos tam graves* excepit *unquam*, *ut non occasione oblata lubens* deponeret. Alieno loco ab Autore adducitur *Sallust*. Catil. p. 1215.
Cap. 27 *opportuna loca armatis hominibus* obsidere. Habet enim h. l. vim τȣ̃ *insidere*, uti satis evicit V. C. *Gottlieb Kortte*. *Scabellum* vel *scabillum* apud *Cic*. pro Cœl. Cap. 27, & *Sueton*. 1535.
Calig. C. 54 plane non est, ut existimat Cl. Autor, *parvum scamnum*, sed *instrumentum musicum*, ut ibi interpretes docent, cujus formam ex antiquo marmore exhibuit *Alb. Rubenius* de Re Vestiar. II C. 16. Autoritate non carent, quod putat de *ætate ea*. Tu, 96.
Lector, tibi nota *Nepotis* aliquoties a Nostro in auxilium vocati Milt. C. 1: Eaque *esset* ætate, *ut non jam solum de eo bene sperare* &c. *Cic*. II Off. Cap. 13: *Et* qua ætate, *qui exercentur*, *laudibus affici solent*, *ut Demosthenem accepimus*, ea ætate *L. Crassus ostendit*, *id se in foro optime jam præmeditatum facere*, quem Noster infra p. 1071 antestatus est. Ejusdem post red. in Senat. C. 11: *Quo die quis civis fuit*, *qui fas esse putaret*, quacunque *aut* ætate, *aut valetudine esset*.
Poetas solum, arbitratur, nullo modo autem autores solutæ 654.
orationis dicere *est videre* &c. Sed ita *Tac*. de Mor. Germ. C. 5. Est videre *apud illos argentea vasa*. Plura *Cellarius* in Antibarb. p. m. 260 & Cur. post. p. 335. Porro in ea est sen- 984.
tentia, *ire & redire* apud bonos non reperiri. Arguunt tamen eum *Cic*. *Philipp*. II Cap. 32: *Celeriter* isti & redisti, *ut cognosceres te*, *si minus fortem*, *attamen strenuum*. Est hoc videre in Lexico p. 1615. Item *Virg*. VI Æn. v. 121:

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
It*que* redit*que viam toties*.

Hæc tamen nihil derogant laudibus Cl. *Jani*, quibus de egregio suo Opere ornandus est. Facile enim nobis persuaderi patiemur, quicquid male positum fuerit, non Autori tribuendum, sed operis, & qui earum curam habuerunt. Nam id generis in hoc Lexico non novum est, ut fit, cum autores typographo adesse nequeunt. Removeamus potissima errata, ne quis in iis offendat. Legas ergo, rogamus, p. 76 lin. 31 eingestellten pro

angeſtelten, p. 217 lin. 33 *Epenthesin* pro *Syncopen*, (*audaciter* enim ſi ad *audacter* referas, una litera aucta eſt in medio; hoc vero non eſt tollere de medio, quod Syncope ſolet, ſed inſerere, quod Epentheſis,) p. 470 lin. 22 Feld-Schantzen pro Feld-Schlangen, p. 928 lin. ult. einwohnen pro einnehmen, p. 1804 *civitatem* pro *civitate*. Tantum tamen abeſt, ut hæc reprehendentes eripere velimus librum juvenum manibus, quos neceſſe eſt ſtudium in limatiori dicendi genere ponere. Inſervit eorum uſibus maxime locupletiſſimus Index, qui eis facile ſuggeret, qua ratione quidque ex reliquis in ſermonem Latinum concinne convertendum. Cave etiam credas, ſola puerilia hic inveniri, quæ naſutulis noſtris levia æſtimantur. Quæ docte diſſeruntur p. 69 v. *Admiralius*, p. 307 v. *Capellanus*, p. 603 v. *Dominus*, p. 612 v. *Ducatus*, p. 619 v. *Eccleſia*, p. 639 v. *Entelechia*, p. 1273 v. *Paſſagium*, tibi documento erunt, quantum extra ſcholam quoque Doctiſſ. *Janus* ſapiat.

JOANNIS GEORGII LOTTERI, AUGUſtani, ad Clariſſimum Virum JOAN. GEORGIUM SCHELHORNIUM, Epiſtola, qua de Conſilio ſuo publicis uſibus evulgandi Opuſcula CONRADI PEUTINGERI expoſite diſſerit.

Lipſiæ, typis Bernh. Chriſt. Breitkopfii, 1731, 4.
Plag. 2.

CUm omnium illorum memoria ſancta haberi debeat, qui ſeculo XVI ad inſtaurandam doctrinam liberaliorem dextris auſpiciis operas ſuas contulerunt, tum *Conradi* præcipue *Peutingeri* virtus & præclara in eruditam civitatem merita efficiunt, ut non poſtremo loco in hoc cenſu ipſius nomen collocandum eſſe intelligentiores exiſtiment. Carendum equidem per duo abhinc, quibus claruit, ſecula ipſi fuit commendatore aliquo, qui digna illius laudibus ſcriptione egregie ab eo geſta ad poſteritatem tranſmitteret, communi admodum cum

cum doctissimis illius ætatis hominibus fato. Attamen exstitit tandem ante biennium Cl. *Lotterus*, qui huic defuncto civi, patriæ amore inductus, officium præstitit, & singulari Academica Dissertatione *Historiam vitæ atque meritorum Conradi Peutingeri* diligenter commentatus est. Quod favere animadverteret instituto viros doctos, memoriæ hominum egregiorum studiosos, animari hac re se passus est, ut conquireret *Opuscula* illius, tum quæ edita hactenus sparsim circumferebantur, tum ἀνέκδοτα etiam, Augustæ adhuc conservata; vulgaturus illa proxime antiquitatis & historiarum amatorum usibus. Hujus consilii sui rationes præsenti ad amicum sibi *Schelhornium*, clarissimum Virum, *Epistola* exposite describit, & symbolas eruditorum humaniter exposcit, hoc maxime jucundissimum futurum sibi testatus, si communicentur cum ipso liberaliter *Epistolæ ineditæ*, quas frequentissimas cum summis seculi sui hominibus *Peutingerus* commutavit, si quæ nempe fortassis hinc inde in Bibliothecarum forulis delitescant. Summa propositi huc fere redit. *Duobus Tomis* absolvetur Opus universum. *Primo* sistetur *Vita Peutingeriana*, quam supra ab Editore conscriptam diximus, diligenter recensita, & passim variis momentis ad historiæ literariæ illius ætatis illustrationem pertinentibus adaucta. Præcipue luculenta promittitur *Tabulæ Peutingerianæ*, non invenusti vetustatis monimenti, quod unum fere pristini sui Possessoris Conservatorisque nomen adhuc celebrari effecit, *fatorum notitia*, vix dum eruditis plene hactenus cognita atque perspecta. *Alter Tomus* exhibendis *Peutingeri Opusculis*, externa quidem mole non adeo conspicuis maximam partem, exquisitam tamen doctrinæ historicæ & antiquariæ facultatem complectentibus, destinabitur, sive *editis*, sive *nondum vulgatis*. Inter postrema attentionem inprimis merebitur *Margaritæ Velseriæ*, feminæ eruditissimæ, *Conradi* conjugis, *Epistola ad Christophorum Velserum*, fratrem, anno MDXI Romam missa; in qua plurima ad Inscriptiones priscas & veteres Romanorum Imperatorum nummos, quos insigni copia collectos possedit *Peutingerus*, collustrandos occurrent. Non possumus non & ipsi favere instituto Edito-

ditoris honeſtiſſimo, quin nulli dubitamus, futuros eſſe quam plurimos, qui grati agnoſcant illius de literis merendi ſtudium. Unum addimus, perplacuiſſe nobis illam obſervationem literariam, quam alibi legiſſe non meminimus, & cujus ſumma hæc eſt: *primum* ſcilicet omnium exſtitiſſe *Peutingerum*, qui *antiquas Inſcriptiones publicis typis vulgaverit*, editis jam anno MDV *Auguſtæ per Erhardum Ratdoltum Romanæ Vetuſtatis fragmentis in urbe Auguſtana & ejus diœceſi*; ejusque inſtitutum ſecutum proxime fuiſſe *Joannem Huttichium*, qui idem de *monumentis literatis in urbe & agro Moguntino repertis* anno MDXX fecit; poſt quos demum tertio loco anno MDXXI *Epigrammata urbis Romæ* edidit *Jacobus Mazzochius*; quem adeo præter meritum pro *primo autore* commendaverit Cel. *Burmannus* in Præfatione *Gruteri Theſauro* præmiſſa, optimæ alias frugis pleniſſima, cum hæ laudes non ad Italum, ſed ad duumviros Germanos, *Peutingerum* atque *Huttichium*, & illum quidem *principem*, pertineant.

M. FRID. OTTONIS MENCKENII, LIPSIenſis, de Vita, moribus, ſcriptis, meritisque HIERONYMI FRACASTORII, Veronenſis, Commentatio.

Lipſiæ, ex offic. Breitkopfiana, 1731, 4.
Alph. 1 pl. 6, in titulo eſt imago *Fracaſtorii.*

NOn ſine voluptate primum modo commemoramus nomen, non Actis modo noſtris auſpicatum, ſed literis etiam, earumque præſertim hiſtoriæ felix, & eo nomine omnibus, qui ab illis non ſunt alieni, chariſſimum. Facit, quod avitum ipſi eſt & paternum, Autor doctiſſimus, & in vita Philoſophi, Medici, ac Poetæ nobiliſſimi deſcribenda ita verſatur, ut non tantum, quæ ad illam pertinent, ex idoneis autoribus proferat, verum etiam paſſim alia ex literariæ hiſtoriæ lecythis depromat, quæ legiſſe jucundum nec inutile ſit. Nos quædam hinc inde delibare ſatis habebimus.
p. 16. „Labra ex utero attulit utrinque concreta, atque ita „coarctata ſummis extremitatibus, ut vix anguſtiſſimum in medio

„ medio ore spatium superesset : chirurgi cultro mortua
„ velut labiorum compages vitam recepit, & forma ori natura-
„ lis, plenusque puero sermonis usus redditus. „ In quam rem
ita lusit *Scaliger:*

Os Fracastorio nascenti defuit, ergo
Sedulus attenta finxit Apollo manu.
Inde hauri, medicusque ingens ingensque poeta,
Et magno facies omnia plena Deo.

In Præceptoribus illius fuit *Pet. Pomponatius*, cujus tamen de p. 33.
immortalitate animæ sententiam non probavit, quin in Dialo-
go, cui titulum fecit *Fracastorium* s. de anima, refutavit, ita 40.
„ tamen, ut nomini doctoris sui parceret, & ne occultis quidem
„ dicteriis famam ejus peteret; ut, qui nesciat tentatum aliquid a
„ *Pomponatio* contra *Aristotelis* de animæ immortalitate senten-
„ tiam, is, nihil eorum pertinere ad Italorum hunc Philosophum,
„ dejeraverit. „ Primum theatrum virtutis & doctrinæ explican- 45.
dæ aperuit *Fracastorio* Bartholomæus Livianus, Dux Veneto-
rum militum, qui autor illi fuit, in conditam eo tempore Acade-
miam Foro-Juliensem concederet. Illum deinde patronum etiam
per castra & prælia, dum sinebat fortuna, Noster comitatus est.
Cum domi, Veronæ, secundo rerum suarum cursu medicinam
faceret, acciderunt duo illa, quæ inprimis eum nobilitarunt;
unum, quod idoneus habitus est, cujus arbitrio Concilium Tri- 60.
dento Bononiam transferretur, cum ille vel scientia sua fretus,
vel ut gratiam aucuparetur Pauli III P. M. pronunciasset, non
fine præsentissimo contagionis, & vitæ adeo, periculo in illa ur-
be posse durari; alterum, cum *Fernelio* ea suppeditavit consi- 64.
lia, quibus sanitas Catharinæ Mediceæ & fœcunditas conciliata
est. In quo utroque gloriæ *Fracastorianæ* argumento accura-
te & diligenter doctissimus Autor noster versatur; nec minus
in illo, quod non multo minoris putandum est. De natura vi- 78.
ni disceptabant *Anton. Fumanellus* & *Bartholomæus Gajonus*,
Medici ambo Veronenses, „ humidumne an siccum dicendum
„ sit vinum qualecunque, ob diversos, quos producit in corpore
„ humano, effectus ? Illud *Gajono*, hoc *Fumanello* placuit.
„ Cum diu varie & acriter disputatum esset, ab utraque parte
„ factum est compromissum, quicquid ille certum justumque
pro-

„pronuntiaverit, id æquum ratumque fore.„ Cum aliquandiu deliberasset, palmam *Fumanello* detulit. Utque sententiæ hujus redderet rationem, libello *de Vini temperatura* omnem complexus est controversiam, quem ita informavit, ut hodie sua solent JCti responsa. Post medicæ artis gloriam etiam humaniorum literarum & poeseos præsertim laude nobilitatus est *Fracastorius*, quorsum pertinent Decreti publici verba pro erigenda illi statua a Veronensi civitate sanciti, ubi *humaniorum*
p. 102. *literarum scientia & inprimis poesi, sicuti multos ex veteribus, ita omnes, qui post annos mille quingentos aliquod in eo genere*
109 sq. *scribendi nomen habuere, superasse* perhibetur. Multus inprimis est Cl. Autor in laudanda *Syphilide* s. de lue Gallica poemate, in quo prædicando incredibilis est eruditorum hominum con-
113. sensus, adeo quidem, ut *Sannazarius* ipse suum de partu virginis carmen multum a *Fracastorio* majestate superatum confessus sit. Aliud illius de *Josepho* carmen, multum *Syphilide* inferius,
118. locum dedit joco *Gabrielis Naudæi*, majorem invenusto illi Gallorum monstro, quam homini sanctissimo *Josepho*, delatum a
137. *Fracastorio* honorem esse. Nec parum ad laudem Viri facit, quod præter Paulum III ac Julium III Pontifices Carolo V Imperatori etiam admirationi fuit, „qui per Piscarium, Venetæ „ditionis oppidulum, iter faciens, conspecto forte *Fracastorio*, „qui visendi ejus causa accurrerat, mirabundus substitit, & ex „omni, qua circumfusus fuit multitudine, in hunc unum diu „satis oculos vultumque defixit.„ Obiit Noster die VIII Id. Aug. A. cIɔ Iɔ LIII, ætatis uno & septuagesimo, in Caphiis, prædio suo, ubi ultimos vitæ annos, placide sibi ac musis suis vivens, exegerat. Mortuo statua posita est tam Patavii a *Jo. Bapt. Rhamnusio*, amico ejus, quam Veronæ ab universa civitate. Ut in reliquis omnibus, ita in scriptis præsertim Viri eorumque editionibus enarrandis diligentissimus est *Menckenius* noster, a quo *Angeli* etiam *Politiani* vitam, pari studio expolitam, expectamus tanto majori desiderio, quo magis, quantum valeat in hoc genere, hic declaravit. Inscripsit librum Amico *Jo. Ernesto Hebenstreitio*, Medico apud nos clarissimo, cujus surgenti etiam per *Menckenium* suum gloriæ ex animo favemus.

)(o)(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXXI.

SACRO-SANCTA CONCILIA AD REGIAM Editionem exacta, quæ olim quarta parte prodiit auctior studio PHILIP. LABBEI, & GABR. COSSARTII, S. J. Presbb. nunc vero integra, insertis STEPH. BALUZII & JO. HARDUINI additamentis, pluribus præterea undecunque conquisitis monumentis, notis insuper ac observationibus, firmiori fundamento Conciliorum epochas præcipue fulcientibus, longe locupletior & emendatior exhibetur. Curante NICOLAO COLETI, Eccl. S. Moysis Venet. Sacerdote alumno.

Tomus III ab A. CCCCII ad A. CCCCXXXI.
Alph. 9 plag. 15.
Tomus IV ab A. CCCCXXXII ad A. CCCCLI.
Alph. 10 pl. 9.
Tomus V ab A. CCCCLII ad A. DLI.
Alph. 8.

Venetiis, apud Sebast. Coleti, & Jo. Bapt. Albrizzi, Hieron. F. 1728, fol.

IN Actis nostris Anni 1729 Mense Febr. præstantissimi hujus Operis Tomos priores II recensuimus; cœpti ergo tum instituti tenaces, ad *tres* nunc Tomos sequentes, eodem anno 1728 editos, convertimur, solerti collatione cum editionibus, *Regia*, *Labbeo-Cossartiana*, ac *Harduiniana* instituta, commemoraturi porro, quid vel novarum accessio-

num supplementorumque hæc nova *Veneta* ferat editio, vel
melius, ordinatiusque dispositum exhibeat, quo fit, ut pretium
hujus editionis istis præcedentibus longe præferendum sit.
Tom.III. *Tomo III*, mox ad A. 402, de Concilio *Milevitano I* obser-
p. 85. vatio *Ant. Pagi* inseritur. A. 403 Synodus ad *Quercum Steph.*
91. *Baluzii* notatione quadam illustratur. Ad A. 404 *Constanti-*
97. *nopolitanum* Concilium, hucusque aliis prætermissum, e conno-
103. tatione *Pagi* noviter hic insertur. A. 411 Concilium *Ptolomai-*
densе, quod paucis tactum a præcedentibus Collectoribus, a *Ba-*
luzio autem plenius descriptum, ex hujus Collectione insigni-
110. ter illustratur: eodem anno habita *Collatio Carthaginensis* in-
343. ter Catholicos & Donatistas post Conciliorum editiones supe-
riores multa luce collustrata est a *Baluzio*, exhibitis de novo
monumentis huc facientibus ex *Augustino*, additisque notis suis
multæ frugis; quam proinde operam a *Baluzio* hic navatam
jam retinuerat integram *Lud. Ell. du Pin*, ad calcem edit. *Optati
Milevit.* Parisiis 1702 ab ipso curatæ. *Harduinus* etiam a *Balu-
zio* prolatis usus quidem est, sed notas tamen ejus modo lauda-
tas omisit. Hic vero omnia integra, prout exhibuerat *Balu-*
347. *zius*, repetuntur. Ad eundem annum quod refertur, *Braca-
rense* Concilium ex peculiari *Ant. Pagi* observatione novam lu-
371. cem accipit. A. 415 de Synodo *Diospolitana* nova *Baluzii* ad-
419 sqq. ditio repetitur. Ad A. 417 Synodus *Romana* in causa Cœlesti;
ad A. 418 Concilium Africanum *Carthaginense*, item *Romanum*
in causa Pelagii, singula tria ex *A. Pagi* connotatione noviter in-
427. feruntur. A. 418 *Teleptense* etiam Concilium, cujus Canones
primus exhibuerat *Baluzius*, cui & Zellense audit, luculenta
quadam *Pagi* observatione collustratur. Ad A. 419 numerus
458. Concilii *Carthaginensis VI*, quem dubium reddere *Baronius*
voluerat, ejusdem *Pagi* peculiari observatione fulcitur. Circa
461 sqq. idem tempus *Canones Africani* in diversis editi Conciliis, Sufe-
tulensi nempe, Macrianensi, Septimunicensi, Thenitano, Mara-
zanensi, Hipponi-Regiensi, ex *Baluzio-Harduiniana* recensione
497. integre repetuntur. Eodemque modo ad A. 423 in *Cilicia*
quodam Concilio, itemque alio quodam *Antiochensi* A. 424, por-
547 sqq. ro A. 427 in Synodo *Orientali* contra Massilianos, A. 428 in
Con-

Constantinopolitana, A. 430 in *Romana* contra *Nestorium*, aliaque *Romana* A. 431 Synodo, quæ tum a *Baluzio* tum *Harduino* opera fuerat posita, hic optima fide retinetur. Quæ sunt reli- p. 569.
qua hujus Tomi, & maximam ejus partem complent, Acta Sy- 1775.
nodi œcumenicæ III *Ephesinæ* A. 431 exhibent. Habentur autem ea Græco-Latina ; quemadmodum a Collectoribus præcedentibus ex versione *Theodori Peltani* fuere reddita, haud tamen omissis, quæ *Baluzius* & post eum etiam *Harduinus* ad horum Actorum complementum noviter subjecerunt. Quæ autem hoc Volumen non potuit capere, servata sunt Tomo sequenti IV, ut mox dicetur.

Tomo IV statim ab initio ad A. 431 præclara illa de Conci- Tom. IV.
lio *Ephesino* παραλειπόμενα comparent: & primum versio la- p. 1.
tina antiqua Actorum Concilii exhibetur, quam post *Ant. Contii* 196.
editionem Paris. 1574, 8, cum 3 MSS. collatam, notisque suis criticis instructam *Baluzius* in Collectione sua repetiit, ac *Harduinus* etiam editioni suæ inseruit, omissa tamen altera illa recentiori *Theodori Peltani*, quam Collectores præcedentes, ac Noster etiam, ut supra dictum, retinuerunt. Porro ex eodem 197 sqq.
Baluzio subjicitur Actio VI Concilii *Ephesini*, interprete *Mario Mercatore*, ac Epistolæ quædam ad causam *Nestorii* pertinen- 221 sqq.
tes, eodem interprete. Denique Epistolarum insignis farrago exhibetur, quibus *Baluzius* nomen Synodici adversus tragædi- 235.
am *Irenæi* indidit, præter eum vero *Christianus Lupus* separatim Lovan. 1682 in 4, *Jo. Garnerius* autem Tom. V Opp. *Theodoreti* sub tit. Dissertat. V de *Theodoreti* & Orientalium causa ediderat Paris. 1684 fol. Eodem A. 431 habita Synodus *Constan-* 497.
tinopolitana ad ordinandum Maximianum Episcopum ex *Ant. Pagi* sufficitur; & *Tarsense* aliquod Concilium, præeunte *Baluzio* atque eodem *Pagi*, firmatur. Denique ad eundem annum *Anazarbicum* e *Baluzio* accedit; ac horum omnium qui- 499.
dem notitia Synodico modo laudato debetur. A. 432 de Concilio *Antiocheno* nova *Pagi* observatio affertur; & ad annum eundem 506.
Zeugmatense e *Baluzio* subjicitur. Ad A. 435 Synodi *Anazar-* 507.
bica, *Tarsensis*, it. *Antiochena*, quas primus posuit *Baluzius*, 523 sqq.
passim annotationibus *Pagi* firmantur. A. 439 *Regiense* Conci- 541.

P. 541. lium adjecta *Pagi* observatio collustrat. A. 440 *Ephesinum* e
714. *Baluzio* apponitur. A. 441 ad *Arausicanum I*, cujus Canones a
Syrmondo & *Albaspinaeo* illustrati sunt, nova *Pagi* observatio
725. adjicitur. Notitia Synodi *Antiochenae* A. 445 eidem *Pagio* debe-
728. tur. Ad A. 446 Concilium incerti loci in *Gallia*, & aliud *Vero-*
lamiense in Anglia ejusdem *Pagi* observationibus illustrantur.
731. Ad eundem annum de *Asturicensi* Synodo Epistola *Turibii* cum
740 sq. observatione Card. *Aguirre* affertur. Ad A. 449 *Berytensis* Con-
cilii epocha prolixa *Pagi* disquisitione firmatur. A. 450 duo
749. Concilia *Romana* IV & V sub Leone Papa I observationibus *Pa-*
gi stabiliuntur. Maximam porro Voluminis hujus partem
761 sqq. iterum Acta *Chalcedonensis* oecumenici Concilii IV absolvunt,
quae novis accessionibus, praeter eas, quas *Baluzius* noviter Con-
ciliorum generalium Collectionibus adjecit, haud quidem hic
augentur. Ex antiqua autem versione latina quas *Baluzius* ad
paginas editionis *Labbeanae* protulit, criticas notas uberrimas
hujus editionis paginis singulis subjectas cernes: praemissa eru-
dita *Baluzii* Praefatio de antiquis latinis ante *Rusticum* Actorum
hujus Concilii exemplaribus, quibus usi *Facundus*, *Vigilius*, *Li-*
berius, aliique, & diverso Actorum ordine, qui in illis & apud
Evagrium observatur, & quae sunt reliqua, integra tandem sub-
1959 sqq. jiciuntur. Codex encyclius Epistolarum Synodalium XLI pro
condemnatione Aeluri & hujus Concilii defensione A. 458 ad
Imp. Leonem I scriptarum, ad modum *Baluzii* suis quidem lo-
Tom. V. cis Concilii Actis adjectus mansit, ita tamen, ut Tomo V hujus
27 sqq. editionis ad annum dictum ejus & notationum *Baluzianarum*
repetitio instituta sit. Denique in calce hujus Tomi inter alia
Concilia, quae circa aevum *Chalcedonensis* Synodi fuere habita,
ac ex Actis ejusdem a Collectoribus aliis maximam partem e-
2073. ruta sunt, comparet etiam *Forojuliensis* quaedam inter Gallos
Synodus, aliis hucusque praetermissa, quam ex *Edm. Martene*
Thesauro Anecdotorum T. IV nostra etiam editio sufficit.

Tom. V. *Tomus V* novis accessionibus inter ceteros fere superbit;
& primo quidem loco ad A. 457 & sq. disquisitio occurrit, de
26. Conciliis 4, *Alexandrino* Aeluri, *Thessalonicensi* Eudoxii, *Con-*
stantinopolitano Anatolii, ac *Romano* Leonis instituta; deque
his

his ipsis a Collectoribus temporis rationes hucusque parum curate observatas esse contenditur, licet libelli Synodici fidem secuti sint. Ad A. 467 Epistolis *Simplicii* Papæ aliquæ *Ant. Pagi* observationes adjiciuntur, quibus temporis notatio paulo etiam curatius determinatur. A. 471 *Antiochenam* Synodum nova ab *Ant. Pagi* prolata testimonia potissimum firmant. Ad A. 477 sqq. Synodi variæ, *Ephesinum* conciliabulum, *Alexandrina*, *Cyrensis*, *Antiochena* duæ, *Constantinopolitana*, it. *Romana*, *Laodicena*, *Antiochena* duæ, ac duæ *Alexandrina* Synodi ex ejusdem *Pagi* annotationibus, hic allatis, novam & peculiarem lucem accipiunt. Ad A. 483 novum prorsus & præclarum aliquod antiquitatis monumentum occurrit, quod lucem hucusque non viderat, sed Editori hujus Collectionis primum e MS. communicatum est ab Illustr. Marchione *Scip. Maffejo*, qui illud e vetustissimis Veronensis Capituli Codicibus eruit. Nomen gerit *Supplementi Acaciani*, atque sub hoc titulo comparent: 1) Præfatio *Maffeji*, 2) Felicis III Papæ Epistola seu Tractatus, 3) *Maffeji* ad eundem annotationes, 4) alia Felicis Epistola, licet Gelasii Papæ nomen præferat, 5) *Maffeji* ad eam annotatio, 6) Gelasii Papæ Epistola, 7) *Maffeji* etiam ad hanc annotatio. Idem hocce *Supplementum Acacianum* Editor *Nic. Coleti* eodem hoc anno 1728 jam seorsim publici juris fecerat, ubi Venetiis apud Seb. Coleti plag. 4 in 8 chartæ majoris typis exscriptum fuit, in gratiam magni nominis cujusdam Bibliophili inter transalpinos, qui *Mich. Mauroceno* desideria sua aperuerat, atque Tomi hujus V excudendi moram ferre nequiverat. In his autem peculiariter excusis plagulis eadem hæc monumenta, eodem etiam ordine, exhibentur; unicum est, quod hæc editio peculiare habet, nempe notitiam de Codice quodam MS. *Hieronymi* & *Gennadii* de Viris illustribus, quem idem Volumen Capituli Veronensis, e quo Acacianum monumentum a *Maffejo* transsumptum est, itidem complectitur. Codicem illum *Hieronymo-Gennadianum*, quem Corbejensi, *Mabillonio* & *Martianæo* celebrato, longe præfert, cum editione *Hieronymi* Parisina diligenter contulit *Maffejus*, ac lectiones ejusdem va-

p. 112 sqq. 119. 131 sqq. 180. 207.

riantes aliquot paginis excuſas exhibuit, ut ad editiones *Hieronymi Gennadii*que relatæ uſui eſſe poſſint. Idque ex editione hujus Acaciani Supplementi peculiari hic etiam notaſſe loco quamvis alieno, haud incongruum erit.

p. 271 ſqq. Ad A. 485, connotante & deſcribente *Pagio*, referuntur Pſeudo-Synodus *Antiochena Pet. Fullonis*, Concilium *Romanum*, in quo *Pet. Fullo* & *Acacius* damnati, atque Synodus *Quintiani*, Arculaniorum Epiſcopi, contra *Pet. Fullonem*, de quibus
281 ſqq. omnibus fruſtra priores Collectiones conſulueris. A. 492 ſqq. quæ habentur Gelaſii Papæ Epiſtolæ & alia, paſſim ornata ſunt ſubjectis notis & Variant. Lect. Codd. Veronenſis Capituli, quorum collationem inſtituit *Franc. Blanchinus*, ejusdem Capituli Canonicus & Bibliothecæ cuſtos, unde ad Editoris noſtri manus pervenerunt. A. 494, vel, quod rectius creditur, A. 496 ad Con-
391. cilium *Romanum*, in quo de libris ſacris & Apocryphis decretum
415. eſt, prolixa *Ant. Pagi* obſervatio noviter adjicitur. A. 498 *Conſtantinopolitana* Synodus ex ejusdem *Pagi* narratione affertur.
446 ſq. Ad Synodos *Romanas*, I A. 499 quæ afferuntur *Baluzii*, II A. 500 *Pagi*, III A. 501 utriusque, *Baluzii*, *Pagi*que, ac IV A. 502 & V
509. A. 503 iterum *Pagi* additiones & obſervationes, lucem haud contemnendam fœnerantur. Ad A. 509 quod commemoratur, *Antio-*
541. *chenum* Concilium *Pagi* Criticæ in *Baron.* debetur. A. 512 de
552. Synodo *Pſeudo-Sidonia* ea, quæ de rebus in eadem geſtis monuerat *Baluzius*, afferuntur, ac de temporis notatione peculiaris
557 ſq. etiam *Pagi* obſervatio additur. A. 514 ſqq. *Hormisdæ* Papæ Epiſtolæ, quarum maximam partem omiſit *Harduinus*, h. l. omnes, numero LXXXI, e Regia & *Labbeana* repetuntur, cum reſponſoriis ad easdem variis, inter quas 30 & 81 *Pagi* obſer-
689 ſq. vationibus illuſtrantur. A. 514 *Agaunenſe* Concilium, non niſi per indicem memoratum *Harduino*, integrum hic etiam affertur, ac præterea *Pagi* obſervationem eruditam ſuffixam habet.
717 ſqq. A. 517 ad *Epaonenſe*, anno eodem ad *Lugdunenſe*, itemque A. 519 ad *Britannicum* Concilium ejusdem *Pagi* obſervatio accedit. Ad
757. A. 524 *Ilerdenſe*, itemque *Valentinum*, utrumque Hiſpaniæ Concilium, quod refertur, rectius in A. 546 rejici, docta *Pagi* obſer-
20. vatione evincitur: eodemque modo ad A. 529 hucusque relatum

Con-

Concilium *Valentinum* in Gallia ejusdem *Pagi* fide in A. 530 transfe. tur; ac collatio etiam *Constantinopolitana*, A. 533 vulgo posita, docente eodem ad A. 532 rejicitur. Ad A. 536 Concilia *Constantinop.* & *Thevinense* de novo prorsus e *Pagi* connotationibus subjiciuntur. A. 543 *Constantinopolitanum* Concilium aliquod, quod praecedentibus hucusque Collectoribus ignotum fuit, recens exhibetur, cui *Henr. Valesius* in Not. ad Evagrium, *Garnerus* item atque *Guil. Cave* in Hist. liter. materiam suffecerunt. Ad A. 549 *Illyricianum* Concilium pro tribus Capitulis habitum e recensione *Pagi* affertur; atque in eadem causa *Africanum* aliquod A. 550 ex eodem. Denique ad A. 551 ejusdem *Pagi* observatio quaedam de *Epistola* ad Legatos Francorum, qui Constantinopolim proficiscebantur, hoc Volumen claudit.

p. 926. 957 sqq. 1373. 1392. 1395. 1402 sqq.

Ceterum si quid de Opere utilissimo monere nobis liceat, optandum foret, Graeca paulo curatius passim impressa esse, aut saltim in sequentibus Tomis imprimi.

AD SACRO-SANCTA CONCILIA, A PHILIPPO LABBEO & GABRIELE COSSARTIO, S. J. Presbb. edita, Apparatus alter.

Venetiis, apud Jo. Bapt. Albrizzi, Hieron. F. & Sebast. Coleti, 1728, fol.

Alph. 7 plag. 16.

VOlumen hocce, quod Apparatus alter ad SS. Concilia *Labbeo-Cossartiana* inscribitur, atque hoc modo Paris. 1672, velut Tom. XVII Conciliorum editionis *Labbeanae* excusum fuit, jam Venetiis etiam in ipsis primordiis novae editionis publice exhibitum est; cujus proinde recensum non putamus differendum, usque dum totum editionis negotium absolvatur, sed statim iis Tomis, qui A. 1728 (quem annum & ipse hic apparatus praefert) prelo exierunt, subjicimus. Sunt autem VII Autorum scripta, quae hoc Volumen complectitur.

I) *Dominic. Jacobatius*, Autor purpura Cardinalitia clarus, *de Concilio* magnae molis librum jam Sec. XVI ineunte Clementi Papae VII exhibuit, ubi etiam Romae 1538 fol. hoc ejus Opus lucem

cem vidit: a *Jo. Theod. Rocaberto* etiam hicce *Jacobatii* liber insertus est Bibliothecæ maximæ Pontificiæ, Rom. 1697 XXI Tomis in fol. vulgatæ, ibidemque Tom IX. II) *Jo. Ant. Delphinus de tractandis in Concilio œcumenico*, & qualiter & quem in finem Patres ea differere conveniat. Etiam hic liber olim Romæ 1561 in 4 seorsim primum excusus. III) *Hieron. Donati*, Patricii Veneti, Apologeticus ad Græcos *de principatu Rom. sedis*: itemque ejusdem Epistola ad Oliverium, Cardinal. Neapolitan. in qua Ecclesiam Rom. primatum Ecclesiasticæ dignitatis obtinere, & Petrum esse petram & fundamentum Ecclesiæ, comprobatur: juxta editionem Rom. 1525. IV) *Marc. Mantua Bonaviti*, Patavini JCti, *Dialogus de Concilio*, ex edit. Venet. 1541, e qua etiam excerpta habentur in Relat. innoc. 1702 p. 628 (435). V) *Fr. Pauli Fabulotti* Disput. Theolog. *de Potestate Papæ supra Concilium*, edit. quondam Venet. 1613. Habetur & apud *Rocabertum* lib. cit. Tom. XVIII. VI) *Barthol. Caranzæ* IV Controversiarum *de autoritate Pontificis & Conciliorum* explicatio, secundum edit. Venet. 1546. VII) *Pet. de Monte*, Veneti, Episcopi Brixiensis, *Monarchia*, s. de Pontificis & Conciliorum generalium potestate, ex edit. Rom. 1537, ad MS. *Felini Sandei* transscripta: exstat etiam apud *Rocabertum* Tom. XVIII.

SANCTORUM PATRIARCHARUM ET Prophetarum, Confessorum, Pontificum & non-Pontificum, Virginum & non Virginum, cultus perpetuus in Catholica Ecclesia assertus & illustratus a JACOBO DE LADERCHIO, Congregationis Oratorii Urbis Presbytero.

Romæ, ex Typogr. Jo. Baptistæ a Caporalibus, 1730, 4.
Plag. 20.

VEtus est & sexcentis scriptorum calamis repetita, totidemque etiam aliis ex contraria parte discussa, querela, Romanam Ecclesiam, qualis quidem a plurimis inde seculis, ad nostram, quam nunc vivimus, ætatem obtinet, non in moribus tantum, sed vel maxime sanctissimæ etiam doctrinæ Christia-

næ

næ placitis ita desciviſſe a priſcæ illius & Apoſtolicæ communitatis inſtitutis, ut in recenti antiquæ veſtigia vix agnoſcas. Noſtrum negotium haud eſt, illorum omnium recenſum hic inſtituere velle; quibus ſufficit in præſens vel duobus verbis de dogmate circa *cultum religioſum Sanctorum* monuiſſe: pertinere illud ad eorum claſſem, quæ citra Scripturæ autoritatem priſcique ævi exemplum ſequiori demum tempeſtate in Eccleſiam introducta ab illis perhibentur comprobanturque, qui a Romano cœtu ſeceſſerunt. Laboratum equidem nullo non tempore fuit maximo opere ab iis, qui partis, quam poſtremo loco appellavimus, aſſeclas ſe profitentur, ut demonſtrarent, a vero abhorrere hanc Proteſtantium injuſtiſſimam, uti dicunt, inculpationem, & in ſuæ cauſæ patrocinium conſtantem atque perpetuum antiquitatis per omnia ſecula conſenſum, productis in medium integris quaſi exemplorum plauſtris, obverterent. Eundem ſibi ſcopum præfixit præſentis libri Autor, clariſſimus *Laderchius*, plus ſimplici jam nobis vice in hæc Acta noſtra relatus. Voluit ille comparata qualicunque eccleſiaſticæ antiquitatis notitia ad hoc uti, ut oſtenderet contra *Calvinum* ac *Lutherum*, hisque ſimiles, quos vocat, *S. Romanæ eccleſiæ perduelles & heterodoxos*, nihil alienum a priſcis ſanctioris cœtus moribus, tum ſub veteri tum novo teſtamento, a ſuis admitti, dum *religioſum Sanctorum, eorundemque reliquiarum, cultum* celebrant atque frequentant. Hunc in finem aliis pridem ſcriptis tum nonnullorum in particulari, tum *omnium* ſimul *Actorum SS. Martyrum ab Eccleſia receptorum* venerandam antiquitatem propugnandam ſibi ſumſit; præſenti autem Commentatione hoc efficere conſtituit inprimis, ut reliquorum etiam Sanctorum, qui non quidem *Martyrum* coronas adepti, meritorum tamen, miraculorum, vitæque innocentiſſime inter homines geſtæ gloriam conſecuti ſunt, *non diſſimilem reliquis venerationem ac cultum ſemper obtinuiſſe* oſtenderet. Certe, ſi præfixæ Operi approbationi attendamus, *tanto autore dignum illud eſt, undequaque præclarum; & a quo tota literaria reſpublica e tenebris erutum ſanæ ac ſanctæ eruditionis lumen percipere valeat; cum omni eo, quod*

in priscis Ecclesiasticis Historiis reconditum, & quod in recentioribus discussionibus elucubratum invenitur, in novam lucem edito, senescentem jam cultum Sanctis Non-Martyribus præstitum a primævis pubescentis Ecclesiæ incunabulis ortum, nobili pariter atque erudito calamo demonstret.

Nos in medio positam præclaram istam Censoris sententiam volumus, & Lectores potius, more nostro, ex curato summorum capitum indicio non prorsus obscura de scriptionis dignitate argumenta capere jubemus. In tres omnino libros universam opellam distribuit Autor clarissimus. Primus illis Sanctis destinatus est *Non-Martyribus*, qui *sub veteri Instrumento* floruerunt, quos tum ab ipsis suis popularibus, *Synagogæ* titulo ipsius stilo indigitatis, tum vero, Christiana religione post Christi adventum instaurata, ab illius asseclis singulari cultu affectos fuisse, demonstrare magnopere conatur. Hoc equidem non diffitetur *Laderchius*, neque *aris*, neque *templis*, neque *natalitiis solennitatibus* Ebræos veteres gentiles suos sanctitate illustres cohonestavisse; putat tamen ipsos eo cultu prosecutos fuisse, quo apud Deum intercessores adhibentur; idque exemplo *Mosis Exod. XXIII v. 13*, & *Deuteron. XI v. 27*, *Asariæ Danielis III v. 24*, & aliorum, comprobare studet, contrariæque simul partis argumenta convellere. Patriarcharum porro & Prophetarum sepulchra frequenti fidelium Judæorum concursu frequentata, & ad illa miracula perpetrata atque edita fuisse contendit; conf. *Matthæi XXIII v. 29*, & *Ecclesiast. XLVIII v. 14*. Maximam deinceps *Christianorum* prioribus tribus a Christo homine seculis Sanctorum V.T. venerationem exstitisse ex pictis in cryptis sculptisque in sarcophagis ipsorum imaginibus declarat, plura etiam affert Patrum, qui isto ævo vixerunt, loca, quibus in exquisitissimas eorundem laudes effunduntur. Sublatis tandem Imperatoribus Ethnicis, religionis Christianæ persecutoribus, miris incrementis adauctum Sanctorum prisci instrumenti cultum & insignem erga Patriarcharum Prophetarumque reliquias, sepulchra, memorias, religionem percrebuisse tradit, & Constantini inprimis Magni pium erga illos studium commendat. Refert huc *Abrahami* & aliorum

rum *sepulchra* in ecclesias (*templa* dicere voluit) conversa; patrata ad *Davidis* monumentum, *Elisæi* item *Obadiæ* & *Joannis Baptistæ* sepulchra, licet corporibus vacua, stupenda miracula; summum fidelium ipsorum reliquias nefarie dispersas colligendi conquirendique studium; earundemque in Occidentalem Ecclesiam serius aliquanto licet factam translationem, & id genus alia. Disquirit porro, qui factum fuerit, ut unis ex antiquo fœdere *sanctis Macchabæis Natalitiorum* honor decretus sit ab Ecclesia Latina. Claudit denique hanc tractationem, postquam monuisset, Ecclesiam Catholicam non minori veneratione habere Sanctos V. T., quos imitatione ac praxi virtutum ante Christum Christianos agnosceret, quam illorum N. T. merita tum alibi tum in Missæ sacro Canone recensere, eosdemque invocare.

Secundo libro id potissimum agitur, ut *Sanctorum Non-Martyrum in Ecclesia Græca ac Latina perpetuus cultus* a *primo* inde ad *septimum* usque seculum adstruatur. Hanc autem ideo sibi se præfixisse periodum Autor noster affirmat, quod de ista saltem ætate inter *Pontificios* atque *Heterodoxos* hac de re controversia versetur, qui postremi de *septimo*, &, quæ secuta sunt, seculis, quæ *corrupta* ipsi appellent, ultro concedant, *religiosum Sanctorum cultum* tunc in cœtu Christiano obtinuisse; adeoque noluisse se frustra in hoc demonstrando operam insumere. Age vero, atque iterum per summa capita eamus. Principio ostendit Autor *Sanctorum Non-Martyrum* utriusque sexus ipso *primo* post Christum natum *seculo corpora* in *cœmiteriis* juxta *Martyres* condita, eorundemque *cryptas* indistincte *imaginibus* condecoratas fuisse. Docet porro ad ipsorum *sepulturas* jam tum *Basilicas* exstrui consuevisse; *reliquias* ipsorum singularibus *miraculis* illustratas fuisse; & denique eorundem *nomina* non secus atque *Martyrum* tum in Orientali tum Occidentali Ecclesia in *Tabulas Ecclesiasticas* diligentissime consignata legi; quæ omnia *religiosi cultus*, ipsis exhibiti, luculenta indicia atque documenta existimat *Laderchius*. Idem de *secundo* & *tertio* seculis operose demonstrare satagit, & de *quarto* inprimis tradit, præcipuum tunc *Græcæ*

Ecclesiæ in Sanctos *Non-Martyres* cultum atque studium eluxisse; quam æmulata sit *Latina*. Reliquis *tribus* seculis idem factum amplissimus exemplorum apparatus ex Autoris nostri sententia confirmat; cui discutiendæ nos quidem pro more nostro merito supersedemus.

Tertius atque *ultimus liber* in diluendis *religiosi sanctorum cultus adversariorum argumentis* occupatur. Hæc cum protrita fere sint, & vel tyronibus Theologiæ Polemicæ non ignota, ab illis huc transscribendis bona nos cum Lectorum venia abstinere posse confidimus.

JUSTI FONTANINI, ARCHIEPISCOPI Ancyrani, de Sancto Petro Urseolo, Duce Venetorum, postea Monacho Ordinis Sancti Benedictini, ex primæva Ecclesiæ disciplina Sanctorum confessorum canoni adscripto, Dissertatio, qua ejus gesta, virtutes, signa & cultus veterrimus explicantur. Accedit de eadem re Commentarius, publica autoritate confectus.

Romæ, typis Rochi Bernabò, 1730, 4 maj.

Plag. 17 cum fig. æn. 1.

MAgnum sibi hactenus nomen scriptis conciliavit Illustriss. Archiepiscopus Ancyranus: in quibus sive argumentum sive dicendi genus spectes, nihil facile invenies, quod non sit numeris omnibus absolutum. Hac vero Dissertatione iterum suo more dignum aliquid luce promit; dum *Petri Urseoli*, Venetiarum Ducis, laudem prope senescentem ab oblivione hominum vindicat. Inclaruit hic *Petrus Ursiolus*, sive *Urseolus*, seculo decimo maxime ob sanctitatem vitæ & rerum humanarum contemtum: quippe qui principatui, patriæ, uxori & filio magno animo valedicens, in Gallia I Narbonensi nomen suum Ordini Benedictinorum dedit. Illustriss. Autor in Præfatione nominis hujus Ducis rationem pluribus exposuit. Hoc autem ab Ursionibus Participatiis & Particiacis, veterrima Venetorum gente, non diversum fuisse, contendit. Demum enim ætate no-

stri

lri Ducis Ursonum insignem familiam distractam esse in tres familias, Ursiolam nimirum, Justinianam, & Buduariam. In ipsa Dissertatione Cap. I & II insignia primum nomina veterum attulit, sigillatim Ratchisium, Ducem & Regem Langobardorum, Carolomannum, fratrem Pipini Regis Francorum, aliosque, qui ante Urseolum nostrum ereniiticam egerint vitam. Deinde accurate distinguit patrem Petrum Urseolum a filio ejus Petro Urseolo, & priorem nostrum esse ostendit; qui Petro Candiano IV in Ducatu Venetorum suffectus sit. Cap. III–VI ostendit, Urseolum natum A. 928 Urso II, Principe Venetiarum; quo mortuo ad summum patriæ fastigium evectus, insignia beneficia in Rempublicam collocarit, præcipue *S. Marci* Evangelistæ ædem conflagratam magnifico opere reparans, quæ demum quatuor & nonaginta post annos perfecta sit. Hic A. 978, inito clam cum Guarino Cuxanensi Abbate consilio, in Galliam I Narbonensem se contulit. Est illa Narbonensis regio Galliæ ad Pyrenæos montes porrecta, subinde a mediæ ætatis scriptoribus Aquitania dicta. Animadvertit Ill. Autor, eosdem scriptores Aquitaniam Equitaniam & Vasconiam, a Vasconibus Pyrenaica gente, quanquam minus concinne nuncupasse. Ibi Urseolus fugit in Cœnobium Cuxanense, ad fluvium Tetim, qui Perpiniano allabitur, situm. Surrogatus Urseolo in principatu Vitalis Canduanus, ipse post annum & duos menses decessoris sui vestigia pressit. Hæc dum exponit Ill. Autor, simul errores a *Baronio*, *Mabillonio*, *Carolo Sigonio*, & aliis admissos emendat. Cap. VII edocemur ab Ill. Autore, tam sanctam esse apud Cuxanenses Historicos memoriam hujus Ducis, monachum induentis, ut de eo etiam congressus divinos cum angelis & conflictus cum genio malo celebrent. Cap. VIII inter alia magno studio Ducum Venetorum inde ab A. 959 usque ad A. 1009 ordinem restituit. Præfuisse Ducatui A. 959 Petrum Candianum IV; A. 976 Petrum Urseolum I, monachum nostrum; A. 978 Vitalem Candianum, Petri IV fratrem, etiam deinde monachum; A. 979 Tribunum Memmum, itidem monachum; A. 991 Petrum Urseolum II, Petri I filium; A. 1009 Ottonem Urseolum, Petri II filium. Hac occasione

contendit inter se *Rivipullensem* Urseoli Encomiasten & *Damianum* Historicum: ex quo conficitur, *Damiano Rivipullensem* antiquiorem esse. Cap. IX–XIII sociorum Urseoli casus & variam fortunam pluribus persequitur, & antiquitati suæ restituit stemma Comitum Barchinonensium & Ducum Ceritaniæ ab A. 913 usque ad A. 1111. Ex hac enim gente prodiit Oliba primum Dux Ceritaniæ, deinde Cuxani Abbas, postea Ausonensis Antistes; qui *Petrum Urseolum* Synodali celebritate per solennem corporis elevationem in numerum Sanctorum A. 1027 retulit. Observat Ill. Autor, hanc Clericorum potestatem cessasse demum Alexandri III Pont. ætate, qui primus omnium sanxerit, non licere, nisi autoritate Romanæ ecclesiæ, aliquem Sanctorum albo adscribere. Cap. XIV & XV confirmat, multoties ante *Urseolum* alios eodem prorsus ritu inter Sanctos ab Episcopis relatos esse, imo & post eundem; quod aliquibus exemplis comprobat. Addit, corporis elevationem alio nomine dici transmutationem & translationem. Cap. XVI & XVII nos docet modum hujus ritus ex *Sollerio*. Nimirum elevatum e terra mortui corpus in augustiorem & sublimiorem locum expositum fuisse, ut illud omnes venerarentur. Esse autem *Urseolum* pro Sancto semper agnitum apud Hispanos, Gallos atque Italos, probat. Cap. XVIII & XIX plura collegit Canonizationis, quam dicunt, argumenta; inprimis inde eam asserit, quod vita ejus publice in divinis officiis prælecta est. Hunc morem, ab Ecclesiis Galliæ Narbonensis olim receptum, Cap. XX solicite definit. Deinde Cap. XXI–XXIV tessellatam imaginem *Urseoli*, Venetiis in ædis Marcianæ Sacello baptisterii conspicuam, examinat, ubi de abrasione, corona rasili monachorum, tunica alba, cuculla nigra, & quæ ceteroquin ad primævum Ordinis Benedictini indumentum pertinent, multa ad antiquorum sententiam disseruit. Cap. XXV–XXVIII dedita opera Inscriptionem, imagini in superiore parte additam, rimatur. Ea hæc est:

✠BEATVS
PETRVꝰ. VRSI
OLO. DVXS~
VENEC

Anti-

Antiquus vero ritus eſt, ſignum Crucis Inſcriptionibus præponendi; quem alibi expoſuit Ill. Autor. Idem quoque, nondum iis temporibus diſcrimen aliquod interceſſiſſe inter Sanctum & Beatum, comprobat, cœliteſque Beatos ſtilo dici mere liturgico. Merito autem diſcedit in ſententiam *Chriſtoph. Cellarii* noſtri, qui ſanctos non divos, ſed beatos potius, dici optarat in Antibarbaro. Summopere porro veterem ſcribendi modum redolet DVXS; in quo comprobando teſte iterum *Cellario* utitur. Multa dein ad mentem veterum recte differit de Voce VENEC. quam pro VENET. media ætate poſitam arguit. Fuiſſe autem Venetiam provinciam maritimam tum temporis, cujus Metropolis poſt Heracleam dirutam Metamaucum fuerit. Ipſam vero Venetiarum urbem Rivoaltum primitus dictam, ex veterrimis Inſcriptionibus probatum dedit. Inde lucem inſignem quoque affert nummis Ludovici Pii & Lotharii, Imperatorum; quorum alter in antica parte ✠ HLVDOVVICVS. IMP. poſtica ✠ VENECIAS, alter vero antica parte ✠ HLOTHARIVS. IMP. AVG. poſtica ✠ VENECIA, diſerte exhibet. Tuetur hic ſedulo contra *Petrum Rainſſantium*, VENECIAS non civitatem neque provinciam maritimam, ſed regionem terreſtrem fuiſſe, Carolinorum imperio ſubjectam. Ultimis Cap. XXIV–XXIX omnem movet lapidem in munienda, quam dicunt, Canonizatione *Urſeoli;* ut undequaque ſatisfieret iis, qui de ea dubitarant aliquoties.

COLLECTIO ACTORUM ATQUE ALLEgatorum, quibus, oſſa ſacra, Ticini in Confeſſione S. Petri in Cœlo aureo A. 1695 reperta, eſſe ſacras S. Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi & Eccleſiæ Doctoris, exuvias, probatum eſt & noviſſime judicatum. Partes duæ.

Venetiis, apud Sebaſt. Coleti, 1729, 4.

Alph. 4 pl. 8.

QUantos moverit fluctus in Eccleſia Ticinenſi vel potius totius Italiæ ſuperioribus annis fama de reperto *S. Auguſtini*

stini sepulchro dedita, jam notum fecimus Lectoribus nostris, cum anno proximo M. Febr. *p. 91 sqq.* recenseremus Reverendissimi *Fontanini* de hoc argumento librum doctissimum. Nunc exhibemus Acta disputationis illius, duobus Voluminibus comprehensa, & Papæ Benedicto XIII inscripta a Rev. *Fulgentio Bellellio*, Priori Generali totius Ordinis *S. Augustini*, qui & præmisit luculentam Præfationem, in qua enarrationem totius historiæ seu potius controversiæ exhibet. Scilicet A. 1695 mense Oct. inventum fuit in *Confessione Ecclesiæ S. Petri in cælo aureo* urbis Ticini corpus quoddam, cum altare loci illius subterranei marmoribus exornaturi nonnihil effringerent forte ex mausoleo lateritio post sacellum prominenti. Per hoc enim foramen nonnulli dicebant se conspexisse inscriptum nomen *Augustini*, quod aperto mausoleo illo statim fuerit deletum improvide. Cumque jam olim creditum vulgo fuisset, sepultum in hac æde esse *S. Augustinum*, nunc protinus fama invaluit, repertum tandem esse corpus sanctissimi Episcopi. Cum vero una cum Augustinianis monachis hoc templum possiderent Canonici Regulares Lateranenses, hisque falsa videretur hæc fabula, examini res illa subjecta fuit. Statim igitur præsente Vicario generali arca marmorea effracta, &, quæ ibi reperta, literis consignata sunt. Etiam paulo post singula ossa, hic loci deprehensa, ab Anatomico quodam fuere recensita diligentissime. Duobus post annis nova ossium illorum facta est recensio præsentibus Vicario generali, Fiscali Episcopalis Curiæ, & duobus aliis, quos monachi utriusque partis elegerant, ad investigandum verum. Examinati item sunt testes, qui vidisse se dicebant in illo monumento nomen *Augustini*. Pari modo auditi sunt testes, qui asseverabant, veteri jam fama constare, quod in isto templo delitescat corpus *Augustini*. Inter hæc *Michael de Collibus*, Clericus Regularis *S. Pauli*, constitutus causæ hujus Advocatus a Prælatis utriusque monasterii, plures edidit libros ad sepulchrum hoc *Augustino* vindicandum: duo quoque Ticinensis Patrum Eremitanorum Gymnasii Regentes, *Matthis* & *Baudini*, singulari quisque libro idem demonstrare conati sunt. E contrario Abbas Canonicorum Regula-

gularium Lateranensium adversarium divulgavit librum, in quo contendit, falso hic quæri minimeque reperta esse ossa *Augustini.* Ex eo tempore Generalis Ordinis Augustiniani, qui tum erat *Antonius Pacini*, Ticinum se contulit, sed, quatuor exactis mensibus, inde discessit re non confecta. Hinc *Michael* ille *de Collibus* edidit Catalogum Theologorum Italorum, qui sententiam suam rogati, omnino id esse *Augustini* sepulchrum, assenserant. Edidit vero A. 1700 *Josephus Maria Bellini*, Canonicus Regularis Lateranensis, librum adversus Augustinianorum monachorum sententiam, eamque infirmo niti talo contendit: quem tamen continuo refutarunt *Joan. Caspar Beretta*, monachus Benedictinus, & *Albertus Castellanus*, Dominicanus. Nec vero silendum sibi putavit *Bellinius*, quippe qui statim edidit libelli sui vindicias. Facto postea Episcopo Ticinensi Cardinale *Morigia*, rursus *Michael de Collibus* duos emisit libellos ad defendendam suam & vulgi sententiam, eosque novo illi Episcopo exhibuit. Hujus vero animum dubium reddidit libellus tum in contrariam sententiam emissus a *Mario Callino*, Canonico Regulari Lateranensi, isque *tanta* (id quod Noster fatetur *p.* 7,) *arte contextus, ut multum vel hucusque insudandum fuerit ad exortas inde dubitationes e multorum mentibus abigendas.* Equidem Advocatus causæ, *Michael de Collibus*, confutare istum libellum aggressus est, sed nihil plane profecit, & paulo post (A. 1704) vita excessit. Ex quo tempore siluit ista controversia & sepulta visa est, cum post quinque lustra Papa Benedictus XIII, qui *vir Augustini nomini devotissimus p. 8* vocatur, epitomen processus ad se mitti jussit, mandavitque *Justo Fontanino*, ut libro publico suam diceret sententiam. Idem Papa Generalem *Augustinianorum*, *Bellelium* nostrum, Ticinum ablegavit ad agendam hanc causam peragendamque. Quo facto juridice fuit hæc causa pertractata. Nec vero quieverunt Canonici Lateranenses, sed supra memoratos *Bellini* & *Callini* libellos tradiderunt judicibus, eos ut prius, quam dicerent sententiam, considerarent. Vicissim & *Augustiniani* pro sua opinione novos duos publicarunt libellos. Tandem post non modicam moram Episcopus Ticinensis,

ſis, *Franciſcus Pertuſati*, pronuntiavit ſententiam, qua ſtatuit, omnino hoc eſſe verum *S. Auguſtini* ſepulchrum: eamque ſententiam ſuo ſuffragio munivit & confirmavit Papa. Ex eo tempore lamina auro obducta præfixa eſt huic monumento, inciſa gerens hæc verba:

CORPVS SANCTI AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
ANNO MDCXCV. DIE I. OCTOBRIS
IN HAC CAPSVLA ARGENTEA
IVXTA ALTARE CONFESSIONIS S. PETRI IN C. A.
INVENTVM
A. MDCCXXVIII. RECOGNOVIT, ET D. XVI. IVLII
IVRIDICE DECLARAVIT
BENEDICTO XIII. PONT. MAX. CAROLO VI. IMP.
D. FRANCISCVS PERTVSATI, EPISCOPVS
TICINENSIS.

Venimus nunc ad Opus noſtrum, quo continentur acta hujus cauſæ, non quidem omnia, ſed tamen potiora, & quæ vel curioſiſſimo lectori videantur ſufficere. En eorum catalogum. In *prima Parte p. 1 ſqq.* eſt *Lettera di ragguaglio ſcritta dal P. Segretario dell' Ordine a Monſignor Veſcovo di Foligno*; *p. 32 Literæ Papæ Benedicti XIII, quibus controverſia hac judicio Epiſcopali dirimi jubetur*; *p. 33 ſqq. Comparitio facta a Procuratoribus Ordinis Auguſtiniani, exhibens primo Summarium viſitationum, ſcripturarum, aliorumque documentorum, productorum pro S. Auguſtini corporis veritate*; deinde *Summarium rationum olim deductarum pro eadem cauſa a R. P. Mich. de Collibus*; denique *Sommario, ovvero Compendio di tutte le ragioni addotte, purgate &c. dello ſteſſo Autore*; *p. 161 ſqq. Vota clariſſimorum & inſignium Theologorum in cauſa identitatis ſacrorum oſſium Auguſtini*; *p. 259 ſqq. Votum Julii Lucenti, Abbatis Ciſtercienſis, pro veritate eorundem oſſium*; *p. 269 ſqq. Juſti Fontanini, Archiepiſcopi Ancyrani, Diſquiſitio de corpore S. Auguſtini*; (quod quidem Opus nos haud indiligenter recenſuimus *A. 1730 M. Febr. p. 91 ſqq.*) *p. 360 ſqq. Scriptura facti & juris Joſephi de Gregoriis, Ordinis Eremit. S. Auguſtini*,

gustini, prædictæ causæ procuratoris; p. 437 sqq. *Alcune considerazioni sopra la stessa causa, fatte dal Reverendissimo Padre Maestro Fr. Fulgenzo Bellelli, Generale di tutto l'Ordine di S. Agostino*; p. 459 sqq. *Altre poche considerazioni del medesimo interno allo stesso suggetto.* *Secunda* in *Parte* exhibentur p. 3 sqq. *De sacris Augustini reliquiis A. 1695 Papiæ inventis posteriores atque diligentissime A. 1728 d. 25 & 26 Junii collectæ recognitiones*; p. 15 sqq. *Josephi Antonii Saxii, Bibliothecæ Ambrosianæ præfecti, Epistola apologetica, in qua scriptura Cremonensis, edita sub nomine D. Marii Callini, Canonici Lateranensis, contra corporis S. Augustini identitatem, expenditur & refutatur*; p. 46 sqq. *Vota clarissimorum virorum pro eadem causa de anno 1728*; p. 193 sqq. *Episcopi Ticinensis, Francisci Pertusati, Judicium sive Definitiva sententia*; p. 197 *Benedicti XIII P. M. literæ Apostolicæ, quibus Episcopi Ticinensis judicium commendat, & sanctis reliquiis custodiendis vigilantissime providet*; p. 198 sqq. *Ejusdem Papæ Constitutio Apostolica, qua judicium Episcopale Ticini habitum de corpore S. Augustini approbatur & confirmatur.* Sequitur *Appendix* eorum, quæ pro adversa sententia fuere prolata. Ac laude dignissimus ob hoc factum est Reverendissimus Editor, non probans consilia eorum, qui scripta dissentientium supprimentes, tum demum valituram putant suam sententiam, sed alteram quoque partem audiri oportere judicans. Hic igitur p. 208 sqq. extant *Josephi Mariæ Bellini*, Canonici Lateranensis & S. Theologiæ Lectoris, *Dubia, quibus rationes pro tumulo & reliquiis nuper repertis ventilantur*; & p. 237 sqq. *Marii Callini Motivi, che sforzano a dubitare, se le Reliquie scoperte nella Confessione di S. Pietro siano identiche con l'ossa del Padre S. Agostino*; denique p. 307 sqq. *Annotationes super iis, quæ hucusque allata sunt pro identitate sacrorum ossium repertorum in Confessorio S. Petri in Cælo aureo Papiæ de anno 1695, cum veris reliquiis S. Augustini.* Hujus ultimi libri, tria duntaxat folia implentis, postrema libet recitare verba: *Observandum tandem, adeo manifestam esse inter prætensæ identitatis defensores diversitatem & contrarietatem, eosque*

diversa via & inter se diffidentes incedere, alio alterius scripta impugnante, tam respectu translationum, quam respectu documentorum ab eisdem allatorum, ut exinde satis manifeste dignosci possit, praetensam identitatem nimium esse a veritate alienam: cum veritatis proprius character sit uniformitas & constantia. Nobis quidem, cum videremus, autoritatem suam etiam huic vulgi fabulæ accommodasse *Fontaninum* & *Saxium*, viros haud sane vulgari ingenio, in mentem venisse non diffitemur illud *Tullii Lib.II de Fin. bon. Cap. 24: Ea dicitis, quæ non sentitis, utque vestitum, sic sententiam habetis aliam domesticam, aliam forensem.*

GUSTAVI GEORGII ZELTNERI, D. P. P. & P. Historia Crypto-Socinismi, Altorfinæ quondam Academiæ infesti, arcana. Accesserunt præter alia VALENTINI SMALCII Diarium vitæ ex avtographo, & MARTINI RUARI Epistolarum Centuriæ duæ, Notis illustratæ.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii filium, 1729, 4.
Alph. 11 pl. 1.

MEmoratu haud indignam Historiæ Ecclesiasticæ recentioris partem describendam sibi sumsit Summe Reverendus Autor, & eam quidem, cui eruendæ enarrandæque vix quisquam præter ipsum videtur fuisse idoneus. Nondum quidem constituerat publicæ hoc Opus exponere luci, sed Cl. *D. Gebauerus* noster, JCtus egregius, bibliopolæ, cujus in manus id forte quadam delatum erat, persuasit, ut prelo id subjiceret, ac simul Præfationem præmisit, in qua & Autori ipsi & lectoribus excusat hoc factum idoneis argumentis, quæ nobis hoc loco repetenda esse non putamus. Constat Opus hoc summa & industria & diligentia contextum *quatuor Capitibus*, quorum *primo* factionis Crypto-Socinianæ in Academia Altorfina ortus & progressus, vitaque, potissimum Academica, duorum Noribergensium, quorum præcipuæ partes fuerunt in ista scena, quique diutissime omnium errori suo inhæserunt, *Joannis Vogelii*

lii & *Joachimi Peuschelii*, describitur. Initio scilicet superioris seculi error *Socini* in hanc Academiam irrepserat magistro *Ernesto Sonero*, Medicinæ & Physices Professore, Aristotelico eximio, cujus vita hic (§. *XI sqq.*) exponitur copiose, e qua cognoscimus, eum Lugduni Batavorum imbibisse errorem Socinianum. Sunt, qui putant, eum ex consuetudine vel cum *Arminio* vel cum *Conrado Vorstio* factum esse Socinianum. Sed hos Noster perspicue refellit, docetque, Doctores ei fuisse *Andream Voidovium* & *Christopherum Ostorodum*, sectatores *Socini*, tum Lugduni commoratos, & A. 1599 ob id ipsum decreto publico ejectos e toto Belgio. Factus postea *Sonerus* Professor Altorfinus clandestinum aluit literarum commercium cum *fratribus Polonis*, quos vocabant: qui magnam Polonorum nobilium juvenum turbam Altorfium mittebant, unaque cum iis ephoros, Socinismi veneno infectos, itemque libros pestilentissimorum errorum plenos. Ipse *Sonerus* in scholis Logicis & Metaphysicis paulatim effundebat prava dogmata, quorum nec nihil insertum est cum *Commentario* ipsius *in Aristotelis Metaphysicam*, (ex qua Noster aliquot malas herbas exhibet decerptas,) tum ejus in *Organon Aristotelis Commentario*, quem nondum editum Noster possidet. Cum vero sint, qui dubitent de *Soneri* Socinismo, injuriamque ei fieri existiment, (quos inter *Fabricius* Abbas est in *Historia Bibliotheca sua*,) Noster tribus argumentis suam fulcit sententiam. Docet enim primo, eum haud dubie relatum fuisse a Socinianis Polonis in suorum *fratrum* album. Deinde ex quadam *Martini Ruari* epistola manifestum facit, ipsum a *Sonero* traductum fuisse in castra Socinianorum, idque arte vaferrima. Denique commemorat Socinianos ipsius libellos. Et ipse quidem possidet MS. *Soneri Catechismum*, cujus hic recenset capita, simul existimans, librum hunc *Sonerianum* fuisse basin quasi ac fundamentum *Catechismi Racoviensis*. Hinc mentionem facit libri illius *Soneri*, in quo demonstratum ivit, *æterna impiorum supplicia divinæ adversari justitiæ*, sperarique jubet, se hunc libellum, vix tres vel quatuor implentem plagulas, editurum esse una cum sua refutatione. Addit mentionem

nem *Dialogi Soneriani MS.* in quo contenditur, *regenitos eo perfectionis eniti posse, ut omnino non peccent.* Mortuus est *Sonerus* nondum quadragenarius anni 1612 die 28 Septembris, divino, ut Noster *p.51* judicat, beneficio, ne scilicet longius id malum autoritate tam versuti Philosophi serperet. Equidem *Georgius Richterus* Oratione, A. 1613 habita, labem hanc *Sonero* abstergere studuit, sed e literis *Piccarti* ad *Kirchmannum* Noster evincit, omnino *Sonerum* fuisse Socinianissimum, simulque ostendit, in *Schopperi* Epistola quadam, quam *p. 57 sq.* totam recitat, non inesse justum *Soneri* patrocinium. Interjecta §. *XXI* digressione contra *Lucam Osiandrum*, vocantem Altorfinam Academiam *scholam Calvinianam*, ostensaque hujus sive erroris sive calumniæ origine, non tamen abnuit, *Peuschelium* & *Vogelium* probasse *Calvinianam* de S. Cœna sententiam, & libros *Calvinianorum* lectitasse. Hinc §. *XXIV* procedit ad Socinismi in hac Academia post *Sonerum* propagatores duos, *Mich. Gittichium*, vulgo dictum *Venetianum*, & *Mart. Ruarum.* Ille, inter præcocia connumerandus ingenia, præceptores jam puer nactus Socinianos, A. 1607 Altorfium venit cum nobili quodam Polono, suæ fidei commisso, ibique studiose quæsivit, quos in castra Socini pertraheret: imo & Academiam Ingolstadiensem aliquando ingressus est ad augendum Socinianorum numerum. Postea ex Academia Altorfina ejectus, in Poloniam rediit, ac ibi factus est doctor sectæ Socinianæ. Hic (*Ruarus*) A. 1611 annum agens vicesimum secundum venit Altorfium, positis ante in Academia Rostochiensi studiorum tirociniis. Altorfii *Sonerus* Professor eum, adhibito non mediocri studio, fecit Socinianum, ut supra diximus: qui rursus impiis suis opinionibus imbuit *Vogelium* & *Peuschelium*, sodales suos, qui argumenta sua Antitrinitaria publicis in Disputationibus objiciebant Præsidibus Theologis, maxime *Jac. Schoppero*, quem tanquam victores ludibrio habebant. Utque tela ipsis essent in promtu, libellum confecerant, (cujus aliquod fragmentum exhibet Noster *p. 96 sq.*) plenum nominibus & particulis in N. T. vario sensu usurpatis, eumque circumferebant secum, & inter disputandum inde de-

depromebant, quæ ſibi viderentur idonea ad infirmandas Theologorum ratiocinationes. Ceterum fuit *Ruarus* (§. *XXVIII*) doctrina præpollens & ingenio, Poeta eximius, Orator ſingularis, Philoſophiæ peritiſſimus, linguas Orientis (ut Gallicam & Italicam omittamus,) non mediocriter doctus, hæreſeos vero ſuæ diſſimulator callidiſſimus: quod poſtremum Noſter probat *p. 108 ſqq.* ex Epiſtola ejus ad *Piccartum* perſcripta. Ejectum eum fuiſſe ex Academia Altorfina, ſunt, qui credant: quos & nos in his *Actis A. 1683 p. 21* ſecuti ſumus; ſed Noſter docet, eum honorifice fuiſſe dimiſſum accepto præclaro Ordinis Philoſophici, quod *p. 119* exhibetur, teſtimonio, ſcripto d. 14 Aug. A. 1614. Is poſtquam diſceſſiſſet Altorfio, petiturus cum alumno ſuo Argentoratum, prius Racoviam clam profectus eſt, Sarmaticam Socinismi ſedem primariam, ibique ſectæ iſti totum ſe addixit, ſecumque ad Germanos erroris ſocios adduxit impios Socinianorum libros, poſteaque alios iis miſit una cum literis, quibus potiſſimum *Vogelium Peuſcheliumque* reddere in capitali errore confirmatiores annifus eſt. Idem fecere *Crellius, Gittichius*, & *Oſtorodus.* Et *Oſtorodi* quidem longa hic *p. 130 ſqq.* profertur Epiſtola, in qua ſuadet Socini aſſeclis Altorfinis etiam atque etiam, ut abſtineant ab uſu S. Cœnæ cum Lutheranis, & ipſi agant conventicula, ibique cum ſolis piis S. Cœna utantur. Ac geſſerunt ii morem iſti conſilio præſide *collegiorum pietatis*, quæ vocabant, *Ruaro*, &, cum is abeſſet, *Peuſchelio:* ac factum eſt A. 1614, ut *Ruarus* clam S. Cœnam haberet cum aliquot ſuæ hæreſeos ſociis. Hactenus *Caput primum. Secundo Capite* exhibetur ex Cl. *Molleri Homonymoſcopia* Index nominum crypticorum, quibus uſi p. 151. ſunt Sociniani Altorfini, illuſtraturque Commentario, in quo & ſontes ab inſontibus diſcernuntur. Inter ſodales igitur Crypto-Socinianos hic reperies *Jo. Copium*, Hilperhuſanum, reverſum poſthac ad ſacra Evangelica, factumque Altorfii Philoſophiæ & Jurisprudentiæ Profeſſorem; *Joan. Crellium*, de quo pluribus agitur; *Nicolaum Dumlerum*, Noribergenſem, qui unus horum hominum in rectam viam ſe revocari paſſus non eſt; *Jo. Georg. Fabricium*, Noribergenſem, factum poſtea Do-

ctorem

ctorem Medicinæ, & in patria A. 1688 defunctum; *Jo. Gerh. Frauenburgerum*, factum dehinc Altorfii Professorem Juris; *Mich. Gittichium*, de quo supra jam facta mentio; *Paulum Groe*, Noribergensem; *Sebast. Hainlinum*, Noribergæ A. 1663 mortuum ordinis Medici Seniorem; *Ge. Lud. Leuchsnerum; Nic. Leimerum; Corn. Marci*, postea factum Prof. Altorfinum, ac deinceps Noribergæ Antistitem; *Bernh. Planerum*, postea Consiliarium Principis Wurtenbergici; *Matthiam Rhaw; Georg. Richterum*, cujus *Epistolæ* exstant, Consiliarium posthac Reip. Noribergicæ; *Mart. & Joach. Ruaros; & Georg. Seidelium*: ut omittamus *Peuschelium* atque *Vogelium*. Hac occasione & cognitu digna leges de *Petro Bertio*, *Ge. Enjedino*, *Wolfg. Franzio & Alb. Grauero*, nobili pari Theologorum Anti-Socinianorum, de *Hug. Grotio*, *Erasmo Joannis*, *Ge. Koenigio*, Altorfino Theologo, de *Sibbrando Lubberto*, *Lud. Lucio*, *Jac. Martini*, *Hier. Moscorovio*, *Christoph. Osterodo*, *Mich. Piccarto*, *Herm. Ravenspergero*, *Val. Smalcio*, *Mart. Smiglecio*, *Jo. Schrœdero*, *Jo. Volkelio*, *Conr. Vorstio*.

p. 383. Sequitur *Cap. III Sect. I* detectio hujus Crypto-Socinismi, comprehensorumque sociorum asservatio. Scilicet isti homines ad venenum suum latius dispergendum in varias Germaniæ Academias A. 1614 digrediebantur. *Peuschelius* Jenam demigrabat, *Vogelius* Wittebergam, alii Helmstadium, Argentoratum, Rostochium. Hoc ipsorum consilium & ipsa hæresis adeo fallebat Professores Altorfinos, ut plerisque discedentibus comites darent literas publicas, testes futuras ipsorum eruditionis probitatisque. Exstat hic *p. 385 sq.* elogium perhonorificum *Vogelio* abituro impertitum A. 1614 a Collegio Philosophorum. Qui cum Jenam delatus esset, publica in Disputatione tam acriter urgebat objectiones Socinianas, ut & gloriaretur, se Præsidem tum *Grauerum* redegisse ad incitas. Ac fortasse hoc monitore A. 1615 revelari cœpta sunt hæc impietatis mysteria. Senatus proinde Noribergensis per literas *Peuschelium* jussit ad capita quædam religionis candide respondere. Ac reddidit hic responsionem, sed prorsus Socinianam, hic *p. 406 sqq.* insertam. Eodem anno cum Curatores Academiæ suspe-

suspectos Studiosos examinarent Altorfii, dissimulantibus ceteris errorem suum, *Dumlerus* fassus est, se Trinitatem credere non posse: imo & literis consignata contra dogma illud argumenta sua exhibuit, ac paulo post in Poloniam aufugit. Tum & a *Vogelio* petiit Senatus per literas, suæ ut fidei confessionem ad se mitteret: id quod is fecit. Utræque literæ hoc loco exstant *p. 441 sqq.* Hinc rogatu Senatus Noribergici Theologi Wittebergenses colloquium habuerunt cum *Vogelio;* quorum cum opera careret optato successu, Senatus ille Syndicum suum & Jenam & Wittebergam ablegavit, qui efficeret, ut uterque captivus asservaretur. Qui idem Syndicus non ita multo post secum eos deduxit Noribergam catenatos, ubi una cum *Cornelio Marci,* Altorfio evocato, vivendum ipsis fuit in carcere. Susceptum exinde eorum examen autoritate Senatus, idque sæpius repetitum, accurate Noster describit, proferens item responsum a JCtis datum, quod, appendice excepta, admodum mite est. Primum igitur jussu publico in foro Altorfino libri Sociniani penes ipsos reperti sunt concremati. Tum *Dumlerus,* qui aufugerat, cum infamia relegatus est, simulque Poloni Sociniani juvenes Academia excedere jussi. Scripsit quoque Senatus Noribergensis ad Argentoratensem de *Ruaro,* qui vero, habito cum Theologis colloquio, confestim se proripuit. Interea Noribergæ majorem in modum elaboratum est, ut captivi ad saniorem reducerentur mentem. Ac *Marcius* quidem brevi victas dedit manus. Plus exhauriendum fuit laboris in sanando *Vogelio Peuschelio*que: quæ acta *Sect. II* plene & exacte recensentur, exhibitis utriusque objectionibus, ac Theologorum, maxime *Schrœderi,* solidis ad eas responsionibus, quæ tandem effecerunt, ut uterque rectam rediret in viam. *Cap. IV* enarratur sanatorum receptio in Ecclesiam & publica hæreseos recantatio. Adjiciuntur fata utriusque. *Vogelius* nimirum A. 1621 constitutus est Rector scholæ patriæ Ægidianæ, post A. 1633 Rector Gymnasii Sebaldini, nepotesque reliquit duos illustres *Gundlingios* & *Zeitnerum* nostrum, multa item carmina Germanica, dignus, qui numeretur inter principes poetas Germaniæ. Mortuus est A.

p. 546.

771.

 1663.

1663. *Peuschelius* primum factus est Pastor ecclesiæ paganæ in agro Noribergensi, hinc Diaconus ecclesiæ S. Jacobi in ipsa urbe Noriberga, exstinctus A. 1632 vix quadraginta natus annos. Cum igitur uterque serio desciverit ab errore, eo clarius cognoscitur justitia defensionis, qua S. R. Autor *Lib. III* §. *28* & alibi prosequitur acta Senatus Noribergensis erga utrumque, docens, eum non adhibuisse vim injustam, sed Christianam & mansuetudinem & prudentiam.

Finita nunc historia, sistuntur *p. 817–1218 Supplementa & Documenta* enarratæ historiæ illustrationi inservientia, eaque annotationibus instructa cum historicis, tum theologicis, ut instar *Breviarii controversiarum cum Socinianis* esse possint.
p.819. Exhibetur igitur hic 1 brevis *Ern. Soneri* Epistola, præter quam nulla S. R. Autori nostro reperta est. Ex illa tamen satis ap-
820. paret *Soneri* mens prava de religione. 2 Sex Capita ex *Catechismo* Germanice scripto *Soneri*. Est in manu Nostri Catechismus hic totus: sed cum nimium impleturus esset spatium, maxime si breves adjectæ fuissent refutationes, potiora illa capita publicis mandavit literis, subjecitque dilutiones argutia-
857. rum Socinianarum necessarias. 3 *Andr. Dinneri*, JCti Altorfini, *Fama Altorphina*, in quo libello is famam Academiæ contra multorum obtrectationes, quibus occasionem præbuerat Socinismus, vindicat. Huic quoque libellulo Noster subjecit annotationes, partim ut illustraret eum, partim ut ostenderet, *Dinnerum* mollius quædam dixisse, emendanda supplendaque
878. ex superiori *Historia*. 4 *Articuli homologetici*, discrimina complexi Theologiæ Evangelicæ & Socinianæ, illo tempore scripti, ut a Socinianis erroribus sibi caverent lectores. 5
889. Duæ Orationes *Vogelii* & *Peuschelii*, suum errorem publice recantantium, A. 1617 habitæ: quarum altera propugnatur pro vera & æterna Christi divinitate, altera pro Christi satisfactio-
933. ne. 6 Carmen *Piccarti*, percelebris Philosophi Altorfini, confessionem divinæ veritatis contra Socinianos eleganter repræ-
938. sentans. 7 *Val. Smalcii*, cœtus Racoviensis Ministri, A. 1617 edita *Refutatio* Orationum *Vogelii* & *Peuschelii* : cui suas re-
998. futationes subjiciendas duxit Autor noster. 8 *Peuschelii Confessio*

fessio

fessio fidei, Jena A. 1615 missa Noribergam. Subjunctæ sunt & veteres *Schræderi* & novæ *Zeltneri* confutationes. 9 *Vogelii* p. 1071. eodem tempore Witteberga ad Senatum Noribergensem missa *Professio fidei*, quam & ipsam *Zeltnerus* noster appositis annotationibus diluit. 10 *Jo. Fabricii* & *Jo. Schræderi*, Theologorum Ecclesiæ Norib. *Relatio* de suo cum *Nic. Dumlero* colloquio, & 11 hujus *Dumleri Confessio fidei* Sociniana, qua edita 1119. aufugit. Utrobique annotationes simul legi oportet *Zeltnerianas*. 12 *Valentini Smalcii Diarium*, ex avtographo editum, quod Nostro misit *Th. Crenius*, V. C. Describit hic homo iste Socinianus vitæ suæ decursum usque ad annum 1622, quo vita excessit d. 8 Decembris. Nec hoc opusculum caret historicis Nostri annotatiunculis. Accedunt *p. 1219—1244* nonneminis, qui sub literis *A. S.* latet, (*Autor Supplementorum* significari nonnullis fortasse videbitur,) *Analecta*, in quibus nonnihil Historiæ *Zeltnerianæ* illustratur, interjectis quoque aliquot ejusdem emendationibus.

1112.

1158.

Finem imponit toti Operi ingens appendix, *Martini Ruari Epistolarum Centuriæ duæ*, ob raritatem primæ editionis annexæ. His quoque Epistolis, quarum prior Centuria A. 1677, posterior A. 1681 Amstelodami in octavo (uti loquuntur typographorum filii,) prodiit, comites datæ sunt Notæ S. R. *Zeltneri*, historiam partim literariam illustrantes, partim Socinianas *Ruari* aliorumque ratiunculas enervantes. Ceterum, argumenta illarum Epistolarum quo minus persequamur, cum spatii angustia obstet, etiam meminimus, in his *Actis* jam *A. 1683 M. Januar. p. 20 sqq.* recensionem posterioris Centuriæ, quæ hodie rarior est priore, exhibitam esse, eamque quam diligentissime confectam. E priori Centuria unum nobis contemplari liceat locum, quo (*p. 315*) *Acignii*, itemque *Ariovisti & Arminii nepotes*, commemorantur. Hæsitat Celeb. Editor ad hæc nomina, quia non est recordatus, *Barclajum*, haud dubie lectum *Ruaro*, in *Satyrico* suo *Jesuitas* appellitare *Acignios*, id est, κατ' ἀνάγραμμα *Ignatios*, Ignatii quippe Lojolæ filios. Jam & liquet, *Ariovisti & Arminii nepotes Ruaro* dici Principes Germaniæ, a Jesuitis eo tempore multum exagitatos, cœpto quippe jam bello

lo illo tricennali. Cum ibidem *p. 383* mentio fit *Polari*, manifestum nobis esse videtur, eum non esse diversum a *Lubino*, cujus præcessit mentio. Quodsi igitur dives fuit *Lubinus*, non improbabile est, eum a *Ruaro* hic dictum πολύηρον, hoc est, *agri divitem*. Pervelimus tamen, vel magis confirmari a quoquam hanc nostram conjecturam, vel, exhibita alia certissimæ veritatis sententia, rejici. Ceterum *Zeltneriana* hujus editionis etiam *Indicem* sine laude præterire non possumus. Certe, qui vel *Martini Ruari* nomen ibi quæsiverit, inveniet per partes descriptam vitam hominis universam. Sed ut pauca quædam addamus de *Ruari Epistolis*, omisit *Zeltnerus* noster jure meritoque Centuriæ secundæ Epistolam ultimam, primæ quippe jam Centuriæ insertam loco sexagesimo quinto; proque ea ex *Epistolis Remonstrantium* collocavit huc *Ruari* ad *Steph. Curcellæum* Epistolam, novissima ipsius fata continentem, & fortasse omnium a *Ruaro* scriptarum postremam: præter quam & inseruit *p. 195 sq.* Epistolam quandam *Ruari* e *Calovii Operibus Anti-Socinianis*. Illud quoque observatum nobis est, non omnia hic loca esse emendata, quæ emendari jusserant *Indices erratorum* priori editioni subjecti. Rescribendum igitur erat p. 222 lin. 23 *XLIV* pro *LXIV*; p. 444 l. 7 *famam meam* pro *famæ meæ*; p. 502 l. 6 *exules illos* pro *epulas illas*; p. 540 l. 16 *quantus is est* pro *quantus si est*. Valde etiam suspicamur, scribi oportuisse p. 234 l. 24 *in se* pro *ipse*; p. 67 l. 9 *quidam* pro *quidem*; p. 68 l. 3 *angar* pro *agar*; p. 74 l. 3 *Gratias* pro *gratias*; p. 83 l. 22 *dixeris* pro *dicetis*; p. 263 l. 9 *extenta curæ*; p. 276 l. 28 *quod* pro *quid*; p. 284 l. 30 *verbulum* pro *verborum*; p. 285 l. 23 *compacti* pro *impacti*; p. 380 l. 11 *feculi* pro *secuti*, & l. 21 *aliquod* pro *aliquot*; p. 384 l. 21 *descripserunt*, & l. 23 *habeat*; p. 392 l. 19 *inficiareris*; p. 395 l. 21 *gravissimas*. Etiam p. 93 l. 25 pro *audire* ex priori editione rescribendum *audere*; p. 190 l. ult. *confidentia* pro *considentia*; p. 382 l. 20 *vitam hanc* pro *hanc*; p. 505 l. 18 *dolorem* pro *delerem*. Verum perparvi hæc sunt momenti. Nobis id ultimo loco monendum superest, hoc in Opere multa inesse, historiam literariam Noribergensem, & potissi-

potissimum Altorfinam, illustrantia, praetereaque ex eo suppleri & locupletari compluribus locis posse *Sandii Bibliothecam Antitrinitariorum.*

MICHAELIS ETTMULLERI, PHILOSOPHIÆ & Medicinæ Doctoris, in illustri Lipsiensi Academia Professoris ac Practici, dum viveret, longe felicissimi ac celeberrimi, Opera omnia in V. Tomos distributa; Editio novissima, Lugdunensi locupletior, Francofurtensi auctior, Veneta emendatior, omnium completissima & emaculatissima; textus SCHROEDERI, MORELLI, & LUDOVICI integer adjectus; accesserunt Notæ, Consilia, Dissertationes NICOLAI CYRILLI, in Regia Universitate Neapolitana Primarii Medicinæ Practicæ Professoris, & Regiæ Societatis Londinensis Socii.

Tomi V.

Neapoli, ex offic. Typogr. Novelli de Bonis, 1728, fol. Alph. 38 pl. 5 & Tab. æn. 1.

NOvum aliquod & illustre prorsus famæ suæ augmentum accessisse lætatur Lipsia nostra, quando auspicatissimum illum ingenii fœtum, quem felici conatu Vir immortalis memoriæ, *Michael Ernestus Ettmullerus*, Ἰατρὸς Φιλόσοφος Ἰσόθεος, Lipsiensis, manus etiam obstetricantes post ejus fata admovente filio dignissimo, *Michaele Ernesto Ettmullero*, in lucem extulerat, in Italiam denuo transiisse deprehendit. Lætatur sane, &, qui hospitio exceptum, magnis muneribus auctum & locupletatum ad nos transmittere dignatus est, fulgido Medicorum apud Neapolitanos lumini, *Nicolao Cyrillo*, meritas rependit grates, nec nostro nec posterorum ævo intermorituras. Qualia & quanta Viri hujus doctissimi in *Ettmulleri* Operum Thesauros existant merita, & quam magnificam nobis novæ illæ Commentationum accessiones spem

facere possint, totius Operis Titulus, qui vastissimi laboris compendiariam imaginem exhibet, abunde demonstrat. Magno animo, majori fiducia, nec felici minus successu hoc negotium agendum suscepit Cl. *Cyrillus*, cujus industriam quando eruditis prædicandam suscipimus, duplex maxime in nos devolvi sentimus officium; alterum, ipsius hujus novæ editionis rationem exponendi; alterum, quanto beneficio ipsa *Ettmulleriana* Opera exinde obstricta sese sentiant, declarandi. Arbitraria aliqua methodo, eaque satis eleganti, Tractatuum in his Operibus ordines dispositos esse deprehendimus, quos, ut novus ille labor cum superioribus editionibus, non minus fortasse elimatis, conferri possit, hic apponimus. *Tomo I* continentur: Discursus Physicus de Principiis Corporum naturalium; Institutionum Medicarum Synopsis; Institutiones Medicæ; Collegium Therapevticum; Collegium Chymicum & Pyrotechnia rationalis; Tentamina Chymica, naturali experientia comprobata; Dissertationes Academicæ, disputationis loco publice propositæ; Dissertationes Academicæ, a Respondentibus elaboratæ, & disputationis loco sub Præsidio Domini *Ettmulleri* publice propositæ; Exercitationes Academicæ. *Tom. II* continentur: Praxeos medicæ prolegomena; Praxeos medicæ Lib. I, de morbis functiones vitales seu naturales lædentibus; Praxeos medicæ Lib. II, de morbis functiones animales lædentibus; *Tom. III* Praxeos medicæ Lib. III, de morbis sexui virili propriis; Lib. IV, de morbis mulierum; Lib. V, de morbis infantum; Lib. VI, Chirurgia medica; Collegium consultatorium practico casuale; Casus & Observationes; Collegium Formulare. *Tom.* IV Collegii Pharmacevtici Pars I, in *Schrœderum* de medicamentis simplicibus. *Tom. V* Collegii pharmacevtici Pars II, in *Schrœderum* & *Morellum* de medicamentis compositis. In *Ludovici* pharmaciam, moderno seculo applicatam. Sic elimatus, si Diis placet, & magno ingenio perpolitus *Ettmullerus*, si quam in posterum habiturus est famam, *Cyrillo* suo relatam referet; mirum saltim, utrum ex Italia auctior illustriorque expectari debeat *Ettmullerus*, quam superioribus jam annis a filio *Michaele Ernesto Ettmullero*, Philosophiæ & Medicinæ

dicinæ Doctore, Pathologiæ apud nos Professore, Collegii sui Seniore, & Academiæ Cæsareæ Leopoldinæ Directore, utpote omnium schedularum, multo magis eruditionis paternæ hærede, in lucem editus est, salvo etiam Lugdunensis & Venetæ editionum valore. Duobus equidem Tomis, quam unquam fuit, auctius evasit Opus, sed quod, si Commentationum infinitam seriem, si Textuum, quos peregrinos ab hoc Opere agnoscimus, farraginem, *Schrœderi* scilicet, *Morelli*, *Ludovici*, *Wedelii*, demas, ad pristinam rediturum est angustiam. Equidem multa amputasse dicitur filius in Editione Francofurtana; verum enim vero luxuriem abstulisse, non mutilasse eundem, fatebuntur, qui æqui rerum æstimatores sunt. Utinam vero Celeberrimus *Cyrillus*, cum cumulum addere conaretur, non omisisset Institutiones medicas, per Theses in Editione Lugdunensi Tom. I post. p. 106 dispositas, quas magni, qui methodo student, æstimant; sed ne in immensum excresceret Opus, jam Notis, castigationibus, animadversionibus gravidum, contrahenda erant aliqua in parte vela, quæ alibi liberius fluctuaverant. Interim immortales apud nos & universam rempublicam literariam grates mereri *Cyrillus* non desinit, quas ipsi publico nomine decernimus, non adeo iniqui veritatum censores, ut locupletes eruditionis omnigenæ thesauros in ejus laboribus agnoscere nolimus. Omnium instar esse poterit luculenta omnique exceptione major rerum Botanicarum scientia, qua cum *Tournefortio* suo, cujus autoritas nec nobis dubia est, in Commentariis suis ad materiam medicam, omnes implevit paginas. Plantarum scilicet eousque curiosus observator extitit, ut nihil eorum omissum esse deprehendamus, quæ vel ad onomatologiam, vel ad methodum, pertinere aliquo jure possint. Inde Erucæ plantæ occasione apte monet, cum Eruca insecto confundendam hanc non esse, de qua scilicet vulgaris notæ differentia nec pharmacopœi apud nos ambigeret famulus. Quod methodum, qua plantæ definiuntur, attinet, cum *Tournefortiana* sit, quam post *Rivinianam* magni facimus, magnum commendationis pondus hoc ipso indipiscitur. Dubium saltim, quo jure plantaginem aquaticam, nec hoc quidem nomine

nomine dignam, Tripetalon Ranunculis pentapetalis accenſere, quo nomine differentiam Loti in flore quærendam conſtanter negare contra *Tournefortium* ipſum, audeat. Addiſcere hanc differentiam ex *Rivini* noſtri Ordine plantarum, quæ ſunt flore irregulari tetrapetalo, poterat, cujus aliquam apud Italos famam eſſe, exinde conſtat, quod tres ejus irregularium ordines *Virgilii Falugii* opera Florentiæ A. 1697, 12, metrice conſcripti prodierint, quod Opuſculum Proſopopœias Botanicas, ſeu Nomenclatorem Botanicum, Autor appellat. Sed hæc adeo magni momenti futura non ſunt, poteratque ſuas laudes mereri *Cyrillus*, dummodo manus ſuas parricidio quaſi aliquo non conſpurcaſſet, ipſo *Ettmullero*, cujus opera illuſtranda ſuſceperat, injurioſe hinc inde habito. Sic hoſpiti jugulum frangit, nec agnituræ ſunt *Ettmulleriani* manes hoc beneficii genus, quod obtrectationibus invidioſum redditur. Vindicanda nobis hoc ipſo noſtratis gloria eſt, ſalva ſcilicet nobis etiam tacentibus futura. Quis negaret, invidiæ rem eſſe, quando Filii, de meritis parentis ſui diſſerentis, Epiſtola, Francofurtanæ Editioni præmiſſa, mutila adducitur, quæ integra in prolixo jam Opere locum non deturpaſſet. Nec modeſte ſatis de egregia medicamentorum *Ettmulleri* copia ſentitur, quando ſic judicium formatur: *Peſſime cum ægris actum eſſet, ſi tot male conſarcinatorum medicamentorum copia tractarentur;* quo ipſo id, quod in laudem cedere debebat, in opprobrium, irrito tamen conatu, vertitur. Sic in Notis ad Caſum LXXV, de puero vomitorium fortius impune ferente, & feliciter curato, præpoſtere ſentit Commentator: *Anne commendaveris Medicum, qui exceſſivis vomitionibus puerum quinquennem ad orci fauces perduxit, etſi ille mortem non obierit.* Atqui non obiit! Nec feliciori ſucceſſu ſcomma aliquod exſuccum prorſus evomitur contra *Ettmullerum*, qui in Diſſertatione de malo Hypochondriaco dixerat, familiare hoc malum eſſe illis, qui inter chartas continuo abdomen comprimunt, quando in Notis ad hanc Diſſertationem infertur: *Caveant igitur literati, ne chartis abdomen comprimant.* Caveant ſane; quid monſtri hic alitur? Melioris notæ non ſunt, quæcunque hinc & illinc in

vaſto

vaſto Opere caſtigationes occurrunt, quas benevolus Lector ex æquo ponderabit, ne impii in mortuum, injurii in bene merentem culpam ferat. Dolendum omnino, doctiſſimum *Cyrillum* neſcio qua male dicendi voluptate ductum, cujus rei inter alia documentum ſunt injuria occaſione Sedi in Colleg. Pharmacevt. P. I verba: *In recenſendis Sedi ſpeciebus Ettmullerus confuſus, ut ſemper, eſt*, ut alia taceamus, laborum, quibus hoc Opere defunctus eſt, famæ maculam inuſſiſſe, pluribus fortaſſe ingenio tanti Viri dignis meditationibus, de quibus publico in anteceſſum gratulamur, eluendam.

DECAD. II ACTORUM MEDICORUM Berolinenſium, in incrementum Artis & Scientiarum collectorum & digeſtorum, Volumen IX & X.

Berolini, apud Godofredum Gedickium, 1729 & 1730, 8.

Plag. 12 ¼.

VOlumen IX exhibet in fronte effigiem & vitam *Bernardi Albini*, Med. D. & Archiatri quondam binorum Electorum Brandenburgenſium, nuper autem Profeſſoris Leydenſium, cui annexa eſt D. *Helvici Dieterici*, Archiatri Brandenburgici, vita, ſed ſine effigie. Circumſcriptum autem eſt IV Partibus, quarum I de incaſſum vindicata a D. *Stentzelio*, Wittebergenſis Facultatis Aſſeſſore, per Diſſertationem Epiſtolicam, Anthropologiæ ſuæ præfixam, Confuſione Steatomatis Aortæ cum Polypo cordis, in Diſſertatione de Steatomatibus in principio arteriæ aortæ repertis, ibidem anno 1723 habita, commiſſa, agitur. Scilicet ediderat D. *Johannes Daniel Goblius*, Autor Actorum Berolinenſium, A. 1710 idiomate germanico Relationem de Polypis cordis ſub ſchemate aſthmatis convulſivi ex neglectis hæmorrhoidibus, quam impugnaverat *Stentzelius*, ejus vero Apologiam in Allocutione Epiſtolica ad *Stentzelium* Dec. II Volum. V Actorum inſeri curaverat *Goblius*, uti in his Actis A. 1726 Menſ. Octobr. p. 480 monuimus, ad quam *Stentzelius* in Diſſertatione Epiſtolica, Anthropologiæ ſuæ, A. 1728 in lucem editæ, præfixa, reſpondit, cui vero præ-

ſens Schediaſma oppoſuit *Goblius*, in quo præter hanc controverſiam pag. 41 & 42, virginis, polypo cordis extinctæ, ſectionem communicat, p. 43 contra Anatomiam curioſam, circa minima occupatam, diſputat, p. 47 principia mechanica in ſecretionis negotio impugnat, p. 52 imperium animæ in corpus defendit, & p. 62 *Ruyſchium* glandulas conglomeratas ex glandularum tribu ejeciſſe indignatur. In *Parte II* inſolitus pedis ſiniſtri tumor ex eryſipelate, male tractato, deſcribitur & depingitur. In *III* ſuccincta hiſtoria morbi dyſenterici, A. 1726 æſtate Burgi prope Magdeburgum graſſantis, legitur. In *IV* diverſæ diverſorum annorum depoſitiones Medico-Legales, de Infanticidio culpoſo ex funiculo umbilicali non deligato; de aqua in ſubmerſorum ventriculis inventa; de morte fabri murarii ex diſpoſitione potius morboſa, quam plagis, proveniente; de partu ſeptimeſtri non vitali; de mente capta putatitia; de infantis morte ex convulſionibus; de fulmine tactis; de autochiro melancholico; de inſpectione a cæſa arbore oppreſſi; & de partus ſignis, recenſentur.

Volumen X exhibet iconem & vitam *Bartholomæi Zorn*, Med. D. Practici Berolinenſis feliciſſimi, & Botanici celeberrimi; & continet duas Partes, quarum I hiſtoria morborum, in & extra Berolinum per annum 1725 graſſantium, panditur, ac exemplis & obſervationibus confirmatur. Sic pag. 6, 11, 12 mentio fit macularum volaticarum ſimplicium & cum epilepſia complicatarum; p. 7 puellæ nephriticæ, ſanguinem effœtum mingentis; & calculorum in pulmonibus, folliculo fellis, renibus, & veſica urinaria ſenis, peripneumonia extincti, repertorum; p. 14 infantis, epilepſia ex ira matris mortui; p. 18 purpuræ rubræ cum rheumatiſmis combinatæ; p. 27 rheumatum externorum ad viſcera retrocedentium; p. 30 morborum ex Viadri inundationibus & exſiccationibus oriundorum; p. 33 enormis lochiorum profuſionis ex mola; p. 40 morbi ſpaſtici convulſivi peculiaris, vomitorio curati; p. 41 recens natorum purpuræ cum aphthis funeſtæ; p. 42 hemiplegiæ ex hyſterica vertigine attentatæ; p. 43 febrium ſcarlatinarum; & p. 45 phthiſis & hecticæ ex febre rheumatica per venæſectionem

nem præpostere tractatæ. Præterea p. 8 ad quæstionem, cur anima per accumulatam circa emunctoria materiam calculosam seni mortem arcessi passa fuerit? respondetur, quod aliud sit anima omnibus veræ moralitatis numeris absoluta, aliud anima affectuum surgentium fluctibus abrepta, quæ, tantum abest, ut coerceri possit, ut potius omnia sanæ moralitatis principia transscendens & eludens suæ proterviæ pœnam luere teneatur; p. 10 Gallorum mos febres per reiteratas venæsectiones curandi taxatur, utpote qui rationem febris non intelligant; p. 17 & 35, nec post iram mox venam secandam esse, probatur; p. 24 materiæ morbificæ depositio ad labia in febribus salutaris pronuntiatur; p. 30, philtrorum curam male per diaphoretica institui, docetur; p. 32 variolarum genius circa Viadrum delineatur; p. 38 in sternutatione vehementi præter diaphragmatis & thoracis motum, menyngibus cerebri originalis motus ad excutiendum stagnantem humorem in capite adscribitur; & p. 28 sectio Anatomica morbillis defuncti sistitur. De cetero p. 12 fabæ S. Ignatii efficacia ad epilepsiam, & emulsionis magnesiæ ad diarrhœam in variolis & morbillis; p. 13 ejusdem magnesiæ cum cascarilla ad diarrhœam torminosam puerperarum, & p. 46, Aquarum Selteranarum ad febrem hecticam, celebratur. *Pars II* brevem exhibet epicrisin in Conspectum mortuorum Berolinensium per annum 1725. Ex hoc autem patet, tabem pulmonalem virilem magis sexum invadere; catarrhum suffocativum infantibus magis frequentem esse; hydropem plures necare fœminas, quam viros; viros solennius in climactericis denasci, quam fœminas; has vero illis esse longæviores. Denique circa senum morbos monetur, eos mori, non quod ob structuram corporis solidi per diuturnum fluxum humorum ipsi motui mechanica necessitas imponatur cessandi, sed quod natura organum, seu subjectum, ob varias læsiones inhabile redditum, in quod & per quod operetur, ex arbitrio relinquat. Quoniam igitur cum hoc Tomo Decadi II horum Actorum finis impositus est; Index locupletissimus hic additus cernitur rerum, quæ in ea sunt tractatæ.

A DEMONSTRATION OF SOME OF THE principal Sections of Sir ISAAC NEWTON'S Principles of Natural Philosophy &c.

hoc eſt,

DEMONSTRATIO SECTIONUM PRÆcipuarum Principiorum Philoſophiæ naturalis ISAACI NEWTONI, in qua methodus ipſi peculiaris tractandi argumentum tam utile explicatur, & ad præcipua phænomena Syſtematis mundi applicatur; Autore JOANNE CLARKE, D. Theol. Decano Sarumenſi.

Londini, apud Jacobum & Joannem Knapton, 1730, 8 chart. aug. Plag. 21 Tabb. æn. 17.

DE Principiis Philoſophiæ naturalis mathematicis *Newtoni* toties diximus in his Actis (vide Act. A. 1688 p. 304 & ſeqq. A. 1714 p. 131 & ſeqq. & A. 1727 p. 73 & ſeqq.) ut eorum lectoribus ignotum eſſe non poſſit, quænam in Opere iſto prorſus eximio contineantur. Ita vero ſcribit *Newtonus*, ut Geometris peritis ſubinde negotium faceſſat, ſi vim conſecutionum percipere velint, quæ demonſtrationibus & illationibus ipſius ineſt. Quamobrem Cl. *Clarkius*, ut faciliorem pluribus ad lectionem Operis, in ſuo genere eminentis, pararet aditum, præcipuas propoſitiones ac corollaria ex Elementis Euclideis & ſectionum conicarum Principiis demonſtravit, quorum hæc ex Elementis ſectionum conicarum *Milneſii* citat, niſi quod ſubinde ad *Hoſpitalii* Opus ejusdem argumenti lectorem ableget. Præmiſſis nimirum definitionibus & motuum legibus, una cum corollariis, quæ inde infert *Newtonus*, explicat Sectionem primam libri primi de methodo rationum primarum & ultimarum, qua in demonſtrando utitur *Newtonus*, &, expenſis regulis philoſophandi, quas vocat idem *Newtonus*, ad Sectionem ſecundam ejusdem libri de viribus centripetis progreditur. Prætermiſſis Sectionibus quarta, quinta & ſexta, ad ſeptimam de corporum aſcenſu ac deſcenſu rectilineo accedit, & huic decimam

mam de motu corporum in superficiebus datis & de funependulorum motu reciproco subjungit. Expendit deinde ordine suo, quæ sequuntur, Sectionem undecimam de motu corporum sphæricorum, viribus centripetis se mutuo petentium, & tandem duodecimam libri primi, atque in his pedem figit. Ceterum propositiones numerat, quemadmodum in Opere *Newtoniano* numerantur, utut plurimæ omittantur. Ut vero usus earum in systematis mundi phænomenis explicandis appareat, conveniente loco ex libro tertio *Newtoni* interspergit ea, quæ ipsi ad hoc institutum commoda videntur.

SPECIMEN NOVUM JURIS NATURALIS de Æquitate in Probabilibus exemplo emtionis spei illustrata, notatis simul differentiis illius Juris a Jure civili communi; Autore M. JOHANNE ULRICO CRAMERO.

Marburgi Cattorum, typis Philippi Casimiri Mülleri, 1731, 4. Plag. 9.

Specimen hoc elegans Juris Naturalis *Menckenio* nostro dedicatum est, cujus multa in Remp. literariam merita publice veneratur Cl. Autor. Idem is est, qui nuperrime Philosophiam *Wolfianam* adversus iniquas censuras mascule non minus, quam erudite, defendit, &, quantum sit in ea versatus, abunde docuit. Proposuit sibi in præsente Dissertatione demonstrandum, dari in probabilibus æquitatem, ab iis observandam, qui justitiæ commutativæ litant. Ne autem doctrina abstracta offenderet lectorem, eandem exemplo speciali emtionis spei proponendam esse duxit. Definit emtionem spei per contractum consensualem de incerta quantitate rei in genere certæ, sed adhuc a nobis acquirendæ, pro certo pretio tradenda; veluti si quis jactum piscium emit a piscatore, aut indaginem plagis positis a venatore, vel pantheram ab aucupe. Ut igitur appareat, in quonam æquitas hic consistat, primo loco evincit contra vulgatam Doctorum sententiam, spem non emi, sed rem occupandam, veluti pisces a piscatore, quos se jactu

retis capturum ſperat, quia venditor ſe illam emtori traditurum promittat, & ſpem rem emtam obtinendi ex contractu demum habeat emtor etiam in emtione communi. Poſſe autem emtionem ſpei definiri per contractum conſenſualem ipſo jure naturali, inde probat, quoniam evidens eſt, in emtione ſpei naſci obligationem non aliunde, quam ex conſenſu, cum tamen dentur contractus, ubi ex re demum fluit, veluti in depoſito. Quemadmodum itaque vi notionis juſtitiæ commutativæ *Wolfiana*, quam in Jure Naturali ac Civili fœcundam prædicat Noſter, æquitas in æqualitate pretii ac mercis conſiſtit in emtione communi; ita eandem in emtione ſpei per id obtineri oſtendit vi ejusdem notionis, ut, quantum unus ſperat ex contractu, tantum etiam ſperet alter, &, quantum unus metuit, tantum metuat & alter. In id igitur inquirens, quomodo rei occupandæ quantitas determinari debeat, ut eadem prorſus ſit emtori atque venditori ſpes lucri, idem metus damni; via admodum plana & ratione perſpicua incidit in eandem regulam, quam *Hugenius* in Diſſertatione de ratiociniis in ludo aleæ ad æſtimandum expectationis valorem in iſto ludo dedit. Hinc porro demonſtrat æquitatem pretii, quando nihil accipit emtor, & quando maximum eidem obtingit lucrum, & ſimul docet, cur Doctores, modum determinandi veri pretii ex probabili quantitate rei capiendæ ignorantes, hallucinati fuerint in æquitate iſta adſtruenda. Notum eſt, Doctores Juris Civilis in emtione ſpei nullam admittere læſionem, propterea quod pretii quantitatem a ſolo arbitrio paciſcentium id habere exiſtimant, ut juſta dici poſſit. Enimvero cum Noſter evicerit, dari aliquod pretium, quod ſolum juſtum dici poſſit tempore ipſo contractus, quando dubius adhuc eſt eventus; per ſe patet, quod læſionem determinabilem admittere teneatur, adeoque etiam læſionem ultra dimidium tam ex parte venditoris, quam emtoris. Quoniam ſententia hæc non poteſt non paradoxa videri Juris Romani cultoribus, præjudicium eorum diluit, quod ex eventu demum læſio computari poſſit, ſi qua admitti debeat, differentiam judicii in probabilibus ac certis inculcans. Refellit quoque *Titii* paradoxam ſententiam, quod emtio ſpei ſub-

subinde fit pura donatio, qua pactum tacitum emtioni spei adjectum, quo emtor juste se obligat ad pretium solvendum etiam eo in casu, quo nihil captum fuerit, quia venditor vicissim se obligat ad tradendam mercem, cujus pretium est duplum ejus, quod solvit, si casus ita ceciderit, cum donatione confundit. Expendit deinde lites, quæ tum ex parte emtoris tum venditoris oriri possunt, &, quomodo singulæ dirimendæ, ostendit. Occurrit hic etiam casus mensæ aureæ, a piscatoribus Milesiis captæ, eumque diversa ratione solvi debere monstrat secundum principia Juris Naturalis & Romani atque mores nostros, refellens oraculi, eam sapientissimo adjudicantis, solutionem. Ultimo tandem loco describit actiones, quæ lege civili ex hoc contractu dari possint, ac colophonis loco principium aliquod æquitatis commune in emtione spei atque emtione communi stabilit.

JOANNI V EPIGRAMMATUM LIBRI quinque; Autore P. ANTONIO DOS REYS, Lusitano, Congregationis Oratorii Ulyssiponensis, Regio Historico-Latino Portugalliæ & Regiæ Academiæ Socio.

Tomus I.

Ulyssipone Occident. 1728, 4.
Alph. 2 pl. 5½.

Etsi paullo tardius ad nos perlati sint hi venustissimi ingenii foetus; indigni tamen visi sunt, qui sine laude ac commendatione nostra dimitterentur. Non magis quidem Lusitania, quam ceteri cultioris orbis populi, Poetis unquam caruit, nec defuerunt ei superiore seculo viri docti, qui, ad exemplum Italorum, Academias privatas, excolendæ Poeseos causa conderent, quorum etiam scripta in publicum prodierunt: nihilo minus tamen *Antonius* noster causam habere sibi videtur exteris succensendi, qui de frigidiusculo Lusitanorum in Poesin amore opinionem præconceperint. Quam æqua sit hæc querela in Præf.

rela, nunc quidem non disquirimus. Certe is suavissimis his Epigrammatiis ingenii acuti & elegantis gloriam genti suæ vindicavit, in quibus non solum Lusitanorum nemini secundus est, sed & cum recentioribus quibusvis, qui Epigrammatum libros, difficile opus, reliquerunt, comparari meretur. Nobis id inprimis arrisit, quod a turgido illo & luxuriante scribendi genere recessisse videamus, in quo plerique ejus populares carminis pulchritudinem quærere solent. Ingeniosi ubique sales & argutiæ stilo facili & florido expressæ. Juvat earundem aliquot specimina apponere. In *Regulum* ita canit:

p. 237. *Nocte super media citharam dum pulsat eburnam*
Regulus ingenuæ virginis ante fores,
Illa, pudoris amans, subito bipatente fenestra
Jecit in audacis plurima saxa caput.
Orphea quis renuat te, Regule, dicere verum,
Si, velut ille olim, tu quoque saxa trahis?

Uberiorem aurifodinarum proventum, cum simul Rex, more Lusitanis antea insolito, auream monetam sua imagine signari curaret, hoc Epigrammate celebrat:

183. *Ante cavernosis aurum latitabat in antris,*
Nec nisi vi tractum quibat abire foras.
Te regnante tamen, Rex inclyte, prodiga tellus
Vix quæsita libens fulva metalla vomit.
Cur? puto de terra discedere gestiit aurum,
Ut vidit vultum posse referre tuum.

Antonium Vieyra, concionatorem eximium, cujus exstant sermones sacri aliquot Voluminibus, ita laudat:

77. *Nil, Vieyra, moves populos, ni fallimur; immo*
In te defigi concio tota solet.

273. Libri V Epigr. LXXXIX paullo longius est, quo non injucunda novitate ultra CC vasorum & poculorum genera, tumulo Cinnæ potoris insculpenda, enumerat. Plura adscribere non licet. Utinam injuriosæ in Protestantes venæ paullo moderatius in-
3. III. dulsisset. In B. *Lutherum* nostrum passim invehitur. *Erasmum*
201. trita illa sed insipida nominis divisione *Eras mus* arrodit. Imo
219. *Calvi-*

Calvinum, quod stigmata *S. Francisco* a Deo per miraculum inusta esse negaret, jussu Regis Galliæ ferro candenti in tergo ait notatum esse. Fere nimium etiam vocabulis, eundem sonum, at diversam significationem habentibus, ludit. Continentur his V Libris Epigrammata D. In calce addidit Autor notas aliquot, ad illustranda Epigrammatum quorundam acumina, quæ sine Commentario ab exteris præsertim intelligi non potuissent. Quædam tamen ex his videri possent superflua. Præmissum est magnificum & omnino ad exemplar veterum compositum Poema, seu Enthusiasmus, ut vocat, Poeticus, pro Epistola nuncupatoria ad Regem. In hoc primum mirifico Poeticæ dictionis apparatu & varietate Poetas Lusitanos & Poetrias numero CCLXXXIII recenset, quos omnes sedentes in Parnasso se vidisse fingit. Primum locum dat *Ludovico Camonio* (*de Camones*) Lusitanorum Tasso, cujus & æqualis fuit.

Prima tenet coram Phœbo subsellia, fronde
Tempora succinctus viridi, Camonius : *ensis*,
Haud semel occiso quondam madefactus ab hoste,
Accinctus lateri est: doctam tenet inclyta pennam
Dextera, divinum gestatque sinistra Poema,
Lusiada inscriptum, quo nil præstantius orbe
In toto Latium vidit, nec Achaica tellus.

Postremo nominat *Damasum* Papam, natione Lusitanum, cujus Carmina ex Bibliotheca Barberina Paris. 1672 edidit *Federic. Ubaldinus*. De hoc non minus præclare:

In solio a reliquis discretus præsidet alto
Damasus *ille, suum quem jactat Brachara civem*,
Hoc titulo cunctis præstantior urbibus orbis.
Tempora non viridans laurus, non pallida nectit
Frons hederæ: cingit rutilans adamante tiara
Ter veneranda caput: manibus; quibus ardua cœli
Regia sæpe patet, secretaque claustra per ignes
Felices animas recoquentia sæpe patescunt,
Tinnula plectra tenet. &c.

Miramur tamen, sanctissimum Patrem hoc vestitu, insolito Musis spectaculo, in Parnassum admissum fuisse. Post hos aliarum etiam gentium Poetas narrat se vidisse, & in his Germanos quosdam, qui

Theutonicas sensere nives abiisse, calore
Corda replente Deo.

Inde ad celebrandas res gestas Joannis V Regis progreditur, ubi inter splendida atque egregia multa, de Academia Historica, ab hoc Rege instituta, cujus ipse Autor socius est, Apollinem ita pulchre canentem fingit:

Fugientia tempora cernis,
Ut jam lapsa pedem gressu properante retorquent,
Restituuntque viros orbi, quos longa vetustas
Obruit immeritos fœdo sub pulvere, motis
Quem tua discutiet sollers Academia pennis,
Historiaque novam donabit munere vitam
Jam fato functis? Regi quoque tempora subdi
Irrequieta tuo cupiunt, gaudentque teneri
Illius ad nutum prædura compede vincta.

Idem, quem in his exemplis vides, genius, eadem majestas & sermonis flumen in toto carmine est, quod duo millia circiter versuum complectitur. Nemo non Musarum amans Operis politissimi Tomum II, III & IV, quos promittit Autor, avide exspectabit. Nec veremur, frustra ab ipso spem nobis factam esse præter *Elegiarum Tomos II*, & *Elogia Sacra & Profana*, nec non *Laborem Improbum*, *s. Regni Cœlestis accuratam Descriptionem per Æquivoca*, cura ejus editum videndi, quod Regio jussu in se suscepit, *Corpus Illustrium Poetarum Lusitanorum, qui Latine scripserunt*, VI aut VIII Voluminibus in 4, æque ac aliud eorundem, *qui lingua vernacula scripserunt*. Quidni enim magna nobis sit horum Operum exspectatio, cum ea ab Apolline ipso Musisque cum plausu in *Parnasso* lectitatum iri Poeta noster magna cum fiducia in se recipiat.

BERN. PEZII, BENED. ET BIBLIOTHEcarii Mellic. ad Virum Cl. P. MARCUM HANZIZIUM, Soc. J. aliosque in Germania, Gallia & Iatlia Viros, Epistola, in qua vetustissima Acta S. Trutperti Mart. in Brisgavia, Autore ERGANBALDO nunc primum publici juris facit, & illorum super eorundem sinceritate & αὐθεντίᾳ sententiam rogat, simulque diluit,

qua

quae eruditissimi homines contra receptam apud Salzburgenses de S. RUPERTI aetate traditionem scripserunt.

Viennae Austr. typis Jo. Pet. van Ghelen, prostat apud Pet. Conr. Monath, 1731, 4.

Plag. 8½.

QUo abstrusiora plerumque solent esse veterum rerum primordia, proximaque primordiis; eo praeclarius agunt, qui certius aliquid in rebus iis afferre, conquisitisque monumentis genuinis, ipsam quasi superare vetustatem allaborant. Vexatissimae sunt Ecclesiae Salzburg. origines, quas Salzburgenses initio Seculi VII ponunt, *Henr.* autem *Valesius*, *Mabillonius* &c. ex rationibus non contemnendis noviores crediderunt. Gallorum sententias refert *Hanzizius* in Germ. Sacrae T. II, atque ipse argumentis invictis & insolubilibus antiquitatem hujus ecclesiae impugnat. Sed in Rev. P. *Bernh. Pezii* manus feliciter incidit Vita S. Trutperti, ante annos mille scripta, & in monasterio Zwifaldensi in Codice 500 annorum reperta, quam Collectores Actorum SS. T. III April. p. 423 desiderarunt. Brevis est illa quidem, sed omnino magni momenti non solum in Episcopatus Salzburg. verum etiam universae Bajoariae veteris historia. In limine visum est Editori duo praemonere. Primo evellit errorem, in quo haerent Collectores Actorum Antwerp. quod nemo Sanctorum, qui Theodiscum nomen gerunt, v.g. *Ramuoldus*, *Suidbertus*, *Trutpertus*, *Rupertus*, natione sit Hibernus, sed vel ex Germania, Francia, vel ex Anglia oriundus. Docet enim primus & eleganter, *veterum Hibernorum sive Scotorum linguam mere fuisse Theodiscam*, & a Francica non nisi asperiori dialecto diversam. Deinceps occasione monumenti *Trutperto* a discipulis positi, disquirit, quomodo in Germania jam tum A. DCVII *anni Incarnationis Dom.* computari potuerint? Putat, *Trutpertum*, qui ante annum Chr. DCIV cum fratre *S. Ruperto* Romae fuit, aeram illam Dionysianam, ibidem acceptam, discipulis deinde in Bajoaria tradidisse; quamvis documenta publica vulgo ante Sec. IX Epocha Incarnationis careant, quoniam consuetae adhuc Notariorum formulae non parum ad fidem eorum pertinere videbantur.

p. 14–23.

5 sqq.

9.

 Jam

p. 24. Jam hinc argumenta eruditorum, contra *S.Ruperti* Ecclesiæque Salzburg. antiquitatem, tradita, examinat, fontes eorum aperit, singulorum falsitatem coarguit. Dicunt 1) *Rupertum* ante A.
26. DCLXXX in Bajoaria florere non potuisse. *Pezius* vero fundamenta evertit, i. e. veterem annotationem Salzburg. A. DCCLXXXVIII scriptam, quæ occasionem errori præbuit; in qua horribile mendum latere, ætatemque Theodeberti I & II, Ducum Bajoariæ, qui tamen intervallo annorum LXX vixerint, fœde confundi docet, addita eam in rem Tabula Chronologica veterum Ducum Bajoariæ, simulque Regum Francorum. 2) Adver-
25. sarii ex Vita *S. Ruperti*, quam Anonymus Sec. IX consignavit, proponunt, a *Ruperto*, Episc. Wormatiæ, Theodonem, Baj. Ducem, anno quinto Regis Childeberti fuisse sacro fonte ablutum, indeque colligunt, *S. Rupertum* fine demum Seculi VII docuisse.
29 sqq. Fatetur ultro Cl. Editor, & sibi olim locum illum imposuisse; jam vero accurate deprehendit, contra Anonymi mentem res diver-
34. sorum annorum confundi. 3) Ex Libello Donationum sive Brevium Notitiarum probant, tempore *Virgilii* Ep. circa medium Seculi VIII adhuc discipulos *S. Ruperti* egisse testes in lite forensi, & concludunt, si jam A. DCXXIII obiit *S. Rupertus*, discipulos ejus post illam ætatem necessario vixisse amplius annis CXXIV,
37 sqq. quod sit contra fidem mortalitatis. Ad hæc vero eleganter docet Cl. *Pezius*, Autorem Brevium Notitiarum per laciniam hominis imprudentis esse maculatum. Scilicet *S. Rupertus* secundum legem in quadam donatione sex vel amplius testes subscriptores adhibuerat, interque eos quosdam ex discipulis suis, non solum seniores, sed & juniores, & *Monachorum filios*, quo rei memoria longius duraret. Postea, cum lis de eadem re suscitaretur circa A. DCCLIV, *Virgilius* de charta *Ruperti* viros admodum senes atque veraces consuluit, reque comprobata, aliam chartam pro posteris consignavit, novis testibus firmatam. Atque hos diversæ prorsus ætatis testes homo inferioris ævi per incuriam non distinxit, sed in unam omnes turmam conjectos, uni *Virgilio* æquales fecit, & hanc perversam Autori Brevium Notitiarum adsuit laciniam. Hæc sunt argumenta potiora, quæ magno ingenio miraque in conjectando sagacitate infirmat Doctiss. Editor. Minoris momenti est, quod *Carolus Benedictoburanus* in Diss. I

Præ-

Prælim. in Tomum II Hiſt. Friſing. ex Aribonis Ep. Friſ. teſtimonio objecit, tempore S. Corbiniani A. DCCXXIII Bajoarios adhuc dici rudes & in fide Chriſtiana novitios; quare vix videri probabile, eos ſeculo ante a *S. Ruperto* eſſe converſos. Sed facile P. *Pezius* reſpondet, latius patere illam veterum novam & rudem Chriſtianitatem, quippe etiam Franci, qui tamen jam circa A. CCCCXC fidem ſuſceperant, in hac vita *Trutperti* dicantur fuiſſe tempore *S. Ruperti* adhuc in nova rudique Chriſtianitate. Coronidis loco, *S. Rupertum*, quem veteres acclamationes *Germaniæ Benedictum* vocant, certo in Regulam S. Benedicti, Romæ cognitam, juraſſe, variis probat argumentis, potiſſimum, quia *filios filiolosque Monachorum ac Presbyterorum* inter ſuos inſtituerit, ex præcepto Regulæ S. Benedicti c. 37 & 59. Dicebantur autem illi, qui a teneris annis Deo a parentibus vovebantur, ſancta diſciplina bonisque literis a probatæ vitæ monachis imbuendi & ad monachismum præparandi, de quibus *Rabani Mauri* liber extat in *Mabillonii* Append. ad T. II Annal. Bened. Quæ omnia aliaque quamplurima, præſertim *Ruperti* XL & amplius annorum in Norico Apoſtolatum, gentes barbaras ab eo aditas, ejus in prædicatione ſocios &c. in *Antiquitate Eccleſiæ Salzburgenſis reſtituta* brevi ſe illuſtraturum promittit. Cui Operi adjicietur *Tabula Geographica Regni Norici* ſeu *Bajuvarici* ævo medio atque adeo *Ruperti*, adornante *P. Martino Kropp* Bened. Deſideratur ad hanc operam *Godefridi* Abbatis Gottwic. Opus *de veteribus Germaniæ pagis*, incredibili ſtudio confectum. Omnes boni agnoſcunt, quantum laudis debeatur Cl. *Pezio*, qui res obſcuriſſimas & adhuc deſperatas tam facile aggredi, tamque feliciter explicare conſuevit. Expectamus etiam ab ejus manu *Epiſtolam de vera origine Aug. Domus Habsburg. Auſtr.* cujus majores genuinos ex hoc ipſo veterrimo ac primigenio *S. Trutperti* monumento forſan proxime ſiſtet & demonſtrabit.

p. 47 ſq.

49 ſqq.

52.

6 & 56.

ELOGIUM JO. FRANCISCI BUDDEI.

NOn annunciamus nos quidem mortem viri ſummi, quam olim per disjunctiſſimas a noſtro orbe gentes fama, virtutis illius fida comes, ſparſit; a quo nuncio quaſi refugiſſe videri hæc Acta poſſunt, quorum ipſe tam inſignis per triginta annos pars fuit; certe noluimus prius, quem ſolemus, honorem illi habere, quam ad manus noſtras reliqua, quæ

 parari

parari sciebamus, monumenta pervenissent. Quod cum factum sit, Jenæ edito satis magno Volumine, conciones in funere viri habitas, tum querelas laudesque complexo, superest, ut more nostro fastigia rerum ipsius breviter attingamus, plenos de vita tanti Theologi, tantisque in rebus versati, Commentarios, S. R. Genero ipsius scribendos commendantes. Debetur vir, cujus similes paucos unum habere seculum solet, Pomeraniæ, urbique in ea munitæ & bellorum vicibus exercitæ, Anclamo, in qua natus est A. cIↃ IↃc LXVII, d. XXV Junii, patre *Francisco*, & sacrorum Præsule, & diœceseos, Synodi *Præpositum* vocant; cum avus etiam Nostri maternus, *Jacobus Balthasar*, eodem munere functus esset. Amorem in puero literarum fovit felix vel hoc solo nomine, & memoria posteritatis dignissimus, *Dav. Schönemannus*, Gripswaldens. scholæ Rector, quem privatum etiam præceptorem habuerat, e cujus disciplina non prius discessit, quam præter Latini sermonis usum, etiam sanctos libros, quibus linguis scripti sunt, iisdem aliquoties perlegisset. Neque duodeviginti annis major erat *Buddeus*, cum istas ingenii & doctrinæ opes in Vitenbergensem Academiam allatas, *Schurzfleischio* præsertim autore insigniter augeret, tum *Dassovio*, *Walthero*, *Zieglero*, *Neumanno*, intentam ita felicemque operam daret, ut biennio post inter Philosophiæ *Magistros* cum laude versari inciperet, &, cum quatuor annos in Academia vix exegisset, ipsi docentium ordini, post justa omnia facta, *adjungeretur*. Cum placuisset deinde Jenam etiam adire, & *Bechmannum*, *Bayerum*, *Wedelium*, *Posnerum*, (cujus postea gener factus est,) *Sagittarium*, audire, & cognoscere, eodem tempore ipse tum voce, tum scriptis, tantum docuit, tantaque sui specimina edidit, ut dubium esset, plusne impertiisset Jenæ, an ab eadem accepisset. Qua fama viri excitatus Sereniss. Princeps *Albertus* Saxo-Coburg. in Gymnasium suum ad docendas Græcam Romanamque linguas, anno Seculi superioris XCII eum evocavit. Sed annus ab hoc proximus ampliori eum theatro admovit, Halensi, quæ tum condebatur, Academiæ, Philosophiæ de moribus ac civitate Professorem: ubi secunda adeo fama, ac tanto discentium favore atque studiis docebat, ut ipsi magna pars celebritatis debeatur quam illa schola tum consecuta est. Videres quingentos juvenes auditorio illius exeuntes, neque humili de plebe illos, sed florem Germaniæ, in quibus, post ipsos principes, etiam summis multi natalibus orti, magnave parentum dignitate conspicui. Docendæ Theologiæ facultatem *Licentiam* jam obtinuerat A. cIↃIↃcxcv ejusque rei insignia documenta ediderat. Cum igitur quæreretur, qui lapsis prope, quantum ad eum ordinem, Jenensis Academiæ rebus succurreret, ad *Buddeum* itum est, & opinione quorundam facilius impetratum, cum quidem Potentiss. ipse Elector Brandenb. rescripto monuisset Academiam suam, ne dimitteret temere tantum virum, eaque cathedram Theologicam extraordinariam illi offerret. Hic ab anno inde Seculi quinto, sumtis prius Halæ Doctoris honoribus, ita vixit, ut propitio quodam & salutari non Academiæ illius tantum, sed Ecclesiæ totius, fato, ætati nostræ concessus videretur, qui per ingentes animorum motus, qui procel-

lis

lis quibusdam agitabant Ecclesiam, moderata illa sapientia sua & prudentissima temperantia obstaret, ne plane omnia miscerentur, nec altercando nimium amitteretur veritas. Et quanquam hac ipsa viri moderatione, (quam auream omnes clamant, nisi ubi ipsi studio quodam vehementiori impediuntur) quidam offenderentur, negotiaque illi facesserent; dubium tamen vix est, quin cum saniore viventium parte, incorruptius judicatura posteritas, eam viro laudem tributura sit, veri illum & boni sine factione fuisse studiosum, in tantum certe, ut a barbaris contentionibus & illa rabie, quæ, ut Christiana videatur, hominem exuit, abhorreret. Hac ille gloria sua, & parta optimis artibus autoritate, cujus tamen possessio atque tutela magno, ut solet, labore, multisque curis ei constitit, usus est religiose admodum & circumspecte, nec infeliciter, nisi quod conqueri solebat, sibi alienis peccatis ruborem interdum incussum: nimirum ut sunt *εὐεξαπάτητοι οἱ ἀγαθοί*, cum ipse propitium patris animum erga omnes gereret, neque facile crederet rumoribus, & ex se æstimaret alios; propter suas autem occupationes, & ingravescens cum ætate aurium incommodum, non audiret, nisi quæ præmeditata, & paucis verbis comprehensa, ad ipsum perferrentur; his causis fieri sane nonnunquam potuit, ut commendatione sua ornaret non satis dignos. Si quis autem eo nomine reprehendere ipsum voluerit, ille caveat, ne tam credulitatem damnet, (quæ tamen & ipsa *non culpa est, sed error, & in optimi cujusque mentem facillime irrepit*,) quam armet invidiam & inhumanitatem. Illud profecto negari sine turpissimi livoris nota non potest, plus boni virum optimum commendandis & provehendis bonis mentibus effecisse, quam commendationibus suis nocuisse, si modo unquam nocuit, h.e. laudatione sua perfecit, ut indignus aliquis ei provinciæ imponeretur, quam, absque illa commendatione si fuisset, impetraturus erat dignior. Interim illud certe consecutum est, ut non tantum præceptor communis, sed propemodum etiam pater quidam esset habereturque Germaniæ, quantum Lutherana est. Solebant autem adire illum etiam, qui a sacris nostris alieni sunt, tum doctrina ipsius invitante, tum ea, quam modo laudavimus, moderatione atque humanitate. Quæ tamen nusquam eo progressa est, ut aliquam divinæ veritatis particulam proderet. Idque tum reliqua viri monumenta loquuntur, tum illa præsertim, quibus cœlestis doctrinæ totam rationem ita perspicue, ita solide, ita libere proposuit, ut vix, quod desiderari eo in genere queat, supersit. Hic est, ubi texere debebamus catalogum librorum ab illo editorum: sed hoc ipsum prope libri opus est, & a nostra brevitate alienum. Edita est ipso vivente aliquoties Notitia librorum ipsius adjectis brevibus observatiunculis, qui vel laudaverint illos, vel oppugnaverint, vel defenderint, & adjectus est Catalogus eorum ipsi quoque monumento, quod ista scribendi nobis occasionem dedit. Vidimus etiam ampliorem Commentarium, librorum summi viri historiam complexum, ab ipso ante hos aliquot annos concinnatum, sed tum idoneis causis pressum, quem non invideri *Buddeani* nominis cultoribus optamus. Quærentes audivimus homines, qui fieri potuerit, ut tantum scripserit vir quotidianis aliquot horarum recitationibus, tum salutantium turba, & epistolarum multitudine districtus adeo, ut vix tantum ipsi ab his rebus relinqui videretur temporis, quantum ad cognoscendos libros novos, quorum erat perquam studiosus, opus esset? Et tamen neque lucubrationibus ille nimiis fatigare corpus, neque abdere se in Bibliothecam

thecam

thecam ita solebat, ut minus obvia cuiquam esset ipsius humanitas. Taceo, quod multum sane temporis mendis typographorum e libris, quos edebat, tollendis tribuebat, unde primæ librorum editiones sunt emendatissimæ. Sed ordo erat, & descriptio temporis pariter ac ceterarum rerum, cui a juventute adsueverat, quæque tota vita mirifice eum juvabat. Solebat ille non libros tantum ita disponere, ut nihil quærentem fugeret, nihil conanti impedimento esset; sed tenuerat eam a juvenili inde ætate rationem, ut sibi uniuscujusque earum disciplinarum, quas colendas susceperat, locos quosdam apto disponeret, in quos referret, quicquid deinde memorabile inter legendum vel meditandum offerretur. Illæ primæ erant recitationum ejus lineæ, subinde, prout res ferebat, amplificatæ, refictæ, illustratæ: eædem librorum, inde formandorum postea, adumbrationes; ad quos cum accederet elaborandos, cum jam, & quid dicturus esset, & quibus argumentis, & quibus testibus, annotatum in iis, quos dixi, locis haberet, vix alia cura opus erat, quam ut stylum materiæ suum adhiberet, in quo facilitatem quandam miram, & lacteum candorem amant, qui ab his sacris non sunt alieni. Quod de ordine dixi, illi adeo adsueverat, ut in privatis literis, in quotidiano ipso sermone, quicquid denique diceret faceretque, nihil perturbatum, nihil confusum appareret, sed illa distinctionis luce omnia perfunderentur. Ex eodem fonte illa prodiit perspicuitas tanta, ut quorundam etiam reprehensiones non vitaret vir summus, cum dicerent, concionibus ad populum catecheticis similes esse ipsius recitationes. Sed salutarior fuit Ecclesiæ claritas illa, quam vocare liceat, ipsos etiam stupidiores ultra spem ac sortem communem erudiens, quam splendida aliorum obscuritas, si non filia ignorantiæ, mater quidem certissima. Quibus nihil reliquerat vir summus meditatione demum sua extricandum, illis certe libros indicaverat, unde vel sitim restinguere, vel commentandi captare occasionem possent. Fuit enim hoc non caput quidem eruditionis *Buddeanæ*, quod invidi homines persuadere aliis cupiunt, sed ornamentum & subsidium quoddam præstantissimum, notitia literaria, qua cum reliqua sua Opera expolivisset, tum justum corpus confecit Isagoges in Theologiam, Phidiacum opus, & in arce collocandum merito, cum ceteris immortalibus viri chartis, quibus diutius vivet, quam eorum, qui ex illo nati sunt, claritate: licet optemus ex animo, ut *Carolus Franciscus Buddeus*, Vir excellenti ingenio & doctrina, Sereniss. Principis Rudolstadiensis Schwarzburgici a Consiliis juris dicundi, & *Jo. Fridericus*, ex altera conjuge *Zopfia* susceptus, optimæ spei puer, nomen tantum ad seram posteritatem novis subinde decoribus auctum proferant; & in Viri summe Rev. *Jo. Ge. Walchii*, quem generum habuit vir summus, liberis sanguinis & doctrinæ *Buddeanæ* hereditas duret quam diutissime. Ipse ereptus est rebus humanis Gothæ, in quam urbem officii quædam rationes eum vocaverant, morbo, qui a pectoris & faucium incommodis, viro solennibus, in dysenteriam, sitim, angores, somnum eripientes, & id genus graviora symptomata, cum erupisset, medicorum peritissimorum artem elusit, *Buddeo* autem, quod mortale erat, abstulit d. XIX Nov. A. CIϽIϽCCXXIX. Conditum est illud sine pompa quidem, quod voluerat ipse, sed loco honestissimo in æde S. Augustini, ubi hoc illi contigit, ut corpus *Ge. Nitschii*, Antistitis sacrorum in illa urbe pietatis & doctrinæ gloria nobilissimi, quocum Noster pro necessitudine fortis vixerat, cum is uno die serius vita functus esset, ad latus ipsius collocaretur.

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Junii Anno MDCCXXXI.

CYFREITH JEU HYWEL DDA AC ERAILL.
five
LEGES WALLICÆ ECCLESIASTICÆ ET Civiles Hoeli Boni & aliorum Walliæ Principum, quas ex variis Codd. MSS. eruit, Interpretatione Latina, Notis & Glossariis illustravit GUILIELMUS WOTTONUS, S. T. P. adjuvante MOSE GUILIELMO, A. M. R. S. Soc. qui & Appendicem adjecit.

Londini, typis Guilielmi Bowyer, 1730, fol.
Alph. 7.

JAm pridem exſpectatum Opus producimus, cujus compilationem in ſe ſuſceperat *Wottonus*, adoptato in ſocietatem laboris *Guilielmo*, linguæ ſibi vernaculæ, hoc eſt, Wallicæ admodum gnaro. Cum vero *Wottonus* operi fuerit immortuus, præfandi provinciam in ſe ſuſcepit Vir Cl. *Guilielmus Clarke*, qui eadem non ſine eximia laude defunctus eſt. Nec ſane res fuit levis laboris, tot Codices MSS. in Angliæ Bibliothecis paſſim latentes, &, ſive ordinem, ſive ſermonem ſpectes, ſæpe multumque diſcrepantes, e quibus tandem *Cottonianum* tertium, quippe maxime integrum, ſequi potiſſimum placuit, eruere atque inter ſe componere, & plurima juris vocabula, linguæ Wallicæ propria, dextre explicare, atque adeo Opus aliis intentatum rite exequi. Primum omnium Hoelum Bonum, Regni Sudwallenſis, poſt diviſam ab avo Roderico

Cambriano Walliam, ſecundum hæredem, &, mortuo demum conſobrino Edvalo, totius Walliæ Regem, pravas conſuetudines, quæ hactenus obtinuerant, abrogaſſe, legesque ſcriptas, longo rerum uſu edoctum, A. 942 vel 943 condidiſſe, contra *Hearnium* aliosque evincit Cl. *Clarkius*; qua occaſione in ſtatum Angliæ, qualis fuit tempore Britonum, quos inter Druides leges, nunquam quidem ſcripto promulgatas, moderabantur, Romanorum item, qui jura ſua obtrudebant victis, & Saxonum, quorum legibus aliisque inſtitutis paulatim & Angli aſſuefacti ſunt, doctiſſime excurrit. Ipſe Codex *Hoelianus* tribus Partibus ſeu Libris digeſtus eſt, quorum primus agit de officiis domus Regiæ, ſecundus de actionibus civilibus, & tertius, qui ceteris uſu & æſtimatione ſuperior videtur, quia judices eum memoriter & ad unguem ediſcere tenebantur, criminales actiones complexus eſt; quibus acceſſit poſtea Liber IV, *Triadum* dictus, & elementa quaſi juris continens, ac Liber V, actionum formulas & acta curiæ, ſeu eorum, quæ judicata ſunt, Commentarios ſiſtens. His legibus quas novas addiderint *Hoeli* ſucceſſores, utque tandem Regum Angliæ, Eduardi I inprimis & ſequentium, poteſtas ferendi in Wallia leges veteresque abrogandi invaluerit, harum rerum curioſi accurate in Præfatione relatum legent. Acceſſere ultimo loco appendix, multa monumenta vetera, quæ huc ſpectant, complexa, tum Gloſſarium, quod a *Wottono* admodum imperfectum relictum, *Guilielmi* inprimis curis debetur, & demum Index rerum ſatis inſtructus.
p. 14. Ut pauca e notis afferamus, moris erat apud Wallos, ut multi, qui crimina patraverant, quæ eos jure aſyli non penitus privarent, reliquias Sanctorum ſecum geſtarent, quod illis erat inſtar patrocinii, modo intra fines legitimos ſe
38. continerent. Silentiarii in aula Wallica officium fuit, ut, cum primum convivæ ad menſam Regis aſſediſſent, ſilentium clara voce indiceret, &, ſi qua poſtea turba exorta fuiſſet, columnam, ad quam ſtabat, percuteret, quo omnes ſcirent, ſe ad ſilentium
46. & loco & tempori conveniens obligari. Indecorum fuit apud Wallenſes, quenquam e comeſſationibus ſolennioribus, quas ad noctem concubiam prorogabant, niſi bene potum cubitum

tum dimittere, & pro summo dedecore habebatur, si sordida frugalitas jure objici hospiti posset. Episcopi & Abbates jurabant per baculum suum h. e. pedum pastorale & evangelium. Sed servanda nobis brevitas. Ne tamen nihil de legibus ipsis, quas & Wallica & Latina lingua exposuit *Wottonus*, dicamus, videntur quidem pleræque satis æquæ, nisi quod homicidium, adulterium & alia crimina graviora tantum multa luebantur apud Wallenses, nec apud eosdem solum adulterium divortii causa existeret, sed quavis de causa illud impune fieri posset, hoc saltim discrimine, ut, qui ante annum matrimonii septimum id committeret, uxori dotem integram relinquere, qui post illum terminum, dimidiam reddere juberetur. Interspersæ etiam sunt subinde miræ quædam leges & ridiculæ, qualis illa, quam Editor p. 82 his verbis conceptam dedit: *Fœmina matura viro, quæ cum aliquo clandestine abiverit, & vel in agris vel in domo stuprum passa sit, & ab illo postea repudiata fuerit, & querelam contra illum instituerit apud gentiles suos & in curia, hoc modo dotabitur. Si tauri trimi caudam detonsam & sebo inunctam, per januam vimineam immissam, mulier intra domum, pedibus limini innixis, manibus prehendens detinere potuerit, licet taurus a duobus hominibus utrinque stimulis urgeatur, pro suo habebit in compensationem ob infamiam violatæ pudicitiæ: sin aliter, habebit tantum sibi, quantum manibus adhæserit.* Quæ etsi suspecta initio habebat Editor; attamen cum eadem in omnibus Codicibus, vel iisdem, vel paulo mutatis verbis reperiri cognosceret, minime prætermittenda duxit. Jungimus huic legi aliam, sed breviorem, quæ legitur p. 259 his verbis: *Lepus pretium legitimum non habet, quoniam altero mense mas fit, & altero fœmina.* Quod etsi absonum sit statuere; excusatur tamen quodammodo antiquitatis testimonio, loco nempe *Plinii* Hist. Nat. L. VIII C. 35 a Nostro in nota producto, ubi ille: *Archelaus autor est de leporibus & cuniculis, utramque vim singulis inesse*, rursusque C. 30: *Hyanis utramque esse naturam, & alternis annis mares, alternis fœminas fieri, vulgus credit.*

p. 172.

78.

82.

259.

CHRISTIANITY AS OLD AS THE CREAtion: or the Gospel a Republication of the Religion of Nature.

h. e.

RELIGIO CHRISTIANA ÆQVE ANTIqua ac creatio: sive, Evangelium nova religionis naturalis promulgatio.

Volumen I.

Londini, apud Bibliopolas celebr. 1730, 4 maj.

Alph. 2 pl. 9.

NOn placuit Autori hujus libri profiteri nomen suum, nec in Præfatione, nec in titulo libri; ejus tamen nomen commemorant nonnulla acta literaria, & Autorem dicunt *Tindal* nuncupari, Doctoris Juris dignitate ornatum. In præsenti libro multum in eo ponit ille operæ, ut, *Evangelium,* ostendat, *non esse, nisi ipsam religionem naturalem, Christo autore expositam*, inque Præfatione, tam clara se esse allaturum principia, pollicetur, ut mediocris ingenii homines inter religionem veram & superstitionem differentiam deprehensuri facile sint. Methodum elegit Dialogorum, qua rectius, quam vulgari modo, per responsiones & objectiones, satisfieri scopo posse est arbitratus.

Cap. I. p. 1—12. *Deum*, Capite statim I docet, *omni tempore hominibus dedisse media sufficientia cognoscendi voluntatem suam*, adeoque ipsam religionem Christianam, qua sola Deo placeamus, cum ipsa hominum origine initia cepisse; Christianæ religionis nomen recens quidem, censet, esse, rem ipsam tamen homini in creatione implantatam; nec quicquam causæ esse status Ecclesiastici viris, ut aut contemnant sinceritatem examinis in sacris, aut naturalis religionis laudes, quas huic adscribant sapientes, infringant; sinceritatem commendasse Apostolos & effecisse, ut & illi, qui veteris religionis instituta ritusque tenebant firmiter, nomen adscriberent religioni Christianæ, imo Deum ipsum, præter sinceritatem, ab hominibus, si vel maxime verita-

tem

tem non inveniant,exigere nihil posse. *Inprimis religionem naturalem commendari satis*, opinatur, *non posse, eandemque a revelata non differre, nisi communicationis modo; illam scilicet internam esse, hanc externam manifestationem voluntatis immutabilis, ab entitate profecta, quæ omni tempore infinite sapiens sit & benigna.* Deus certe, inquit, hominibus dedit vitæ regulam, sive legem, cujus observatione homines redderentur ipsi accepti, nisi, Deum consequi scopum suum non potuisse, affirmare velis; regulam illam naturæ implantatam propter fontem suum esse absolute perfectam, atque adeo mutationem nullam, nec additionem, nec detractionem admitti posse. Ergo religioni huic naturali, infert, revelatio, quæ dicitur specialis, mutationem afferre nequit. Supponit certe rei ipsius conditio, ut, cum *finem* præscripserit hominibus Deus, media quoque ad finem inveniendi facultatem dederit: alioqui Deus præsumeretur ipse evertisse finem, quem intendit. Quare omnes homines secundum sapientem Dei directionem idonei judicandi ad cognitionem sufficientem voluntatis divinæ, quæ etiam ipsa vult, ut perveniant omnes ad agnitionem veritatis; cumque Christianam religionem dicamus esse unice veram & perfectam, eam omnino esse oportet, quæ ab initio universo generi humano implantata est: & ex hoc colligit, in religione Christiana, præter nomen, nihil novi reperiri, eandemque a prima creatione, quoad rem ipsam, extendere sese ad universum genus humanum. Deus certe, qui non vult, ut homo exsistat unquam sine religione, aut falsa aliqua imbuatur, exsistente unica religione Deo placente, ad quam tenentur omnes, non potuit non constituisse media æque universalia, ac finem voluit esse universalem. Itaque sequi dicit, ut homines potuerint detegere media ad agnoscendum & colendum Deum necessaria; licet æqualem singulorum cognitionem haudquaquam tueatur.

Media autem illa esse, contendit, *usum facultatum menti insitarum.* Omnem enim cultum, Deo placentem, rationabilem esse oportet, nec potest ille requirere cultum alium, quam qui fundatur in natura rerum & relatione immutabili, quam habet res altera

ra ad alteram: quam ſola cognoſcit ratio, menti inſita, uti ſolus oculus lucem, auris ſonum recipere poteſt. Finge itaque, mediis ad voluntatem divinam cognoſcendam neceſſariis omnibus atque ſingulis adhibitis, alium hac, alium iſta trahi opinione; uterque Deo gratus, unaque omnium hominum religio erit, quæ eſſe Chriſtiana non poſſet, niſi a principio rerum exſtitiſſet, ejusdemque inveſtigatio fuiſſet æque omnibus poſſibilis. Qua de re non dubitaveris, ſi legem naturæ perveſtigabilem eſſe omnibus, & , in hac religionem Chriſtianam conſiſtere, conceſſeris. Eademque ratione credit, externæ revelationis, ſi admittenda aliqua eſt, dignitatem poſſe defendi, quod, hac ſententia aſſumta, non foveat in ſinu ſuo leges arbitrarias, ſed eas, quæ cum ſocietate humana neceſſario copulantur, & ex reſpectu derivantur, quem res altera habet ad alteram. Quo, quæſo, quis jure affirmaverit, Deum brutis animantibus, quæ habent omnia ad præſervationem & conſervationem neceſſaria, proſpexiſſe magis, quam mentibus hominum, eundemque majorem curam corporis, quod ſenſibus avertit ſibi noxia, habuiſſe, quam mentis immortalis, eas facultates ex quorundam ſententia non habentis, quæ pertinent ad ſui ipſius æternam conſervationem? Annon recte dixeris, lumen naturæ, menti generis humani inſitum, æque illuminare univerſum genus humanum, uti ſol omnem dicitur colluſtrare orbem habitabilem, adeoque quemlibet, ſecundum vires rationis ſibi relictæ, in rebus ad religionem attinentibus, quocunque tempore, & quocunque angulo terræ vivat, deprehendere poſſe ea, quæ pertinent ad ſe cum Deo conciliandum & aſſequendam ejus gratiam?

Cap. II. p.13-21. Ut igitur eo conſtet rectius, legem, ſive religionem naturalem univerſalem eſſe, Evangelium autem novam ejusdem manifeſtationem, non religionem novam, Cap. II *in religionem naturalem* inquirit Noſter, *inque officia, quæ a conditione hominis pendent, in ordine ad Deum, ad ſe, ad alios juxta ſe viventes*, multaque tradit ſatis diſtincte de his officiis, quæ alioqui in Jure Naturæ exponi ſolent. Urget inprimis, non quærere

rere Deum nisi felicitatem hominum, nec posse illum quicquam agere propter se, cum sit ipse infinite felix & perfectus, proditque admirationem benignitatis divinæ, qua omnes actiones nostras velit, ut consequamur æternam felicitatem, tandemque concludit: *omnia, quæ intra & extra nos sunt, satis voluntatem divinam declarant, ut declaratio magis perspicua non fieri potuerit;* inque his officiis veram religionem consistere credit, iisdemque observandis, omni tempore, omni loco, & ab hominibus singulis. Ergo, dicit, uti Deus semper idem, uti humana natura semper eadem, uti relatio rerum inter se, & ad se, semper eadem; ita etiam religio semper est eadem, nec datur ulla, quin his relationibus innitatur. Addit deinde, *veram religionem consistere in mentis dispositione constante agendi omne illud bonum, quod possumus, eoque ipso efficiendi nosmet ipsos Deo gratos, explendo creationis suæ scopum.*

Quod ut eo magis probet, *entitatum intelligentium omnium, supremæ pariter ac subordinatarum, perfectionem atque felicitatem in eo,* docet, *consistere, ut vivant secundum dictamen naturæ suæ.* Dei, ait, in eo quærenda est summa & infinita felicitas, quod omnes actiones cum perfectissima ipsius ratione conveniant; ad hanc naturæ puritatem & nos adspiramus, agentes secundum rationis sanæ dictamen. Nec differimus, pergit, a Deo ratione vitæ, quam differentia illa, quæ a diversis statibus & relationibus emanat. Felix igitur, aut minus felix homo est, quatenus aut vivit, aut non vivit secundum rationis suæ ductum; quod adeo verum est, ut, manente nostra natura rationali, in vita altera actiones nostræ effectus ejusdem speciei sint producturæ, licet perfectiores longe. Non possunt itaque officia, quæ incumbunt nobis, esse obscura attendentibus & ad circumstantias, quibus circumscribimur, & ad creatoris finem, ex perfectione & benignitate naturæ divinæ cognoscendum. Nec revelatio potest exigere minus relatione illa, quam manifestat ratio, nec magis; non prius, quia alioqui esset regula naturæ implantata imperfecta; non posterius, quia requireret minus necessaria, autoremque indicaret Cap. III. p. 22–35.

tyran-

tyrannum, odio magis, quam amore prosequendum. Ergo religio Christiana ea tantum a nobis requirit, quæ fluunt ex relatione, qua nos in ordine ad Deum & alios circumscribimur, quæque nobis apparenter ad bonum sunt conducibilia. Subjungit deinde variorum virorum doctissimorum testimonia & verba *Quesnellii Act. II, 21: Le Christianisme est une religion universelle;* qui an sensu eodem, quo Noster, universalitatem affirmaverit Christianæ religionis, aliorum esto judicium.

Cap. IV. p. 36 – 43. Gloriam Dei, dicis, rectius constituere creationis finem? At, *solam felicitatem nostram, & , quod bonum nobis est, creatorem intendere*, credit Autor, *adeo, ut pœnæ etiam, ratione eorum, qui has ferunt, non intendant nisi bonum hominis.* Adeo hæc vera esse statuit Noster, ut gloriam Dei neget scopum esse actionum divinarum: cognoscere quidem hominem perfectiones divinas, eandemque cognitionem cedere gloriæ divinæ amplificandæ; ipsam autem bono tantum nostro cedere. Intendit itaque homo, opinatur Autor, & debet intendere gloriam Dei; sed Deus nihil refert ad semetipsum; quis enim perfectissimam entitatem incusaret imperfectionis, quæ profecto esset inevitabilis, si quicquam rerum humanarum ad se referret; uti enim propter homines dedit leges, ita propter eosdem exigit obsequium. Removenda itaque a Deo omnis ira, omnis vindictæ cupiditas, quam docent scriptores Systematum Theologicorum, eoque modo de bonitate & justitia divina disserunt, ut pugnantia secum proferant in medium. Nunquam ergo Deus punit, ut puniat, sibique præstet securitatem, sed semper punit, ut hominem liberet ex statu misero, observata semper proportione inter delictum & hujus pœnam. Ferri itaque, ait, judicium posse de quæstione: an pœnæ impiorum, apud inferos sustinendæ, sint æternum duraturæ? quam a nemine huc usque recte definitam putat, suo tamen tempore a se ipso ex Scriptura sacra & ratione decidendam, pollicetur liberaliter.

Cap. V. p. 44 – 57. *Si Deus nihil vult propter se, ergo ne cultum quidem, quem ipsi debemus, nec fiduciam, quam in ipso collocamus, vult propter se.* Opinantur plerumque homines, se re vera exhi-

exhibere Deo servitia, *precando, gratias agendo, exsequendo actus externos alios*, Deum sibimet sufficere, non cogitantes. Finem sane religionis ignorant, qui officia vitæ civilis negligunt, ut actibus pietatis externis sese consecrent. Quis tam stupidus erit & ingenii tam tardi, ut preces immutare posse putet ordinem providentiæ divinæ, ab æterno constitutum. Sabbatum ipsum propter homines est institutum, non propter Deum. Clerus autem eam veritatem noluit communicare cum plebe; alias enim nunquam eam potentiam, eaque privilegia, quæ communi bono adversantur, sibi potuisset arrogare. Nec alium licet affingere Evangelio finem, quam religioni naturali. Si fides in ipsum Deum requiritur tantum propter nos, an fides in ejus legatum propter finem alium potest requiri? Profecto, si fides in Christum requireretur propter causam, ejus missionem antecedentem, fundatamque in sua & nostra natura, inque relatione, quam haberemus ad ipsum, æterna ratio rerum eam manifestasset. Quicquid enim ad omnes attinet, omnibus etiam debet esse cognoscibile. Redeunt itaque omnia ad opera charitatis, Christo ipso teste; opera autem illa omnia & singula a lumine naturali præcipiuntur; quo fine multa huc trahit dicta, hanc sententiam, uti censet ille, probantia. Fidem itaque, concludit, non esse necessariam ad salutem, eandemque tantum requiri in sacris, ut sese manifestet per opera charitatis, a quibus salus exspectanda sit.

Ex his præmissis infert 1, *religionem naturalem esse absolute perfectam*, quod pendeat illa a Deo, & adhuc implantetur omnibus hominibus, in omne ævum observanda; quod Deus ipse perennem æternamque suæ naturæ legem sequatur; quodque Evangelium ipsum cum lege naturæ concordet. Ille certe, qui dedit legem pariter & Evangelium, omni tempore pollet æquali sapientia & benignitate: non est igitur inter legem naturæ & Evangelium differentia alia, quam quæ est in tradendi modo; infert 2, *revelationem externam nihil addere, aut adimere posse perfectioni legis naturalis.* Deus enim esset alioqui mutabilis, nostraque religio rediret ad significatus incertos vocum & phrasium linguarum mortuarum, ad

Cap. VI. p. 58-68.

Kk typos,

typos, metaphoras, allegorias, parabolas, ad peritiam & fidem amanuensium, aut minus, aut satis exercitatorum. Annon rectius religio pendet a relatione rerum, ubique visibilium, in universo mundo, & isti innitente simplicitate, universalitate, antiquitate, perennitate legis naturalis? infert 3, *religionem veram, sive interne, sive externe revelatam, semper debere esse unam eandemque;* adeoque nec religionem naturalem Evangelicæ, nec hanc illi posse adversari, amice potius utramque conspirare inter se; *habere enim religionem naturæ & Evangelii unum eundemque scopum, adeoque & in præceptis debere convenire inter se;* utramque tendere ad honorem Dei & utilitatem hominum; nec metuendam esse collisionem inter illum & hanc; Deum enim a nobis honorem non propter se, sed propter utilitatem nostram velle. Qui itaque agit, quæ requirit vita socialis, & Dei optimi exemplo benignus est erga alios, ille laborat in promovenda Dei gloria. Dicis, dantur tamen dogmata Evangelii, quæ differunt a præceptis rationis? At sæpius differentiam constituunt Theologi in rebus, ubi non est. Christus non ex alia ratione venit in mundum, nisi, ut promoveret exercitium præceptorum legis naturalis, quæ non fuerant observata.

Cap. VII. p. 69–84.

Cap. VIII. p. 85–104.

Eam religionis naturalis & revelatæ identitatem, jam expositam, tam credit esse necessariam, ut, qui his notionibus, ad naturam Dei & veram religionem attinentibus, non inhæreant, occasionem dent superstitioni & malis innumeris, quibus sub religionis prætextu homines aut a semetipsis, aut ab aliis fuere afflicti. Consectaria plane multa sequuntur, prava admodum, opinionem illam, quasi Deus religionem exigeret propter se; hinc nati sunt inter gentiles Dii mediatores; hinc exortæ variæ species vexationum corporis humani, ut ægre huic facerent vigilando, celebrando jejunia, observando varios ritus pœnitentiales, stulto plane errore abducti, quasi eo redderentur magis accepti Deo, quo magis corpus suum fatigarent. Hinc judicium *Cypriani*, eos judicantis infelices, quibus corona martyrii non imponeretur; hinc Ægyptiorum superstitio, qua, amputationem præputii Deo gratam esse, sunt opinati; hinc

hinc opinio de odore sacrificiorum Deo grato; hinc magnus numerus prognatus est Deorum gentilium; hinc etiam nata humana sacrificia & summa superstitio, qua destruxere creaturas, ut placerent creatori, quæ omnino Atheismo pejor est. Qui autem sequitur rationis lumen, ab omnibus illis incommodis tutus præstatur. Ex illo enim addiscit, religionem naturalem & revelatam eundem agnoscere autorem, probeque videt, differentiam, quæ inter utramque religionem fingitur, plane nullam esse: quia utraque ab uno pendet eodemque autore immutabili.

Media quoque, adducentia ad humanam felicitatem, religionis utriusque, docet, *plane esse eadem; quod media, semel ad felicitatem humanam pertinentia, omni tempore ad hunc finem attinere recte credantur.* Uniuscujusque conscientia tribunal est, ad quod citamur omnes; hæc unicuique patefacit media ad finem ducentia, optandumque esset omnino, ut homines suæ permitterentur libertati. Clerus autem hanc libertatem restrinxit, & ex suæ utilitatis studio ea egit, quæ pertinerent ad potestatem & jura Ecclesiastica augenda; quæ omnia potuissent evitari ab iis, qui fuissent secuti regulam immutabilem, ex æterna & universali obligatione orientem; omnia secundum eam fieri possent ad gloriam Dei, & ad ædificationem proximi cum observatione decori. Præcepta enim arbitraria a sapientia divina vix derivaveris; si ergo sunt necessaria, recte credideris, media utriusque religionis plane esse eadem. Cap. IX. p. 104–114.

Ut igitur istud probet pluribus, *Deum*, ostendit, *non agere ex arbitrio, media autem, in se mutabilia, humanæ permittere libertati, ut ex hac definiatur, qua ratione conducibilia sint ad res illas, quæ obligationem continent in se & per se.* Si enim quis supponeret, Deum præscribere modum peculiarem ex lumine naturæ non cognoscibilem; ille finem interverteret, a Deo in natura constitutum. Quæ autem in se mutabilia sunt, possunt humano arbitrio permitti. Sic est vox naturæ: cole Deum publice; in cultu autem illo tempus, locum, & quæ sunt hujus generis alia, hominum relinquit arbitrio Cap. X. p. 115–140.

trio & determinationi. Deus ipse autem nihil præcipit aut vetat unquam, nisi quod in se honestum aut turpe est, ita exigente infinita sapientia & benignitate divina. Multa ergo in his sibi arrogaverunt Clerici præter omne jus, & adiaphora converterunt in opera necessitatis: quod pluribus deducit ex ritibus, qui apud Pontificios observentur in sacris, multoque conatu id agit, ut demonstret, a Deo positivi nihil immediate proficisci posse, quod præcepta arbitraria cum immutabilitate Dei non cohæreant, & veræ religionis partes constituentes plane non sint.

Cap. XI. p. 141–177. Nam *arbitraria illa & positiva cum hominum felicitate & gloria Dei plane componi nequeunt:* gravant ea mentem hominis, & pariunt superstitionem tam efficacem, cui resistere nequeas, inprimis cum plebs personis Ecclesiasticis æque superstitiosis notitiam adscribit consilii divini de salute nostra. Pluribus deinceps exponit superstitionis damna in religione Pontificiorum, gentilium, ne Protestantibus quidem exceptis. Multa inprimis damna attulit imperium illud Ecclesiasticum in imperio civili inter Pontificios, inter Protestantes, inque ipsa Ecclesia Anglicana. Multa exiguntur tanquam necessaria, quæ tamen non sunt, persuadentque status Ecclesiastici viri plebi, salutem in his per se reperiri, sed tandem desinunt hæc in fraudes, in miracula & mendacia, ne Anglicana quidem Ecclesia excepta; Patres Ecclesiæ antiquæ strenue esse mentitos in honorem Dei; Canones Concilii Nicæni esse immutatos; ut & ipsa symbola; qui autem sequantur dictamen rationis rectæ, Ecclesiasticorum fraudibus non esse obnoxios. Multa dein adjungit de externa Ecclesiæ disciplina, qua decipiantur homines; nec effugere quenquam posse deceptionem illam, putat, nisi sequatur dictamen rationis rectæ.

Cap. XII. p. 178–331. Elicit ex his, *qui religionem naturalem nauci habeant, ut magni faciant revelationem, omnem plane evertere religionem, quod duæ regulæ actionum humanarum independentes non dentur.* Posse fieri, Noster dicit, ut putent alii, se esse *Naturalistam*, quam ille imputationem haud ægre a se ferri, dicit. Rationi enim si inniti non possemus, quonam modo certus redde-

deretur animus? Quis dixerit, libros Biblicos piis fraudibus non æque fuisse obnoxios ac libros alios, ipsam etiam originem Scripturæ a Deo credi debere, demonstrari autem non posse? Solam itaque rationem religionis esse fundamentum certissimum, iterum concludit, & fuse, ut hoc probet, differit, falseque iterum ridet personas Ecclesiasticas, rationem deprimentes, &, incumbere omnino homini, ut ad rationis obrussam exigat, quicquid a quocunque de rebus sacris profertur, exquisitis argumentis evincit.

Sane, nisi homines plebeji ex ratione differentiam agnoscerent, inter religionem & superstitionem constituere nullam possent, nec liberare sese a superstitione, in qua fortassis sunt educati. Duriuscula multa adversus statum Ecclesiasticum, deque ejus fraudibus, pollicitationibus falsis, ductoribus erroneis, obscuritatibus item Theologicis, rebusque aliis, profert, quæ illimitate proponi non debebant: sæpiusque rationem commendat, & arrogantiam Cleri carpit, iterum iterumque repetens, rationem excellentissimum veræ religionis principium esse; tandemque *Clarkii* sermonem de immutabili obligatione religionis naturalis, veritate & certitudine Christianæ revelationis, in suas partes pertrahere studet; cum & is, partem religionis esse quicquam posse, negaverit, nisi quod rationem habeat in natura rerum.

Cap. XIII. p.332–352.

Cap. XIV. p.353–432.

JO. FRID. STARCKII, VERBI DIVINI Ministri Francofurti ad Mœnum, Commentarius in Prophetam Ezechielem, in quo ex fontibus sacris cujusque versus & commatis sensus eruitur, & doctrinæ ad cognitionem veritatis & praxin pietatis adduntur. Cum Præfatione JO. GEORGII PRITII, S. S. Theol. Doct. & Ministerii Francofurtani Senioris.

Francofurti ad Mœnum, sumtibus & typis Reinh. Eustach. Mölleri, 1731, 4.

Alph. 8 pl. 21.

QUamvis Prophetarum scripta interpretari, opus sit longe difficillimum, fatentibus id ipsis, qui summam in hoc

commentandi genere ſunt aſſecuti laudem; non tamen propterea deterreri nos par eſt, quo minus laborem huc noſtrum conferamus. Si enim vel maxime non liceat penetrare ſingula, quod quidem ſperandum non eſt; tamen licet ea proferre, quæ & ſapientiam & bonitatem Dei, majeſtatem ac regnum Sàlvatoris noſtri, & futuræ vitæ ſpem atque excellentiam illuſtrant. Hac mente cum eſſet Vir perquam Reverendus, *Jo. Fridericus Starckius*, Verbi divini Francofurti ad Mœnum miniſter facundiſſimus, Ezechielis Prophetæ vaticinia, quæ ipſi a juventute, ut refert, fuerunt lectu jucundiſſima, explicanda in ſe ſuſcepit. Quo in inſtituto perſequendo methodo ſatis perſpicua uſus & ſic verſatus eſt, ut curæ quam maxime habuerit, ſcopum verumque ſenſum ex fontibus eruere, ſingulasque voces & phraſes colluſtrare. Subjecit interpretationibus ſuis doctrinas ad quemvis verſum, quæ ad fidem corroborandam & ad pietatem recte formandam facere poſſunt. Explicationi autem rerum verſionem novam præmiſit, textum ſacrum de verbo ad verbum exprimentem, cum putaret, hac ratione viam ſibi ad pias meditationes planiorem reddi. Neque tamen ita ſuo ingenio indulgere voluit, ut non & ubique præſtantiſſimos Interpretes, qui in Vatem hunc commentati ſunt, conſuluerit. Ipſe enim fatetur, ſummo ſe inſpexiſſe ſtudio, quæ in *Matthæo Polo, Jo. Coccejo, Jo. Maldonato, Hieronymo Prado, Cornelio a Lapide*, ad dilucidandum hunc Prophetam occurrunt. Cum vero in parte Revelationis hujus Propheticæ poſteriori præcipue de Templo Ezechielis diſſerendum eſſet, meditationibus *Matthiæ Haſenreſſeri & Jo. Baptiſtæ Vilalpandi* præcipue uſum ſeſe eſſe, haud diſſitetur. Qui ergo ad lectionem hujus Commentarii accedent, deprehenſuri ſunt, Autorem doctiſſimum operam ſuam in Vate hoc præſtantiſſimo illuſtrando præclare poſuiſſe, ipſumque eſſe bene facturum, ſi in poſterum quoque in hoc ſtudiorum genere, cujus eximium ſpecimen nunc prodidit, elaboret, hoc ipſo de illis, qui ſacras literas colunt, optime mériturus.

AUGUSTA CONCILII NICÆNI II CENſura,

ſura, hoc eſt, Caroli M. de impio imaginum cultu Libri IV. Ad primam editionem recudi eos curavit, ac ſub-inde partim emendavit, partim illuſtravit CHRI-STOPH. AUG. HEUMANNUS, S. Theol. D. & Prof. Gymn. Regii Gotting. Inſp.

Hanoveræ, in officina Fœrſteriana, 1731, 8.
Alph. 2.

NOn ſolum præſtantia & dignitas, verum etiam raritas hujus Operis permovit S. Rev. *Heumannum*, ut denuo id in medium proferre animum induceret. Quod negotium aggreſſus, id ſumma cura egit, ut Carolinum hoc Opus orbi literato exhiberet, quam fieri poſſet, ornatiſſimum. Præmiſit igitur Præfationem, in qua copioſe exponit hiſtoriam hujus Operis inde ab incunabulis ſuis usque ad noſtra tempora. Ac principio §. II. teſtimoniis Carolini ævi, omni exceptione majoribus, probat, omnino a Carolo M. editum hoc Opus fuiſſe. Hinc docet, III. ex eo tempore id latuiſſe per multa ſecula, tandemque *Joannem Tilium* A. 1549 ex illuſtri quadam Galliæ Bibliotheca id IV. revocaſſe in lucem, omiſſo tamen ſui pariter ac typographi indicio, ne ſcilicet pœnas uterque daret publici beneficii. Pa- V. riſienſibus vero typis expreſſum eſſe hoc Opus, ex collatione cum aliis libris, eo tempore Lutetiæ editis, confirmat. Latere autem placuit editori, facto poſtea, & quidem A. 1553, Briocenſi, hinc A. 1567 Meldenſi Epiſcopo, ſub *Eli. Phili.* nomine: quo quid ſibi voluerit, perſpicue docuit *Paulus Petavius*. Ce- VI. terum cum Carolini hujus Operis in apricum productio multum adjuvaret cauſam Antipontificiorum ſive Proteſtantium, conſentientiſſimum quippe ſibi habentium & Carolum M. & convocatum ab ipſo magnum Epiſcoporum gregem; illico ſtatuerunt Pontificii, vix natum vel potius renatum hoc Opus opprimere, & oculis mortalium ſubducere. Ac eo usque ſuc- VII. ceſſit hocce conſilium, ut hodie nil rarius ſit editione *Tiliana*, utque præſtantiſſimæ Bibliothecæ ea careant. Certe *Maſtrichtius*, Syndicus Bremenſis, tanti hanc editionem æſtimabat, ut peregrinis, copioſam ſuam Bibliothecam luſtrantibus, primo

primo loco eam monſtrare ſoleret. Ac Editor noſter, præter illud, quod ipſe poſſidet, exemplar, ac præter *Maſtrichtianum*, quod modo diximus, vix unum præterea inveſtigare potuit,
§. VIII. IX. quod eſt Bremæ in Bibliotheca *Haſaana*. Quanta vero ſit editionis hujus primæ raritas, etiam facit manifeſtum ex multis eruditiſſimorum ac literariæ hiſtoriæ peritiſſimorum virorum erroribus; aliis, eam octifoliam eſſe, ſcribentibus; aliis, *Eliphilum* vocari voluiſſe *Tilium*, tradentibus; aliis majori errore eum appellantibus *Eliphilum Chriſtianum:* a quibus ſingulis viſam non fuiſſe *Tilianam* editionem, neceſſe eſt. Scilicet
XI. ſtatim inſertus liber ille a ſacris Romanæ Eccleſiæ hominibus fuerat *Indicibus librorum prohibitoriis*, (quorum plures hic
XII. adducuntur,) atque ita excuſſus e manibus omnium. Uni tamen atque alteri exemplo venire contigit in manus hæreticorum, quos vocant Pontificii, ac ſtatim A. 1555 in Germania liber ille fuit recuſus. Verum & hæc editio tam rara nunc eſt, ut Noſtro nemo unus occurrerit ſcriptor, qui, ſibi viſam eſſe
XIII. XIV. eam, profiteretur. Poſtea *Goldaſtus* acceptum e *Frid. Lindebrogii* Bibliotheca hoc Opus rurſus edidit A. 1608, ac deinde quoque inſeruit *Collectioni* ſuæ *Conſtitutionum Imperialium*. Hinc
XVI. nova prodiit in Germania editio, ſed ea nec loci nec anni natalis mentionem præferens: quæ tamen & ipſa perrara eſt.
XVII ſq. Videntes igitur Pontificii, non potuiſſe priſtinis ſuis tenebris reddi Carolinum hoc Opus, ſua id autoritate privare ſtuduerunt. Alii proinde dixerunt, Opus hoc eſſe ſuppoſititium. Sed hi quidem non ſolum a Proteſtantium eruditiſſimis viris clariſſime ſunt refutati, ſed & Pontificiorum doctiſſimi, *Sirmondus*, *Dupinius*, *Nat. Alexander*, & *Ant. Pagius*, judicarunt, ſcriptum omnino eſſe hoc Opus Caroli M. juſſu & auſpiciis. Imo Sorbona Pariſienſis A. 1675 ſingulari libello contendit, ipſum Carolum M. illud Opus compoſuiſſe: quanquam libellus hic e veſtigio pœnas audaciæ dedit Jeſuitis, injectus quippe flammis
XIX. ultricibus. Iidem vero Jeſuitæ, intelligentes, non poſſe hunc librum reum peragi *νοθείας*, docere aggreſſi ſunt, non adverſari Carolinum Opus doctrinæ Eccleſiæ Romanæ, ſed ejus autorem ſenſa Concilii Nicæni II non recte cepiſſe. Sed & hoc

falſo

falso jactari, probat Noster doctissimorum aliquot Pontificiorum testimoniis. Ceterum cum cultus imaginum repugnet §. XX.
& Israeliticæ & veteris Christianæ Ecclesiæ dogmati, nec quicquam possit esse levius illis argumentis, quibus Concilium Nicænum II stabilire studuit venerationem imaginum; miratur XXI.
Noster, cur Carolus M. errorem illum tam fortiter oppugnans, non discesserit victor. Investigatis igitur hujus rei caussis, docet, primo errorem illum tam fructuosum repudiare noluisse XXII.
sacros homines; deinde autoritatem Papæ *Hadriani*, librum Carolinum singulari epistola statim refellentis, conatum Caroli reddidisse irritum; denique ipsum Carolum non perseverasse in sua contra istum errorem fortitudine, nec exemplo XXIII.
Pauli κατὰ πρόσωπον ὐκ ὀρθοποδῦντι πρὸς τὴν ἀλήθειαν τῦ Ἐυαγγελίυ Papæ obstitisse: ut adeo Caroli prudentia aulica fraudi fuerit divinæ veritati. Tum inquirit, utrum ipse Carolus id Opus confecerit, an ab alio confici jusserit. Etsi vero XXIV.
Carolus, teste *Eginharto*, fuit literarum studiosissimus; tamen, nullum ab eo compositum fuisse librum, Noster probat testimonio quodam ejusdem *Eginharti*, quod, quia perobscurum est, in clara luce collocat. Hinc, scriptorem hujus Operis fuisse *Alcuinum*, tam facit verosimile, vix ut quicquam relinquatur dubitationis. Existimat tamen, ipsi Carolo non nihil hujus Operis deberi, cum constet, ipsum sibi prælegi jussisse acta Nicæni Concilii, & extemporali sermone allata ibi ad propugnandam imaginum venerationem argumenta confutasse. Finita nunc libri hujus historia, Editor ostendit, quanta ipse cura incubuerit, ut hoc Opus fieret emendatissimum: addens, XXV sq.
annotationes ceteras, a se subjectas, id potissimum spectare, ut lectores capiant verum sensum multorum medii ævi vocabulorum. Ultimo loco exhibet catalogum reliquorum a *Tilio* editorum librorum, & honorificum de ipso judicium *Thuani*: XXX.
allocutione pia ad Romanæ Ecclesiæ Christianos Præfationem hanc (*p. 65*) concludens. Sequitur (*p. 67–118*) pereruditа Dissertatio, cujus ignotus Autor primo accuratam exhibet Operis Carolini analysin; deinde, omnino Carolo M. autore hoc Opus prodiisse, demonstrat; tum singula refutat argumenta XXXI sq.
XXXIII.

Bellarmini, cum, tempore Caroli M. conſcriptum hoc Opus fuiſſe, inficiari non poſſet, mirabili audacia contendentis, compoſitum id fuiſſe ab aliquo hæretico; hinc de Synodo Francofordienſi nonnihil adjicit; denique prolato *Sirmondi* Jeſuitæ, hos libros pro vere Carolinis agnoſcentis, teſtimonio concludit. Nunc demum (*p. 119-138*) procedit *Joannis Tilii*, primi editoris, Præfatio lectu & aſſervatu digniſſima. Quam excipit ipſum *Opus Carolinum, quatuor* diviſum in *libros*, quorum in *primo* proferuntur ac refelluntur multa Concilii illius Nicæni loca, quibus ita ex S. Scriptura probatur veneratio imaginum, ut dicta Biblica trahantur in ſenſum alieniſſimum; ac ſimul alia minus Chriſtiane ibi dicta notantur. In *ſecundo* libro cetera ſacri Codicis loca, quibus idololatræ illi ſunt abuſi, rectius exponuntur: hinc, quæ iidem ad errorem ſuum tuendum ex Patrum Eccleſiæ ſcriptis attulerunt, examinantur: denique alii eorum errores indicantur & proſternuntur. In *tertio*, præmiſſa ſatis longa confeſſione fidei vere Catholicæ, graves quidam errores notantur quorundam, qui iſti Concilio interfuerunt, Epiſcoporum: tum notatur Concilii hujus in damnandis diſſentientibus iniquitas & injuſte arrogata autoritas: denique cetera ipſorum argumenta, ad imaginum cultus defenſionem perinepte prolata, maxime ea, quæ produxerunt e libris fabuloſis, diſcutiuntur. In *quarto* eodemque ultimo eorum zelus in illos, qui non colunt imagines, imperitiæ & impietatis arguitur: hinc reliqua ipſorum argumenta, e ſcriptis apocryphis petita, e. g. ex epiſtola Regis Abgari ad Chriſtum, deſtruuntur: tandem in ultimo Capite, Concilium hoc jure ab ipſis nominari *univerſale*, negatur. Sigillatim quædam ex hoc Opere proferri, non eſt opus, cum id non videantur deſiderare Lectores noſtri, cupidius ex ipſo fonte hauſturi. Pauca igitur proferemus ex Editoris emendationibus atque illuſtrationibus. Et ad emendationes quidem quod attinet, ſtatim *p. 1* pro *ediculo* reſcribendum oſtendit *edulio*; ac *p. 11* pro *cohibentia* ponit *conniventia*, quod vocabulum eo ævo uſurpatum fuiſſe pro *conſenſu*, etiam *p. 593* docet. Illuſtrationes paucæ ſunt, nec niſi neceſſariæ. Ex iis tamen locupletari poſ-

ſe

se *Cangii Latinum Glossarium*, facile apparet. Ita *p. 1 & 52* cognoscimus, hoc temporis tractu *sive* itemque *vel* usurpatum fuisse pro *et; p. 6 deliquium* pro *delicto; p. 19* & *232 impossibilitas* sensu activo pro *impotentia*; *p. 48 taxare* pro *scripto mandare; p. 53* & *473 reverentissimus* pro *reverendissimus*; *p. 80 tractator* pro *interpres S. Scripturæ; p. 202 stabularius* pro *hospes publicus*; *p. 236 conditio* pro *creatio*; *p. 256 exercitare* pro *militare* vel *exercitum habere*; *p. 264 quisque* pro *quisquis; p. 289 credulitas* pro *fidei salvifica*; *p. 296 & 593 ignavia* pro *imperitia literarum:* quo modo & *p. 341 segnis* dicitur pro *indoctus*, ac *p. 379 segnitia* pro *ἀπαιδευσία*; *p. 410 retrusus* pro *captivus ad luendum peccatum quodpiam monachus*. *Pag. 465 dirivatus* injuste a nonnullis in *derivatus* mutatum fuisse, monetur, cum *dirivatus fluvius* eo loco dicatur is, cujus *aquam rivis dissipatam esse* scribit *Livius*. Ac *p. 593* observatur, hoc verbum, adhuc a Lexicis exulans, reperiri etiam in *Censorini* libro *de Die natali*. Ultimo loco *p. 563–576* leguntur *Scholia Joannis Tilii*, primi editoris, & *p. 578–589 Goldasti* in hoc Opus annotationes doctissimæ, quarum agmen claudit *Syllabus Autorum, qui Opus Carolinum refutare, aut negare, vel aliis modis impugnare sunt aggressi:* de quibus omnibus ita *p. 589* censet *Goldastus*, *omnia spicula ab adversariis intorta obtusiora & hebetiora esse, quam ut vel uni lapidulo percellendo esse possint.*

TRACTATUS DE VIRILI ÆTATE LAtinæ linguæ Pars altera; Autore JOH. NICOLAO FUNCCIO.

Marpurgi, apud P. C. Mullerum, 1730, 4.

Alph. 2 pl. 10.

En alteram Partem Operis *Funcciani de Virili ætate Latinæ linguæ*, quam non minus cupide excepimus, quam priorem, in his *Actis A. 1728 p. 46* nobis recensitam. Est hic quintus liber *Historiæ criticæ Latinæ linguæ*, quæ ut tandem ad finem perducatur a Cl. Autore, nunc in Academia Rinteliensi Eloq. Hist. &

 Polit.

Polit. Professore, enixe optamus. Ad præsentem quod attinet librum, *Caput primum* est de claris Romæ Oratoribus, atque adeo hic loci deprehendimus collecta, quæcunque disjecta in veterum libris occurrunt, de *Hortensio, Curione, Licinio Calvo, M. Bruto, Coelio, Cassio Severo, Callidio, Torquato, Munatio Planco, Messala Corvino, Labieno, Passieno*, & *Asinio Pollione*: de quo quidem postremo longior est Noster, ejusque cum vir-
p. 38. tutes percenset & laudes, tum vitia. *Secundum* vero *Caput* totum dicatum est *Ciceroni*, Oratorum eminentissimo. Vitam igitur & fata ejus doctissime pariter & copiose persequitur Autor, ac denique ipsius scripta. Pertractat quoque styli *Ciceronis* singularia, & plura exhibet ab ipso fabricata vocabula. Denique omnes Operum ejus editiones recenset ordine. *Cap.*
141. *III* sistit Romanos JCtos, *Mutium Scævolam, Ælium Gallum, Antistium Labeonem*, & *Alfenum Varum*, eorumque fragmenta, quæ in *Corpore Juris* supersunt, indicat sigillatim. *Cap. IV*
169. de Historicis agit hujus ævi, ac, præmissa Dissertatione de actis Romanorum diurnis, de fastis Capitolinis, deque marmore Ancyrano, ita primum de *Sallustio* agit, ut ejus vitam persequatur & libros & stylum & editiones. Hinc eodem modo differit de *Julio Cæsare*, de *Cornelio Nepote*, de *Livio*, adjungens considerationem singulorum fidei Historicæ.
274 *Cap. V* nonnihil reperimus de iis Historicis Romanorum, quorum vel nullas vel perexiguas habemus reliquias, scilicet de *Varrone, Tuberone, Luccejo, Tirone, Arruntio, Trogo Pom-*
289. *pejo*, & *Fenestella*. *Cap. VI* Philosophos commemorat Romanos, quos inter eminet *Nigidius Figulus*, instaurator Philosophiæ Pythagoricæ. Plurimum vero operæ tribuit *Vitruvio*, cujus quippe & vitam exponit, & editiones Operis *de architectura* recenset, addens de stylo ejus judicium. Nec *Æthici* omittit Opus Cosmographicum, ejusque editiones. Cum vero, quo is tempore vixerit, dissentiant Philologi, Noster putat, vixisse eum quidem Julii Cæsaris ætate, sed ipsius Cosmographiam fuisse mutatam atque varie inquinatam ab hominibus Chri-
306. stianis. *Cap. VII* varia styli genera considerat, stylum sublimem, tenuem, & mediocrem, ac vitia singulorum dicendi generum,

nerum,

nerum, ſtylum item oratorium, poeticum, hiſtoricum, familiarem, & philoſophicum: quanquam, plura de his argumentis dici potuiſſe, facile agnoſcimus. *Cap. VIII* virtutes pariter ac vitia Latinæ linguæ breviter quidem, ſed perdocte, perſequitur. Hic de puritate ſtyli diſſerens, quærit etiam, an Græca & alia peregrina immiſcere ſermoni Latino liceat, oſtenditque, *Ciceronem*, hac mixtura abſtinere ſolitum, uſurpare tamen non dubitaſſe Græcas voces Latina donatas civitate. Hinc agit de vocabulis ad analogiam fictis formatisque: ubi rejicit *pientiſſimus*, tanquam ab analogia prorſus abhorrens, item *meridionalis*; *impræſentiarum* vero contractum arbitratur ex *in præſentia rerum*. Ad Orthographiam delatus, contendit, ſcribi oportere *ballucinari, arceſſo, auctor, comiſſari, convicium, exſpecto, heres, obſcœnus, ſeculum, ſeorſum*. Illos vero non cenſet ſequendos, qui ſcribunt *conlega* pro *collega, adſeſſor* pro *aſſeſſor*, adeoque duriorum in compoſitione literarum concurſus pridem exſtirpatos ex orco revocant. Interjecta brevi Diſſertatione de ſiglis ſive notis Romanorum, exhibet veterum Romanorum notas numerales, non omiſſa mentione eorum numerationis per calculos, itemque per digitos. De Romanorum quoque calendario tradit cognitu neceſſaria. Hinc de ſolœcismis agens, diſtingui jubet inter ſolœcismum & σολοικοφανὲς, ac judicat, quod in imperitis ac barbaris ſcriptoribus jure nominetur ſolœcismus, id in claſſicis autoribus nominari debere σολοικοφανὲς, ac plura hujus generis exempla producit e ſcriptoribus optimis, & ex ipſo *Cicerone*. Denique de novis vocabulis in Latinum ſermonem invectis diſputare aggreſſus, longum ſiſtit Catalogum alphabeticum minus probandorum, ideoque Latinitatis puræ ſtudioſis fugiendorum. In his eſt *abbreviatura, albedo, animalculum, annibilare, benefactor, collimare, combinare, creatura, eluceſcit, extemporaneus, gratitudo, immorigerus, infernus, modernus, præprimis, promanare, ſcortatio, ſeptimana, ſupernaturalis, unigenitus.* An defendi poſſit, quod in titulo ſui hujus libri poſuit, hic vero omiſit, vocabulum *tractatus*, aliis cenſendum permittimus. Illud certe laudamus, quod excipiendos duxit titulos Latinos

p. 354.

 hodier-

hodierno more receptos, e. g. *Archidux*, *Landgravius*, *Episcopus*, *Reverendissimus*, multoque tutius esse statuit, peccare in Latinitatem, quam in civilem prudentiam. Sed deponimus nunc librum præstantissimum, & avide exspectamus reliqua hujus Operis, ut perfectam habeamus hanc historiam criticam linguæ eruditorum communis.

BIBLIOTHECA UFFENBACHIANA UNIversalis, sive Catalogus librorum, tam typis, quam manu exaratorum, quos collegit ZACH. CONRADUS AB UFFENBACH, *nunc vero venales prostant.*

Tomi IV.

Francofurti ad Mœn., apud Andreæ & Hort, Tom. I 1729, T. II & III 1730, T. IV 1731, 8.

Alph. 12.

INter illustres Germaniæ Bibliothecas privatæ possessionis maxima jamdudum luce fulsit Bibliotheca Viri Illustris, *Zachariæ Conradi Uffenbachii*, Consulis Reip. Francofurtanæ. Quanta in ea sit Codicum MSS. multitudo, quanta bonitas, orbis literatus jam A. 1720 didicit ex eorum Catalogo, a Cl. *Majo* eruditissimis notis illustrato, quem nos in his *Actis* laudavimus *A. 1721 p. 233 sqq.* In ejusdem Catalogi Præfatione ipse docuerat, se non sibi soli servare hunc thesaurum, sed inde certa lege cuique licere depromere, quæ velit. Nunc vero vendere amplissimam hanc (implet enim octo spatiosa conclavia,) Bibliothecam, per viginti quinque annos mira felicitate collectam, constituit, & valedicere dulcibus tamdiu ante omnia Musis, idque his de causis. Factus non ita pridem Consul suæ civitatis, tot tamque gravibus implicitus est negotiis, ut nec uti Bibliotheca sua possit amplius, nec ejus debitam gerere curam, cum tantæ Bibliothecæ administratio totum requirat hominem. Deinde rationem habens suæ valetudinis, quæ non videtur longam vitam promittere, prospiciendum duxit

xit filiabus suis, non sine damno post patris mortem vendituris merces has literarias. Denique utilius esse judicavit Reip. literatæ, si sui libri hoc modo veniant in potestatem plurium, ex his fontibus hausturorum, quæ commoda augeant publica, quam si publicæ cuipiam Bibliothecæ adscripti, propter Bibliothecariorum partim invidiam, partim pigritiam, subducantur literatorum hominum usui. Ceterum scire vult lectores, hocce Catalogo non comprehendi scripta ad res Francofurtenses spectantia, nec ea, quæ historiam persequantur literariam & librariam. Hoc enim genus sibi servare suæque literatæ voluptati statuit, legandum aliquando Bibliothecæ cuidam publicæ.

Ingrediamur nunc amœnissimum hunc hortum, & primo quidem *Tomum primum*, cujus initio exhiberi videmus *Bibliorum versiones editionesque* tanto numero, ut pretium hujus partis (singulis enim libris adscripta est pecunia, futuris possessoribus eroganda,) sint 1325 nummi Imperiales, quos *thaleros* vocamus sermone patrio. Primum hic locum occupat Latina *Bibliorum* editio, duobus constans Voluminibus, quæ omnium est antiquissima, & ab ipsis artis typographicæ inventoribus typis exscripta, ducentis thaleris venalis. Hanc quinque subsequuntur editiones *Bibliorum Germanicorum*, decimo quinto seculo factæ, solutis 350 thaleris emtori addicendæ. E ceteris nil seligimus nominandum, cum facile credamus, operam daturos rei librariæ studiosos, suum ut in conspectum veniat hicce Catalogus. Paucis igitur docemus, succedere *p. 26–42* Patres Ecclesiæ, *p. 43–50* libros Symbolicos una cum ritualibus & Ecclesiasticis, *p. 50–97* libros Theologicos Protestantium: quo in numero eminent *Lutheri* & æqualium *autographa*, quæ vocant; *p. 97–224* libri Juridici, quos inter solæ *Corporis Juris Civilis & Canonici* editiones sunt nonaginta duo volumina; *p. 225–242* libri Medici, *p. 243–257* libri Physici, *p. 257–279* libri Philosophici, *p. 279–377* scriptores Juris Publici, *p. 378–385* scriptores Juris Feudalis, *p. 385–524* Acta publica & Collectiones ad Jus Publicum facientes, *p. 524–576* libri Politici, *p. 577–606* libri Critici & Grammatici, *p. 607–635* Historici veteres

res Græci & Latini, *p. 636–658* Philosophi veteris & Latii & Græciæ, *p. 658–670* Rhetores, Oratores, & Grammatici veteres Græci & Latini, *p. 670–692* Poetæ veteres utriusque linguæ, *p. 692–711* Lexica variarum linguarum, *p. 711–753* libri miscellanei. Concludit hunc *primum Tomum p. 757—976* Appendix, festivam sistens copiam librorum pessimæ notæ, quos vulgo vocant *prohibitos:* ubi præfatus Amplissimus Editor, sibi non debere vitio verti collectionem librorum hujus furfuris, sapienter docet, jure ac merito eos in majoribus Bibliothecis asservari, reddens & rationem, cur scripta Pietistica hunc in censum rejecerit. Ac sane non deerunt, qui prima statim in pagina deprehendentes Cl. *Clerici Comment. in Pentateuchum* & *in historicos V. T. libros* in admirationem rapientur. Sed dedit hoc genio quorundam hominum, qui vel levissima erroris umbra percelluntur, nec ferre possunt, hominum multa nova & paradoxa proferentium scripta in eadem classe poni cum libris communem applausum consecutis. Videas igitur hic *p. 757–760* depravatas Bibliorum versiones & editiones: ubi & occurrit *Psalterium Mariæ*, Antverpiæ A. 1700 editum lingua Belgica, quem librum Noster merito numerari inter profanos pessimosque libros censet ob blasphemos Psalmorum Davidicorum ad Mariam detorsiones. Sequuntur *p. 761–771* scripta Atheistica & Naturalistica, e. g. *Spinozæ, Vanini, Pomponatii, Hontani, Lavii, Tolandi; p. 771–782* scripta Cabalistica, Magica, & superstitiosa alia; *p. 782–811* illa scripta, in quibus profanæ, erroneæ, paradoxæ ac singulares opiniones defenduntur, e. g. *Rob. Fluddii, Theophr. Paracelsi, Thom. Munzeri, Seb. Franckii, Balth. Bekkeri, Peyrerii, Olig. Pauli, Ochini, Breklingii, Hardtii, Kuhlmanni; p. 811–826* scripta Arianorum & Socinianorum, & primo quidem loco *Bibliothecam fratrum Polonorum*, septem constantem maximæ formæ Voluminibus; *p. 827–833* scripta Indifferentistarum, Syncretistarum, & Unionistarum; *p. 833–887* scripta Quakerorum & Anabaptistarum, pleraque sermone Anglicano; *p. 888–905* scripta Pseudoprophetarum, Chiliastarum, & perversorum Apocalypseos interpretum, e. g. *Warneri, Rothii, Petersenii, Poniatoviæ; p. 905–927* scri-

ſcripta Theoſophica, Myſtica, Bœhmiſtica, Weigeliana, Labadiſtica, Quietiſtica; *p. 927–940* ſcripta Pietiſtarum & Syncretiſtarum; *p. 940–946* ſcripta *Davidis Georgii*, & aſſeclarum ejus; *p. 946–964* ſcripta *Schwenkfeldii*, & amicorum ipſius; *p. 965–967* ſcripta Arminianorum, *Machiavelli*, & *Hobbeſii*; denique *p. 968–976* ſcripta Sotadica ſive obſcœna, e. g. *Beverlandi, Boccatii, Poggii, Rabelaſii, Pſeudo-Aloyſiæ Sigææ.*

Tomus ſecundus libros continet hiſtorici argumenti. Offendes igitur hic *p. 1–82* ſcriptores antiquitatum & rei nummariæ, limen ſtatim ornantibus Theſauris antiquitatum *Graviano, Sallengriano*, & *Gronoviano*, in XXIX Voluminibus; *p. 82–120* libros Genealogicos & Heraldicos; *p. 120–186* libros Coſmographicos, Géographicos, & Topographicos, itemque Atlantes, & Itineraria: quæ ſola paginas triginta implent; *p. 186–206* libros Chronologicos; *p. 206–289* ſcriptores Hiſtoriæ univerſalis; *p. 289–296* ſcriptores rerum Germanicarum aliarumque gentium in unum corpus redactos; *p. 296–385* ſcriptores Hiſtoriæ Germanicæ; *p. 385–407* ſcriptores Hiſtoriæ Belgicæ; *p. 408—444* ſcriptores Hiſtoriæ Gallicæ; *p. 444—470* ſcriptores Hiſtoriæ Anglicæ; *p. 470–522* ſcriptores Hiſtoriæ Italicæ, Hiſpanicæ, Suecicæ, Danicæ, Polonicæ, Hungaricæ, Turcicæ; *p. 523–568* civitatum Hiſtorias ſingulares, ſive Chronica; denique *p. 568–788* Hiſtoriæ ſcriptores Eccleſiaſticæ. Accedit Appendix bipartita. Non enim ſolum hic in quatuor paginis exhibetur ſupellex antiquaria, e. g. ſtatuæ marmoreæ, gemmæ, urnulæ lacrymales, & ſimilia; ſed etiam in 128 paginis ſiſtuntur libri proximis ab inventione artis typographicæ annis typis exſcripti, e. g. *Januenſis Catholicon*, Mogunt. 1460; *Mametractus*, ibidem 1470; *Faſciculus temporum* 1482, 1487, 1488, 1481; *Hartm. Schedelii Chronicon* 1493; *Corn. Taciti libri quinque noviter inventi*, & Romæ 1515 editi præfixa hac nota: *Nomine Leonis X Pont. Max. propoſita ſunt præmia non mediocria his, qui ad eum libros veteres neque hactenus editos attulerint.* Proferuntur quoque hic editiones, nullum loci vel temporis indicium habentes, adeoque omnium antiquiſſimæ, inter quas & bina ſunt exemplaria *Faſciculi Temporum.*

Tomus III exhibet MSS. Codices, quorum Catalogus jam ſeparatim, idque cum notis, ut ſupra diximus, prodiit; hinc *p. 275—785* ea monumenta MSS. quæ in iſto Catalogo non memorantur. Ex hac poſteriori parte laudare libet *Jo. Henr. Ottii Examen perpetuum in Annales Baronii*, conſtans octo ſpiſſis Voluminibus; ejusdem *Hiſtoriam Anabaptiſtarum*, decem Voluminibus contentam; *Chriſtiani Franc. Paulini* plura Opera anecdota; *Chronica Noribergenſia* permulta; plura ſcripta Genealogica; *Joan. Ciampini* Tabulas LXXIII, exhibentes varia monumenta opere muſivo confecta, & Romæ maxime adhuc viſenda; *G. Schudtii Veteris Helvetiæ delineationem*, Opus eximium & varia eruditione refertum; *Jo. Petri Lotichii* quatuor ſpiſſis Voluminibus conſtantem *Commentarium in Petronium*; *Abrahami de Grauw* copioſiſſimos Indices in Opera *Senecæ, Symmachi, Statii, Prudentii, Phædri*, & *Apuleji*; *Petri Lotichii*, Poetæ, *Opera*, luculentis additionibus aucta a *Jo. Petro Lotichio*. Sequitur *p. 505—758* Supplementum Catalogi MSS. majoris, A. 1720 jam editi, ſiſtens Codices, quos poſt iſtum annum Croeſus noſter literarius ſibi comparavit, & quidem primo Codices Orientales, deinde Codices Latinos veteres, membranaceos partim, partim chartaceos, tum MSSta Theologica recentiora, MSSta item Juridica, Medica, Philoſophica, denique MSSta prohibita. Obſervavimus hic *p. 532* Volumen membranaceum, Acta & Conſtantienſis & Baſileenſis Concilii continens; *p. 540* Carmina Germanica rhytmica, ſeculo XIII conſcripta; *p. 551* Codicem venerandæ plane antiquitatis membranaceum, ſeculo nono ſcriptum, in quo veterum Aſtronomorum ſcripta; *p. 660* octo ſpiſſa Volumina, ab Illuſtri *Portnero* collecta, & varia Acta publica, inprimis Comitialia, complexa; *p. 609* Diarium in pacis Weſtphalicæ negotio conſcriptum ab *Iſaaco Volmaro*, uno Legatorum Plenipotentiariorum. Inter MSSta prohibita deprehendimus *p. 681* librum *de tribus impoſtoribus*, & *Jo. Bodini* Opus *de rerum ſublimium arcanis*; *p. 682 Bonaventuræ de Perrieres Cymbalum mundi*, & *Stoſchii Concordiam religionis ac fidei*; *p. 688 D. Fauſti Hællen-Zwang*; *p. 694 die Paſſauer-Kunſt*; *p. 695*

Ser-

Serveti libros VII de Trinitatis erroribus; p. 750 sq. Petri Aretini aliquot libros spurcissimos, quorum ultimum, criminis Sodomitici laudes artesque complexum, ipse Possessor vocat *execrandum & Vulcano devovendum; p. 752 Godofredi a Valle Artem nihil credendi.* Annexum habet tertius hic Tomus singularem Nominum propriorum Indicem, ut lector statim queat cognoscere, quorum autorum Codices MSS. hic reperiantur; itemque Indicem titulorum, libris anonymis præfixorum, ut & hac ex parte consulere suis commodis possint lectores.

Tomus quartus, qui ultimus est, *p. 1—78* exhibet libros cum veterum, tum recentiorum scriptorum, quibus clarissimi viri manu sua adscripserunt vel Codicum MSS. diversam scripturam vel annotationes censurasque, e. g. *p. 4 n. 12 Sulpicium Severum*, cui & MSS. varias lectiones & notas suas adscripsit *Petrus Francius.* Sic *p. 9 n. 45* liber rarissimus & paucis visus memoratur, complectens *Joan. Duræi Opuscula Irenica:* cui epistolam ad Ecclesiam Darmstadinam sua manu præscripsit *Duræus; p. 11 n. 61 Kraußi Biblisches Engel- und Kunst-Werck*, historias angelorum Biblicas sistens, æri incisas, & a pictore quodam scientissime distinctas coloribus; *p. 25 n. 97 Goldasti Politica Imperialia*, ab ipso *Goldasto* correcta, novæque editioni parata; *p. 38 n. 168 Harduini Nummi antiqui*, cujus libri omnes oras emendationibus & additionibus replevit *Gisb. Cuperus; p. 51 n. 230 Corn. Celsi libri de medicina*, quibus plurium MSS. Codicum diversas lectiones adscripsit *Jannoctius; p. 55 n. 254 & 255 Suetonius*, adscriptas habens uberrimas annotationes *Cuperi & Tollii; p. 57 n. 265 Ammianus Marcellinus*, cujus margo habet emendationes *Salmasii; p. 69 n. 340 Terentius* cum MSS. collatus, & uberrimis annotationibus illustratus a *Cupero.* Sequuntur *p. 78—164* libri omissi, & *p. 164—182* libri incompacti. Et inter omissos quidem illos libros memorari par est, quæ *p. 81—142* describuntur, triginta Volumina, Germaniæ acta publica continentia: e quibus Voluminibus potiora scripta laudantur nominatim. Ex incompactis vero mentio omnino facienda est, quæ *p. 172 n. 94* occurrit, editionis li-

brorum *Thomæ a Kempis de imitatione Christi*, quæ omnium editionum videtur esse antiquissima. Hinc *p. 183–567* profertur Catalogus librorum varii generis, quorum dominus est *Lic. Wilh. Sneiderus*, *Uffenbachii* nostri privignus, qui hanc Bibliothecæ suæ divendendæ occasionem arripuit. Denique *p. 567 sq.* tria *Mich. Serveti* Opera nonaginta quinque thaleris permutanda exponuntur, scilicet *libri VII de Trinitatis erroribus*, *libri II Dialogorum de Trinitate*, una cum *Capitulis quatuor de justitia regni Christi*, & *Christianismi restitutio*, aliaque scripta ejusdem minuta. Ultimum locum occupant gratiam orbis literati inituri maximam duo Indices, quorum prior *p. 584–928* exhibet nomina autorum, quorum libri librorumque editiones occurrunt in primo, secundo, & quarto Tomis; posterior *p. 929–1382* titulos librorum anonymorum, iisdem in Tomis commemoratorum, serie sistit alphabetica. Prævidemus vero facile, fore, ut doleant lectores, Illustrem Possessorem hujus Bibliothecæ mutasse captum nuper consilium, addendi Catalogum librorum, partim ad historiam literariam ac librariam, partim ad historiam Francofurtanam pertinentium. Sed, quod hoc tempore non fecit, videns nimirum, duo nova impletum iri Volumina, alterum titulis librorum typis exscriptorum, alterum titulis MSStorum & Epistolarum a doctis viris manu exaratarum, quarum duas possidet myriades, id posthac se facturum promittit, studiose interea adaucturus literariam hanc atque epistolicam supellectilem. Exspectamus item cupide, quos in Præfatione Tomi primi promisit *Commentarios de vita propria*, eoque justius exspectamus, quod in Præfatione tertii Tomi docet, manum se jam admovisse huic labori, humanioribus haud dubie mire placituro. Nec fortasse alienum fuerit, adscribere huc Distichon illud, quod biennio abhinc ad *Uffenbachium* nostrum, Bibliothecam suam venum exponentem, mittebat S. Rev. *Heumannus:*

Congestisne potes libris, Vir magne, carere?
Scilicet ipsemet es Bibliotheca tibi.

SCIPIONIS MAFFEI ORIGINES ETRUS-

cæ & Latinæ : sive de priscis ac primis, ante urbem conditam, Italiæ incolis, Commentatio; qua, quæ ad utriusque gentis, tum Etruscorum, tum Latinorum, initia & linguam pertinent, curiose investigantur. Ex Italico sermone in Latinum convertit JOAN. GEORGIUS LOTTERUS, Augustanus.

Lipsiæ, apud Jo. Fried. Gleditschii B. filium, 1731, 4.
Plag. 13 cum fig. æn. 2.

COnsueto nobis justæ brevitatis studio factum est, ut, cum *Decembri* Mense anni MDCCXXVII in his *Actis* nostris Illustris Viri *Scipionis Maffei Historiam criticam Diplomaticam* recenseremus, duobus tantum verbis ejusdem disquisitionem *de priscis atque primis Italiæ incolis* doctissimam, quam, præter plura alia, elaboratissimi illius Operis appendicem quasi quandam esse voluit Autor, innueremus. Cum interim facta ejusdem nuper a Cl. *Lottero* in Latinum sermonem conversio denuo de illa quædam differendi commodam occasionem suggerat, impetrabunt hoc facile Lectores, ut concinnam aliquam scriptionis hujus ideam ipsis proponamus, quam, *de Italis primitivis* abs Autore primitus inscriptam, *Originum Etruscarum & Latinarum* luculentiori indice optime reddidit Interpres. Præposuit ille brevem Operi Præfationem, in qua tum instituti sui rationes, ex præstantia hujus Commentationis non inconsiderate repetitas, commendat, tum vero & aliquam *Joannis Annii Viterbiensis*, *Guilielmi Postelli* & *Thomæ* denique *Demsteri* Operum, ad *res Etruscas* illustrandas concinnatorum, notitiam censuramque exhibet, quorum duo priora, ob levitatem forte suam, ne verbo quidem commemoravit eruditissimus *Maffeus*. Ipse titulus præsentis Commentationis dilucide prodit, in duas quasi Partes principes integram illam dispesci; quarum duodecim priora Capita *Origines Etruscas*, reliqua autem quinque Latinas ambitu suo complectuntur. In ipso vestibulo opellæ hujus conscribendæ occasionem exponit Vir præstantissimus, quam exhibuisse sibi, pridem jam Etruscarum an-

tiquitatum curatius cognoſcendarum ſtudioſiſſimo, editionem Commentarii poſthumi *Demſteriani, de Etruria regali* inſcripti, Florentiæ ante paucos admodum annos *Thomæ Cookii*, Armigeri Angli, cura factam, profitetur. Huic Operi cum, præter alia priſci ævi monumenta, etiam famigeratiſſimas illas *Tabulas Eugubinas* inſerendas eſſe intelligeret, de quarum duplici lingua duplicique ſcribendi charactere, quo exaratæ maniſeſto conſpiciuntur, cum in diverſa admodum diſcedant eruditorum ſententiæ; voluit & ipſe ſuam ſententiam, qua *Etruſcum* unum, alterum vero *Latinum priſcum* ſive *Pelaſgicum* eſſe ſtatuit, ſingulari hac ſcriptione intelligentium judicio exponere. Illam vero ut melius ſtabiliret, altius ipſi, & recte quidem, repetenda viſa fuit de utriusque gentis hujus initiis & lingua disquiſitio. Poſtquam igitur Capite II demonſtraſſet non inficiandis veterum ſcriptorum teſtimoniis, *Etruriæ* nomen antiquiſſimis temporibus univerſæ fere, qua patet hodie, Italiæ commune fuiſſe; ſequenti III articulo maximæ *Tuſcorum* potentiæ, qua priſcis temporibus inclaruerunt, argumenta plurima profert, verbisque de remotiſſima eorundem antiquitate factis, antiquos, qui de illis magno numero expoſuerunt, hodie vero ad unum omnes deperditi ſunt, autores recenſet; a barbarorum denique ignominioſa appellatione, qua tum Græci ipſos tum Romani plurimum dehoneſtarunt, operoſe eos vindicat. Et cum ſumma quidem hoc Tyrrhenorum injuria (iſto vero nomine *Etruſcos Græci* ſemper nuncupaviſſe leguntur;) factum fuiſſe, abunde comprobant, quæ in progreſſu affert Illuſtris Autor de eorundem in literas ſtudio, arte militari, plurimarum rerum inventione, quas veluti etiam religioſos ritus haud paucos, itemque varia ludorum ſpectaculorumque genera ita quidem utrique poſtea adoptarunt, ut non puderet illos magiſtros his in rebus agnoſcere, quos barbaros iniquius iidem cenſuiſſent. His fundamenti quaſi loco præſtructis, fontes porro Capite V usque ad VIII aperit Celeber. *Maffeus* indagandis populi hujus originibus omnium commodiſſimos. Summa ipſius ſententiæ

huc

huc fere redit. Scilicet existimat, cujuscunque gentis veterrimæ instituta tum sacra, tum profana, locorum porro denominationes indubiæ, & lingua denique quam maxime conspirent cum *Etruscorum* institutis, appellationibus urbium, fluviorum rel. & lingua, illam sine ulla veri dissimilitudine pro parente horum posse agnosci. Jam vero deprehenditur in his omnibus mirifica fere priscorum *Canaanea* terræ, latiori sensu acceptæ, & antequam Ebræi aliquam ejus particulam, *Palæstinæ* postea nomine insignitam, occupassent, incolarum cum *Tuscis* consensio. Efficitur itaque, optimo jure utrosque sanguine olim conjunctos reputari posse. Delibabimus aliquot saltim, eademque maxime illustria, asserti hujus argumenta. Constat ex sacrarum Pandectarum tabulis, *Canaaneos* divinationibus, auguriis, & id genus plurimis aliis turpissimæ superstitionis deliramentis mirum in modum occupatos fuisse. Ecquis vero in veterum scriptorum lectione adeo hospes fuerit, ut *Etruscorum* artem auguralem & aruspicinam, libros rituales, fulgurales, Acheronticos, *Romanis* etiam, bellum suscepturis, consultos, ignoret? Jucundum porro est eundem & *Canaanitica* terræ & *Etruriæ* strictiori sensu acceptæ principem fluvium communi *Arnonis* nomine celebratum agnoscere. Quam luculenta, quæso, est inclytæ *Canaaneorum* urbis *Hatroth*, sive *Etroth*, aut *Etros*, cum *Etruscorum* appellatione cognatio? præsertim cum autor sit *Dionysius Halicarnassæus* libro I, non a quodam Heroe aut Duce, quod de aliis gentibus quandoque factum novimus, sed a terra, quam majores ipsorum aliquando tenuissent, *Etruscos* cognomentum accepisse. Ad linguam utriusque gentis quod porro attinet, verum equidem est, tenues admodum utrobique ejus hodienum superesse reliquias. Vel hæ ipsæ tamen attentius illas apud animum reputantem edocebunt, non prorsus obscura in iis exhiberi pristinæ consanguinitatis vestigia. Frequentissimus *Ar* syllabæ usus apud *Tuscos* fuisse deprehenditur non minus atque apud *Canaaneos*. His autem *montem*, vel *loca montana* & *excelsa* quælibet indigitabant. Et quid pronius est, quam inferre, *Arunates*, *Etruriæ* populum, a loci, quem incoluerant,

mon-

montosa qualitate denominationis originem habuisse? *Adbarnabam*, *Tusciæ* urbem antiquissimam, *Livius* lib. X memorat; apud *Josuam* vero *Cap. XV v. 3* & *41*, civitates *Canaaniticæ Adar* & *Naan* leguntur. *Junonem* Deam sub *Cypræ* nomine colebant *Etrusci* veteres, quod a *Zipra* vel *Zippora*, uxore Mosis, desumtum videri posset facile. Sed sufficiant ista quidem in præsens specimina. Progreditur Autor noster doctissimus, atque Capite IX illorum vulgarem satis sententiam confutat, qui Græcorum scriptorum, in originibus priscorum populorum inquirendis tradendisque plerumque admodum negligentium, autoritatem unice secuti, ex *Lydia* regione *Tuscos* veteres prodiisse pronuntiarunt. His, aliisque adhuc, dubiis expeditis, Cap. X mirabilis *Canaaneorum Etruscorum*que in ritibus, ad religionis cultum spectantibus, concentus ad oculum quasi proponitur. Pertinent huc: lustratio per ignem instituta; templa in montium colliumque summitate exstructa; Deos per statuas & simulacra repræsentandi consuetudo; decimarum ad sacrum usum destinatio; pomparum, sive processionum sacrarum solennitates; & id genus plura alia inter utramque gentem communi olim usu recepta. Imo vero, quæ XI Capitis summa est, in profanis quoque negotiis luculenta apparet ambarum gentium consonantia. Utrique universum populum in duodecim tribus seu communitates, quas Δυναστείας Græci atque Ηγεμονίας, nostri homines hodie *Status* appellare solent, dispescuerunt. *Canaanei* ab animi ferocia corporisque proceritate commendati antiquitus leguntur. *Etruscis* autem utrumque horum non defuisse, Gladiatorum spectacula varii generis, ipsis omnium primis inventa atque usurpata, evincunt. Familiare admodum fuit *Canaaneis* titulos atque Inscriptiones, saxis insculptas, conficere; quas confringere Israelitæ, Palæstinam ingressi, mandatum a Deo acceperunt. Eundem plane morem superstites hodienum *Etruscorum* lapides loquuntur. Ut alia plura jam omittamus, de sepeliendi tantum ritu adhuc verbum unicum addemus; in quo itidem amicissime conspirarunt invicem, defunctos suos in speluncis, tanquam dormitoriis, recondentes. Denique in hoc etiam manife-

nife-

nifeſtatur *Tuſcorum* ex Oriente origo, quod ſcripturam ſuam eodem plane, quo Orientis populi univerſim, more inſtituerint, a dextera ſcilicet manu ad ſiniſtram verſus literas delineando, veluti ex ſpecimine, in ænea tabula propoſito, luculenter admodum apparet.

Claudunt tandem XII Capite integram de *Originibus Etruſcis* Commentationem, uberius olim cum Deo abs Illuſtri Autore noſtro in pleniori *Hiſtoriæ Etruſcæ* Opere fortaſſis dilucidandam, quædam de genio & fatis priſcæ *Tuſcorum* linguæ annotamenta. Duo jam effluxerunt ſecula, ex quo eruditus *Originum Italicæ linguæ* hodiernæ conditor, *Giambullarius*, obſervavit, prope illam admodum abeſſe ab idiomate Ebraico in variis loquendi modis atque idiotismis; cujus rei hæc forte cauſa exſiſtat, quod veteris *Etruſcæ* linguæ genius parum ab Ebraico ſermone abſuiſſet. Confirmat hanc obſervationem Autor noſter, variisque auget conſimilis generis ſpeciminibus; licet ſimul fateatur, exiguum prorſus eſſe, quod de *Tuſcæ* veteris linguæ indole cognoſcamus; quæ ita quidem intercidiſſet, ut jam *Gellii* ætate, ipſo teſte, Romæ nihil quicquam ex illa homines intellexerint.

Alteram, uti monitum jam ſupra eſt, diſquiſitionis Partem *Origines Latinæ* abſolvunt Capitibus quinque. Dictum etiam fuit, doctiſſimo *Maffeo* alterum characterem, in tabulis *Eugubinis* conſpicuum, priſcum *Latinum* exiſtimari, veluti priorem pro *Etruſco* agnoſcit. Hinc occaſionem arripuit, ſuam etiam de primis *Latii* ante Romanos incolis ſententiam declarandi. Ante omnia ex illuſtri *Herodoti* quodam loco, minus recte hactenus intellecto, evincit, *Pelaſgos*, antiquiſſimam gentem, ab *Etruſcis* omnino diſtinctam, tractum illum *Eugubinum* inhabitaſſe, unde nomen hæſit illis tabulis. Hoc facto, demonſtrat, *Pelaſgos* illos eosdem plane eſſe cum *Latinis*, quod poſtremum nomen a *Latino* quodam ſuo Rege inſecutis demum temporibus acceperint, *Romanorum* tandem potentia aucta mirificis incrementis, *Romani* nuncupati; & characterem etiam *Pelaſgicum* eundem eſſe cum *Latino* veteri, a *Græco* plane diverſum; quicquid de illius ex *Hellade* repetenda origine

existiment alii, imo illo ipso ætate longe priorem. His confirmandis profert nummorum aliquot exquisitissima exempla, nondum hactenus alicubi vulgata, quos procudi curarunt civitates *Italiæ* quædam veteres, pridem ante, quam *Romanis* illas parere oportuisset. Jucundius hæc in ipso libro legi existimamus, quod commode huc transscribi vix possint; veluti & institutam priscæ illius *Pelasgicæ* linguæ cum *Latina* recentiori, qualem publicis scriptorum monumentis ad nostra usque tempora delatam agnoscimus, comparationem; &, quæ addita sunt ad finem usque, reliqua curiosa, Philologorum attentione longe dignissima. Hoc unum monemus, addidisse Interpretem in fine, *Auctarii* titulo, Caput IV Libri I *Historiæ Diplomaticæ Maffeianæ*, quod antegressæ Commentationis quasi fundamentum voluerit Illustris Autor; atque id neque inconsulto, neque sine omni legentium commodo. Quin imo optandum est, ut spem de transferenda in Latinum sermonem vel ipsa, quam modo diximus, *Historia Diplomatica* nobis factam impleat proxime, tum, quod liber iste optimæ frugis plenissimus existat, nostratibusque accidere non nisi jucundissimus possit, tum vero, quod utriusque, vel Latinæ vel Italicæ, linguæ eximiam facultatem atque diligentiam abunde hoc in negotio demonstraverit Cl. *Lotterus*, ut optima quæque de futuro etiam instituto sperare nobis liceat. Diligentiæ inprimis ipsius, in præsenti demonstratæ, adjectum triplicem, Autorum partim, partim vocabulorum, ex variis prisci ævi linguis illustratorum, & rerum denique maxime commemorabilium, Indicem lubentes debebunt similium amœnitatum studiosi.

DE PISTRINIS VETERUM, AD ILLUstranda varia Scripturæ S. & Profanorum Autorum loca, ex Antiquitatum monumentis differit M. FRID. LEBRECHT GOETZIUS, SS. Theol. Bacc. & Diac. ad S. Cath. Cygn.

Cygneæ, sumtibus Stœsselianis, ex officina heredum Joh. David. Friderici, 1730, 8.

Alph. 1 pl. 5.

Quani-

QUamvis hoc noſtro ævo non deſint magna volumina, quibus Antiquitates continentur: oleum tamen operamque nec ii perdere cenſendi ſunt, qui ſeparata veterum inſtituta & curatius explanant, & ex iis antiquorum ſcriptorum, divinorum non minus, quam profanorum, loca interpretantur. Hujus rei novum exemplum dedit, qui præſentem de Piſtrinis ſcriptionem cum orbe erudito communicavit, doctiſſimus Autor. Conſtat ea ipſa, poſtquam in Prolegomenis de molis ge- p. 1–27.
neratim actum eſt, VI Capitibus, in quorum I *de voce Piſtrini,* 28–56.
aliisque cognatis, iisque Romanis, Græcis, & Ebraico-Chaldaicis, *vocabulis*, Grammatice pariter, atque Critice diſſeritur, ſimulque indicatur, non tantum de *pilis* & *piſtillis*, ſed etiam de *molis manuariis* & *jumentariis*, aliisque conſimilibus rebus, hic agendi fore occaſionem. Cap. II *de Origine Piſtrinorum* 56–97.
Inſcribitur. Molarum inventio non a profanæ gentis Diis Deabusque, Cerere ſive Iſide, Triptolemo, Pilumno & Picumno, Mylete & Mylantiis Diis, nec ab Athenienſibus, multo minus a *Peirerii* Præadamitis repetenda. *Piſtrini* vero ortus a primo homine, Adamo, לחם comedente *Gen. III*, *19*, derivandus. Tum vero molarum inventionem ipſa oris maſticatio paulatim docuit; hinc molæ manuariæ & jumentariæ ortæ, quibus ſenſim & ſenſim ſucceſſerunt ceteræ. Uſum piſtrinorum & mo- §. I–XIII.
larum manuariarum priſcis Patriarcharum temporibus jam receptum fuiſſe, ex *Gen. XIV*, *18*, *XVIII*, *6*, *XIX*, *3*, *XXI*, *14*, colligitur. Hinc & loca alia, ubi molarum fit mentio, nimirum *Exod. XI*, *5*, *XXIX*, *2*, *Num. XI*, *8*, *Deut. XXIV*, *6*, *Iob. XLI*, *15*, *Judic. XVI*, *21*, *2 Sam. XI*, *21*, *Jeſ. XLVII*, *2*, *Zeph. I*, *11*, excutiuntur. Exploſis deinde fabuloſis commentis, Græcorum, XIV–XVI.
Babyloniorum, *Apoc. XVIII*, *22*, Hiſpanienſes, & Helvetiorum conſiderantur molæ. In Cap. III *de Piſtrinorum varietate*, XVII–XX.
forma & partibus agitur. Tres eorum potiores ſunt ſpecies. p. 98–154.
Prima erat *piſtrina*, dum penes antiquos *piſtillis* in *pilis* tundebantur frumenta. Unde far *pinſere*, *pilare* & *piſtura*. Piſtillum a Græcis ὕπερος, τριβίδιον, ἀλότριψ, κερκίς, a Chaldæis

&Rabbinis מרוך & interdum ביכנא dictum, erat instrumentum, seu clava, qua in mortario frumentum tundebatur. Ima ejus pars erat glabra & obtusa. *Pilæ* vero erant vasa concava, in quibus antiqui fruges torrebant, & siccatas pinsebant. Eædem erant vel lapideæ, ferreæ, æneæ, ligneæ, vel ex alia formatæ materia. Variis Autorum classicorum locis expositis,
§. I—XI. *pilam* Ebræos מכתש *Prov. XXVII, 22, Jud. XV, 19, Zeph. I, 11, Neh. III, 8, 32,* dixisse, multis inquiritur. Alteram speciem *molarum* constituebant *manuariæ*, Græcis Χειρομύλοι, Talmudicis ריחים רידא, nec non *trusatiles* & *versatiles*, cumque non hominum tantum, sed asinorum etiam ope circumagerentur, *asinariæ* hinc appellatæ. Hæ ex duobus constabant lapidibus, superiori mobili altero, altero vero immobili inferiori. Illum Ebræi רכב *currum*, Græci τὸ ἐπιμύλιον, Latini *catillum*, hunc Ebræi שכב *cubantem*, Latini *metam*, dixerunt. Alterutrum Græcos ὄνον, Latinos *asinum* vocasse, certum est, utrum vero, incertum. Unde μύλος ὀνικὸς *Matth. XVIII, 6, Luc. XVII, 2;*
XII— *Marc. IX, 42,* nec non loca: *Apoc. XVIII, 21, Jud. IX, 53, 2 Sam.*
XXVII. *XI, 21,* ut & aliæ veterum dicendi rationes, eæque bene multæ, capiunt lucem. *Tertia* pistrinorum species *molæ* sunt *jumentariæ*, eæque vel *asinariæ* vel *equinæ*, quas nimirum equi &
XXVIII— asini versabant, quales & in Germania hodieque usitatæ. De
XXXIV. his, nec non de publicis privatisque pistrinis Romanis, uberi-
p. 54—265. us hic actum videmus. In Cap. IV, quod *de Pistoribus, servis, ancillis, jumentis, aliisque in pistrino laborantibus*, multis exponit verbis, præter quamplurima classicorum Autorum loca, Biblica inprimis hæc: *Hos. VII, Exod. XI, 5, XII, 29,* ubi ancilla post molam sedens commemoratur, item *Job. XXXI, 10, Jes. XLVII, 2, Matth. XXIV. 41, Luc. XVII, 35, Jud. XVI, 21,* in quo Simsonis ad molas damnati fit mentio, *Thren. V, 13,*
§. I—LI. illuminata exhibentur. Cap. V *frumenta aliasque res in pi-*
p. 265—349. *strino molitas, item farinam, panes atque placentas* Autor explicat. Hinc non profani solum scriptores illustrantur, sed ex sacris etiam documentis, *Job. XXIV, 11,* הרפות *2 Sam. XVII, 19, Prov. XXVII, 22,* Chaldæorum ערסן, Ebræorum לחם

Gen.

Gen.III,19, *XIV,18*, *XVIII,5,6*, *XIX,3*, *XXI,14*, מצות, item loca *Gen. XL,1*, *XLI,55*, *Exod. XVIII,12*, *Job. XLII,11*, placentæ idololatricæ, *Jer. VII,18*, *XLIV,19*, nec non כוינים aliaque explanantur. Cap. VI *de Pistrinorum Diis, Coronatione*, §.I--XXXV.
Festis & Cantilenis ex antiquitate mythologica agitur. At si- p.350–386.
mul etiam, molæ silentium quomodo fuerit apud Ebræos olim miseriæ nota, ad *Eccles. XII,3,4*, *Jerem. XXV,10*, *Apoc.* §. I–XV.
XVIII,22, curatius hic inquisitum reperimus. Quo facto ipsa opella, in qua varia etiam adagia, ex molis petita, & in omnibus fere linguis usitata, explicata sunt, finitur.

Accedit ἐπίμετρον, in quo ex nonnullis Dissertationibus p.387–408.
virorum eruditorum quædam ad ipsas libelli paginas fusius illustrandas ornandasque excerpuntur. Adjecti sunt duo Indices, quorum prior dicta Scripturæ illustrata, alter vero res & verba memorabilia exhibet.

SCHEDIASMA, EXHIBENS DUAS REgulas universales, alteram pro Summis progressionum Numerorum Figuratorum cujuscunque generis & ordinis, non præsuppositis summationibus inferioribus, alteram pro latere eorum inveniendo, præsupposita summa respondente ordinis proxime inferioris; Autore HENRICO KÜHN, J. U. D. Regiomontano.

§.1. NUmerorum figuratorum doctrina multum curiositatis, utilitatis parum habere videtur imperitis, aliter sentientibus summis in re Mathematica arbitris, qui uno ore, hanc Theoriam non tantum ad ingenium acuendum inservire, sed & haud raro in problematibus difficillimis adminicula inexpectata suppeditare, data occasione contitentur. Nec mirum hoc videri debet. Sunt enim numeri figurati species progressionum Arithmeticarum altioris gradus. Quæ si una cum

 pro-

progressionibus Geometricis altioris gradus satis excultæ fuerint, nullum dubium, si quid recte judico, superest, quin clavem suppeditaturæ sint ad maxime recondita, quæ hactenus omnem Mathematicorum diligentiam eluserunt, reseranda.

§. 2. Vir summus, *Christianus Wolfius*, in *Analysi finitorum* ex proprio ingenio §. 182 generaliter docuit invenire numerum figuratum cujuscunque generis & ordinis, ita tamen, ut semper respondens figuratus proxime inferioris ordinis datus supponatur, ut adeo superiores haberi nequeant, nisi inventis prius omnibus inferioribus. Idem primus (§. 183 loc. cit.) publice dedit regulam universalem pro summis numerorum triangularium cujuscunque ordinis, non præsupposito triangulari ordinis inferioris, (quanquam & post eum eodem fere tempore Celeberrimum Geometram, *Jacobum Bernoullium*, talem regulam dedisse ex his *Actis A. 1714 p. 21* innotuit;) nec non regulam pro latere numerorum polygonorum seu figuratorum secundi ordinis inveniendo (§. 180 ibidem). Ultra, quod sciam, hactenus ventum non est. Equidem in ipsis his *Actis Anni 1725 p. 270* ex Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1722 mentio fit, *de Lagny* scripsisse Tractatum de progressionibus Arithmeticis omnium graduum in infinitum, in quo agit de resolutione æquationum determinatarum omnium graduum, & promittit, se Calculum integralem seu summatorium harum serierum alio tempore daturum, & ad Geometriam applicaturum. Verum etsi hunc Tractatum videre mihi non licuerit, ex Recensionis tamen verbis colligo, nihil pro summis numerorum figuratorum cujuscunque generis & ordinis in eodem contineri.

§. 3. Quare cum haud ita pridem detexerim regulam universalem pro summis numerorum figuratorum quantumvis alti generis & ordinis, non præsupposita summa figuratorum inferioris ordinis; nec non regulam universalem pro latere numeri figurati quantumvis alti ordinis & generis determinando, dato tamen figurato ordinis proxime inferioris; item regulas, per quas idem in numeris polymutilis præstare licet;

operæ

operæ pretium me facturum putavi, si easdem nunc publici juris facerem, præsertim cum spes accedat, fore, ut & alii, qui forsan magis otio abundant, hisce meditationibus excitentur ad numerorum figuratorum, ceterorumque, quorum in §. 1 mentio injecta est, theoriam perficiendam.

§. 4. Per numeros figuratos primos, secundos, tertios &c. intelligo quosvis terminos ex primi, secundi, tertii &c. ordinis progressionibus Arithmeticis ab unitate incipientibus. Progressio autem Arithmetica secundi ordinis est, quæ oritur ex summatione progressionis Arithmeticæ simplicis: tertii ordinis, quæ ex summatione progressionis Arithmeticæ secundi ordinis. Et sic porro.

§. 5. Communiter quidem sub numerorum figuratorum nomine veniunt numeri polygoni, seu summæ progressionum Arithmeticarum primi ordinis ab unitate incipientium, hoc est, quivis termini ex progressione Arithmetica secundi ordinis ab unitate incipiente; imo nonnunquam & omnes numeri altius figurati sub hoc nomine comprehenduntur. Nihilominus, quia omnino commodius videbatur, si ratio denominationis cum exponente tam ordinis progressionis quam dimensionis, ad quam latus in expressione numeri figurati assurgit, congrueret, numeros figuratos paulo generalius definiendos esse censui, ita ut progressio Arithmetica simplex, sed ab unitate incipiens, jam numeros figuratos primos constituat.

§. 6. De progressionibus figuratis notum est, in triangularibus differentiam ultimam seu constantem esse 1, in quadrangularibus 2, in pentagonis 3, &c. adeoque generaliter a−2, si a denotet numerum angulorum figuræ, a qua numeri figurati nomen mutuantur. Cum præterea in quacunque progressione figurata terminus primus sit 1, posito (brevitatis gratia) v pro a−2, erit generaliter

Series laterum - - - -	1.	2.	3.	4.	5.	6 &c.
Series differentiarum constantium	1.	v.	v.	v.	v.	v.

Numeri

Numeri figurati

primi ordinis,	1.	1 + v.	1 + 2 v.	1 + 3 v.	1 + 4 v.	1 + 5 v.
secundi, -	1.	2 + v.	3 + 3 v.	4 + 6 v.	5 + 10 v.	6 + 15 v.
tertii,	1.	3 + v.	6 + 4 v.	10 + 10 v.	15 + 20 v.	21 + 35 v.
quarti,	1.	4 + v.	10 + 5 v.	20 + 15 v.	35 + 35 v.	56 + 70 v.
&c.				&c.		

§. 7. Quodsi hæ progressiones figuratæ generales cum notissimis progressionibus triangularibus hic subjectis comparentur,

Series laterum - - -	1.	2.	3.	4.	5.	6 &c.
Series differ. constantium	1.	1.	1.	1.	1.	1.
Numeri triangulares primi,	1.	2.	3.	4.	5.	6.
secundi,	1.	3.	6.	10.	15.	21.
tertii,	1.	4.	10.	20.	35.	56.
quarti,	1.	5.	15.	35.	70.	126.
&c.				&c.		

levi opera animadvertere licebit sequentia:

1 Quamlibet illarum progressionum generalium e. g. 1. 4+v. 10+5v. 20+15v. &c. per additionem componi ex duabus aliis diversi ordinis triangularibus, quarum posterior per differentiam constantem generalem v multiplicata est, nempe ex 1. 4. 10. 20 &c.
&ex (0. 1. 5. 15 &c.) v.

2 Harum progressionum posterioris terminos (0. 1. 5. 15 &c.) v esse ejusdem (quarti) cum terminis in progressione generali 1. 4 + 1 v. 10 + 5 v &c. ordinis, prioris vero terminos 1. 4. 10. 20 &c. esse ordinis proxime inferioris.

3 Latus progressionis triangularis in posteriore, unitate deficere a latere in priore, sive, quod eodem redit, a latere in progressione generali.

§. 8. Ex his consequitur, si latus in progressione figurata generali sit n, fore (§. 183 Anal. finit.) formulam universalem pro quovis numero figurato indeterminati generis & ordinis:

$$\frac{n.\ n+1.\ n+2\ \&c.}{1.\ 2.\ 3.} + \frac{v[n-1].\ n.\ n+1.\ n+2}{1.\ 2.\ 3.\ 4.}\ \&c. = \frac{n.\ n+1.}{1.\ 2.}\ \frac{n+2}{3}\ \&c.$$

$\frac{n+2}{3}$ &c. + $\frac{v[n-1].n.}{4.}\ \frac{n+1.\ n+2}{1.\ 2.\ 3}$ &c. $= \left[1+\frac{v(n-1)}{4}\right]$ $\frac{n.\ n+1.\ n+2}{1.\ 2.\ 3}$ &c. $= \frac{[4+v(n-1)]}{4}\ \frac{n.\ n+1.\ n+2}{1.\ 2.\ 3}$ &c. $=$ (substituendo pro v ipsius valorem $a-2$), $\frac{[4+(a-2)(n-1)]}{4}$ $\frac{n.\ n+1.\ n+2}{1.\ 2.\ 3}$ &c. Quodsi jam exponens ordinis numerorum figuratorum (qui idem est cum exponente dignitatis, ad quam latus n in expressione numeri figurati ascendit, (§. 5 hic & 183 Anal. finit.) generaliter dicatur m, erit, praeponendo fractiones, quarum numerator est major, formula generalis pro quovis numero figurato indeterminati generis & ordinis

$$R\ldots\frac{[m+(a-2)(n-1)]}{m}.\ \frac{n+m-2.}{m-1}\ \frac{n+m-3.}{m-2}\ \frac{n+m-4}{m-3}\ \&c.\ \frac{n+m-m}{m-m+1}.$$

E. gr. quaeritur quintus numerus tetragonus ordinis secundi, erit $a=4$, $a-2=2$, $m=2$, $n=5$, adeoque numerus quaesitus $= \frac{2+2.\ 4.}{2}\ \frac{5+2-2}{1} = \frac{10.}{2}\ \frac{5}{1} = \frac{50}{2} = 25$. Similiter si desideretur sextus numerus tetragonus ordinis tertii, erit, ceteris manentibus ut ante, $m=3$, $n=6$,

1.	2.	2.	2.	2.	2 &c.
1.	3.	5.	7.	9.	11
1.	4.	9.	16.	25.	36
1.	5.	14.	30.	55.	91.

adeoque numerus quaesitus $= \frac{3+2.\ 5}{3}.\ \frac{6+3-2}{2}.\ \frac{6+3-3}{1} = \frac{13}{3}.\ \frac{7}{2}.\ \frac{6}{1} = 13.\ 7 = 91.$

§. 9. Cum ex genesi numerorum figuratorum superiorum ordinum (§. 6) manifestum fit, progressionem figuratorum ordinis m esse summatricem progressionis proxime inferioris ordinis $m-1$; istius vero progressionis inferioris terminus generalis fit $\frac{[(m-1)+(a-2)(n-1)]}{m-1}.\ \frac{n+(m-1)-2}{m-2}.$

$\frac{n+(m-1)-3}{m-3}$ &c. $\frac{n+(m-1)-(m-1)}{(m-1)-(m-1)+1}$. (§. 8); intelligitur, formulam R simul esse formulam universalem pro summis progressionum numerorum figuratorum cujuscunque ordinis m—1, ut adeo sit R ... $= \int \left[\frac{[(m-1)+(a-2)(n-1)]}{m-1} . \frac{n+(m-1)-2}{m-2} . \frac{n+(m-1)-3}{m-3} \text{ \&c. } \frac{n}{1} . \right]$ E. gr. quaeritur summa sex primorum numerorum tetragonorum secundi ordinis, erit $m-1=2, a=4, n=6$, adeoque $\int \left[\frac{[2+2.5]}{2} . \frac{6+2-2}{1} \right] = \int \left[\frac{12}{2} . 6 \right] = \int 6^2 = 1+4+9+16+25+36 =$ R ... $= \frac{3+2.5}{3} . \frac{6+3-2}{2} . \frac{6+3-3}{1} = \frac{13}{3} . \frac{7}{2} . \frac{6}{1} = 13.7 = 91.$

§. 10. Pro dati numeri figurati (q) cujuscunque ordinis (m) & generis (a) dati, una cum respondentis figurati (p) proxime inferioris ordinis (m—1), aut tantum eorundem rationis (q : p) latere (x) inveniendo, fiat per Regulam universalem R in §. 8 datam,

$$q = \frac{[m+(a-2)(x-1)]}{m} . \frac{x+m-2}{m-1} . \frac{x+m-3}{m-2} . \frac{x+m-4}{m-3} \text{ \&c. } \frac{x}{1}, \text{ \&}$$

$$p = \frac{[m-1+(a-2)(x-1)]}{m-1} . \frac{x+m-3}{m-2} . \frac{x+m-4}{m-3} \text{ \&c. } \frac{x}{1}$$

Quodsi jam in valore rationis q : p termini per easdem quantitates dividendo & multiplicando contrahantur, prodit $q : p = [m+(a-2)(x-1)](x+m-2) : m[m-1+(a-2)(x-1)]$. Multiplicatis extremis & mediis, & deletis in aequatione, quae se mutuo destruunt, habebitur

$$\frac{p(a-2)x^2 + [p(am-m-3a+6) - qm(a-2)]x = qm}{(m+1-a) + p(am-m^2+4-2a)}$$

$$x^2 + \frac{p[m(a-1)-3a+6] - qm(a-2)}{p(a-2)} x = \frac{qm(m+1-a)+}{}$$

p[m

$\frac{p[m(a-m)-2(a-2)]}{p(a-2)}$. Calculi abbreviandi causa hæc æquatio supponatur esse eadem cum sequente $x^2+\frac{f}{t}x=\frac{g}{t}$, erit $x^2+\frac{f}{t}x+\frac{f^2}{4t^2}=\frac{g}{t}+\frac{f^2}{4t^2}=\frac{4tg+f^2}{4t^2}$, & $x+\frac{f}{2t}=\frac{\sqrt{(4tg+f^2)}}{2t}$, & $x=\frac{\sqrt{(4tg+f^2)}-f}{2t}$. E. gr. sit $a=5$ $m=3$, $q=18$, $p=12$, quæritur latus x. Quoniam est $t=12(5-2)=12.3=36$; $g=18.3(4-5)+12[3(5-3)-2.3]=-1.54+12(3.2-2.3)=-54$; $f=12(3.4-3.5+6)-18.3(5-2)=12(12-15+6)-54.3=12.3-162=-126$; erit $x=\frac{\sqrt{(4.36.-54+126.126)}+126}{72}$, (dividendo per 6) $=\frac{\sqrt{(-4.54+21.21)}+21}{12}$, (dividendo per 3) $=\frac{\sqrt{(-4.6+7.7)}+7}{4}=\frac{\sqrt{(49-24)}+7}{4}=\frac{\sqrt{25}+7}{4}=\frac{5+7}{4}=\frac{12}{4}=3$.

1.	3.	3.	3
1.	4.	7.	10
1.	5.	12.	22
1.	6.	18.	40
1.	7.	25.	65

§. 11. Si a sit $=3$, hoc est, si dati numeri figurati sint ex triangularium genere, in æquatione pro latere inveniendo devenitur tantum ad æquationem simplicis dimensionis. Est enim tunc $q:p=\frac{[m+(a-2)(x-1)]}{m}\cdot\frac{x+m-2}{1}:[m-1+(a-2)(x-1)]=\frac{x+m-1}{m}\cdot\frac{x+m-2}{1}:\frac{x+m-2}{1}=x+m-1:m$. consequenter $qm=px+pm-p$, & $\frac{qm-pm+p}{p}=x$.

§. 12. Quodsi datorum numerorum figuratorum unus sit ordinis binario inferioris $(m-2)$, $a=3$, æquatio pro latere

 in-

inveniendo fit cubica. Est enim tunc $q:p = \frac{[m+(a-2)(x-1)]}{m} \cdot \frac{x+m-2}{m-1} \cdot \frac{x+m-3}{1} : \frac{[m-2+(a-2)(x-1)]}{1}$.

Valor ipsius x hic invenitur, ut in reductione aliarum æquationum cubicarum. Si ordines figuratorum sint m & $m-3$, devenitur ad æquationem biquadraticam, si sint m & $m-4$, ad æquationem quintæ dimensionis, & ita porro.

§. 13. E contra si sit $a=3$, & ordines figuratorum triangularium m & $m-2$, æquatio pro latere inveniendo ascendit tantum ad quadraticam. Est enim tunc $q:p = \frac{x+m-1}{m} \cdot \frac{x+m-2}{m-1} \cdot \frac{x+m-3}{m-2} : \frac{x+m-3}{m-2} = x+m-1 \cdot x+m-2 : m(m-1)$. Unde $p(x+m-1)(x+m-2) = qm(m-1)$, adeoque $p[x^2+(2m-3)x+(m^2-3m+2)] = qm(m-1)$, cujus reductio ad x facilis est. Si ordines triangularium fuerint m & $m-3$, eodem modo ostenditur deveniri ad cubicam æquationem, si fuerint m & $m-4$, ad biquadraticam, & sic porro.

§. 14. Numerus figuratus mutilus est differentia duorum figuratorum ejusdem generis & ordinis, sed lateris diversi. Dicitur in specie numerus figuratus mutilus, bis mutilus, ter mutilus, &c. prout latus figurati subducendi, (quod exponens mutilationis dici potest) fuerit 1, 2, 3 &c. adeoque in genere numerus figuratus polymutilus audit, quando & mutilandi latus & exponens mutilationis est indeterminatus. E. gr. 39, 34, 22 sunt numeri pentagoni tertii ordinis, mutilus, bis mutilus, ter mutilus (vid. Exemplum ad §. 10.). Nam $39=40-1$, $34=40-6$, $22=40-18$, ubi 40, 1, 6, 18 sunt ejusdem generis & ordinis figurati, quorum latera respective sunt 4, 1, 2, 3.

§. 15. Dato ergo exponente mutilationis (c), inveniri potest expressio generalis pro quovis numero figurato

to polymutilo. Cum enim figuratus quicunque (§. 8) fit $\frac{[m+(a-2)(n-1)]}{m} \cdot \frac{n+m-2}{m-1} \cdot \frac{n+m-3}{m-2} \cdot \frac{n+m-4}{m-3}$ &c. $\frac{n}{1}$, & fimilis figuratus lateris c fit $\frac{[m+(a-2)(c-1)]}{m} \cdot \frac{c+m-2}{m-1} \cdot \frac{c+m-3}{m-2} \cdot \frac{c+m-4}{m-3}$ &c. $\frac{c}{1}$; erit harum expreffionum differentia = formulæ generali pro quovis numero figurato polymutilo (§. 14).

§. 16. Nec difficulter intelligitur, qua ratione ex dato genere (a) & ordine (m) dati numeri polymutili (h), una cum refpondente figurato æque polymutilo (k) ordinis proxime inferioris (m—1), & exponente mutilationis (c), inveniatur latus (x) numeri figurati polymutili, aut rectius dicendo mutilandi. Nam primo per §. 8 quærendus eft figuratus ordinis & generis dati, cujus latus = c, erit ifte $r = \frac{[m+(a-2)(c-1)]}{m} \cdot \frac{c+m-2}{m-1} \cdot \frac{c+m-3}{m-2} \cdot \frac{c+m-4}{m-3}$ &c. $\frac{c}{1}$. Cum enim hanc formulam nulla incognita ingrediatur, valor ipfius r reductus haberi poteft. Secundo inveniatur novus figuratus ejusdem generis & lateris, fed ordinis m—1, erit ille $t = \frac{[m-1+(a-2)(c-1)]}{m-1} \cdot \frac{c+m-3}{m-2} \cdot \frac{c+m-4}{m-3}$ &c. $\frac{c}{1}$. Fiat tertio h + r = q, & k + t = p, erit q numerus figuratus ipfe mutilandus ordinis m & lateris x, p vero refpondens figuratus mutilandus ordinis m—1 & lateris x (§. 14). Quo facto cum problema reductum fit ad problema §. decimi, x habetur per §. 10. E. gr. fint dati quarti & tertii ordinis pentagoni bis mutili 58 & 34, quæritur latus x. Quia a = 5, m = 4, c = 2, h = 58, k = 34, erit $r = \frac{4+3 \cdot 1}{4} \cdot \frac{2+4-2}{3} \cdot \frac{2+4-3}{2} \cdot \frac{2+4-4}{1} = \frac{7 \cdot 4 \cdot 3 \cdot 2}{4 \cdot 3 \cdot 2 \cdot 1} = 7$, & t =

 3+3.1

$\frac{3+3\cdot 1}{3} \cdot \frac{2+4-3}{2} \cdot \frac{2+4-4}{1} = \frac{6.\,3.\,2}{3.\,2.\,1} = 6$, adoque h + r = q = 58 + 7 = 65, & k + t = p = 34 + 6 = 40. Unde per §. 10 reperietur $x = 4$.

G. F. R. ADDITAMENTUM AD SCHEdiasma præcedens. Conf. Suppl. Act. T. IX Sect. VIII p. 338.

UTile sæpenumero ac jucundum est, easdem res diversa methodo pertractare. Quo minus dubitandum videtur, quin bene operam suam collocaverit doctiss. Autor præcedentis schediasmatis; quanquam satis apparet, eum nec Celeb. *Jac. Bernoullii* artem conjectandi, neque etiam meum legisse scriptum, quod in ipsis horum *Act. Supplem. T. IX* extat. Ibi enim methodum plane universalem exhibuisse mihi videor computandi series figuratas quascunque. Quam methodum etsi eo loco tantum ad numeros figuratos primi ordinis, id est, ad naturales sive laterales, triangulares, pyramidales, ceterosque superiorum graduum, (quippe quos κατ' ἐξοχὴν vocare figuratos plerique solent) applicui, haud tamen difficile est, eandem etiam longius extendere, ad series quasque numerorum polygonorum, tetragonorum, pentagonorum, omniumque ordinum, qui sequuntur. Quod paucis nunc docere constitui.

Et quidem quod attinet ad series figuratas primi ordinis, quas universas dicere, ampliori quodam sensu, trigonales licet, constare arbitror ex earum genesi, in superiori meo Schediasmate explicata, si A, sive ipsa series numerorum naturalium, pro serie primi gradus habeatur, B esse seriem gradus secundi, seu numerorum trigonalium proprie ita dictorum, C gradus tertii, D quarti: denique E esse seriem gradus sive generis cujusque *c*, (pro qua litera Nobiliss. *Kuhnius* habet *m*;) ita tamen, ut hæ series figuratæ omnes sint compositæ, per primum membrum, quo simplices fiant, dividendæ.

Series

Series figuratæ primi ordinis, seu trigonales:

A.	1,	2,	3,	4,	&c.
B.	1.2,	2.3,	3.4,	4.5,	&c.
C.	1.2.3,	2.3.4,	3.4.5,	4.5.6,	&c.
D.	1.2.3.4,	2.3.4.5,	3.4.5.6,	4.5.6.7,	&c.
E.	1.2.3......c,	2.3.4...... $\overline{c+1}$,	3.4.5..... $\overline{c+2}$,	4.5.6.... $\overline{c+3}$,	&c.

Harum igitur serierum membrum quodlibet, si numerus, quo illud a primo abest, vocatur *n*, sequens exprimit formula generalis, satis nota V:

V. n. $\overline{n+1}$. $\overline{n+2}$.......... $\overline{n+c-1}$.

Jam pari ratione in seriebus figuratis secundi ordinis, seu tetragonalibus, si rursus A pro serie primi gradus numeretur, erit F series composita secundi gradus, G tertii, H quarti; I cujusque gradus *c* indefinite.

A.	1,	2,	3,	4,	&c.
F.	1.2,	2.4,	3.6,	4.8,	&c.
G.	1.2.3,	2.3.5,	3.4.7,	4.5.9,	&c.
H.	1.2.3.4,	2.3.4.6,	3.4.5.8,	4.5.6.10,	&c.
I.	1.2.... $\overline{c-1}$ c,	2.3....c. $\overline{c+2}$,	3.4.... $\overline{c+1}$. $\overline{c+4}$,	4.5.... $\overline{c+2}$. $\overline{c+6}$,	&c.

Porro in seriebus pentagonalibus, erit K series composita (vel etiam simplex, si per membrum primum divisa intelligatur,) gradus secundi, L tertii, M quarti; N generatim gradus cujusque *c*.

Series figuratæ tertii ordinis, seu pentagonales:

A.	1,	2,	3,	4,	&c.
K.	1.2,	2.5,	3.8,	4.11,	&c.
L.	1.2.3,	2.3.6,	3.4.9,	4.5.12,	&c.
M.	1.2.3.4,	2.3.4.7,	3.4.5.10,	4.5.6.13,	&c.
N.	1.2.... $\overline{c-1}$ c,	2.3....c. $\overline{c+3}$,	3.4.... $\overline{c+1}$. $\overline{c+6}$,	4.5.... $\overline{c+2}$. $\overline{c+9}$,	&c.

Hinc patet, si *a* dicatur numerus angulorum polygoni, a quo series figurata nomen habet, duabus unitatibus minutus, hoc est, si in trigonalibus sit a=1, in tetragonalibus a=2, in pentagonalibus a=3, & ita porro, tum seriem O, per membrum primum divisam, in universum exprimere seriem quamque figuratam simplicem, cujusque ordinis & gradus, & formulam X quodlibet ejusdem seriei membrum; postremo seriem P, similiter divi-

divisam per membrum primum, esse summatoriam seriei O, & formulam Y generatim quodvis hujus seriei membrum exhibere. Q. E. J.

$$O.\ 1.2\ldots\ldots\overline{c-1}.c,\ 2.3\ldots\ldots c.\overline{c+a},\ 3.4\ldots\ldots\overline{c+1}.\overline{c+2a},$$
$$4.5\ldots\ldots\overline{c+2}.\overline{c+3a},\ \&c.$$

$$X.\ \frac{n.\overline{n+1}.\overline{n+2}\ldots\ldots\overline{c+n-2}.\overline{c+(n-1)a}.}{1.2.3\ldots\ldots\ldots c.}$$

$$P.\ 1.2\ldots\ldots c.\overline{c+1},\ 2.3\ldots\ldots\overline{c+1}.\overline{c+1+a},\ 3.4\ldots\ldots\overline{c+2}.\overline{c+1+2a},$$
$$4.5\ldots\ldots\overline{c+3}.\overline{c+1+3a},\ \&c.$$

$$Y.\ \frac{n.\overline{n+1}.\overline{n+2}\ldots\ldots\overline{c+n-1}.\overline{c+1+(n-1)a}.}{1.2.3\ldots\ldots\ldots\overline{c+1}.}$$

Ut res exemplis illustretur, quæramus cum Nobiliss. *Kuhnio* quintum numerum tetragonium, gradus secundi: eritque in formula X, $n=5$, $c=2$, $a=2$, ideoque numerus inveniendus $=\frac{5.10}{2}=25$. Quæratur sextus numerus quadrangularis seu tetragonius, gradus tertii: erit $n=6$, $c=3$, $a=2$, ob eamque rem numerus desideratus $=\frac{6.7.13.}{6.}=91$. Sit porro invenienda summa sex priorum membrorum in serie tetragonali, secundi gradus; erit in formula Y, $n=6$, $c=2$, $a=2$, propterea que rursus summa quæsita $=\frac{6.7.13}{6}=91$. Sit denique computanda summa quatuor priorum membrorum in serie pentagonali, quarti gradus: erit in eadem formula Y, $n=4$, $c=4$, $a=3$, atque adeo summa desiderata $=\frac{4.5.6.7.14}{1.2.3.4.5.}=\frac{11760}{120}=98$.

Quodsi valorem literæ *n* unitate minuere, ac numerum membrorum non per *n*, sed per $\overline{n+1}$, exprimere placeat, tum quidem formulas X & Y paullo simpliciores fieri, atque in formulas XX & YY mutari manifestum est.

$$XX.\ \frac{\overline{n+1}.\overline{n+2}\ldots\ldots\overline{c+n-1}.\overline{c+na}.}{1.2.3\ldots\ldots c.}$$

$$YY.\ \frac{\overline{n+1}.\overline{n+2}\ldots\ldots\overline{c+n}.\overline{c+1+na}.}{1.2.3\ldots\ldots c+1.}$$

Duo sphalmata typographica in Schediasmate meo superiore animadverti. Nam pag. 342. lin. 25 pro $\overline{c+3}$ legendum $\overline{c+2}$, & p. 343 lin. 17 pro $\overline{n+3}$ legendum $\overline{n+c}$. Quod notare hac occasione non alienum existimavi.

):(o):(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXXI.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENtiarum Imperialis Petropolitanæ. Tomus II ad Annum 1727.

Petropoli, typis Academiæ, 1729, 4 chart. aug. Alph. 2 plag. 20½ Tabb. æn. 30.

VOlumen hoc alterum, quod Illustrissima Academia Scientiarum *Annæ*, Augustissimæ Russorum Imperatrici, sub auspicium regiminis obtulit, non minus præclara continet, quam primum, de quo in *Actis A. 1729 p. 337 & 431 sq.* diximus, quemadmodum ex sequentibus apparet.

In *Classe Mathematica* æquationem differentialem primi gradus $adx+bdy+cxdx+fxdy+eydx+gydy=0$, in qua a, b, c, e, f, g sunt coefficientes cum suis signis + vel − utlibet dati, construere docet *Hermannus*. De resistentia mediorum in Phoronomia Lib. 2 Cap. 19 agens, in Scholio Prop. 72 asseruerat, nondum constare, qua ratione curva resistentiarum construi debeat, ne quidem concessis quadraturis, quando resistentiæ sunt ut celeritates mobilis: id quod ansam dedit *Nicolao Bernoulli* & *Comiti Ricato* in eam rem penitius inquirendi. Quamobrem cum uterque reperisset, curvam quæsitam algebraicam esse posse; ipse æquationem illam differentialem, sub qua tanquam casus particularis curva resistentiarum medii continetur, construendam sibi sumsit. Nunc vero constructionem publici juris facit ex intervallo, quod usus ejus frequentior esse possit in resolutione multorum problematum Matheseos mixtæ. Duplicem vero exhibet analy-

sin, & altera quidem nititur methodo, quam Tomo primo Commentariorum dedit. *Majerus* theoremata trigonometrica proponit, quæ vel nova sunt, vel saltem istis demonstrandis inserviunt, nec commode lectori tanquam aliunde nota supponi possunt. Inter ea occurrit theorema generale, via analytica repertum, ex quo facili opera communia Trigonometriæ sphæricæ præcepta per modum Corollarii deducuntur. Ostendit modum regulas omnes trigonometricas, utcunque compositas, solo sinuum artificialium canone expediendi, & problemata difficiliora per calculum literalem solvit, quemadmodum tentaverat *Jacobus Kresa* in Analysi speciosa Trigonometriæ sphæricæ &c. applicata, de qua diximus in *Actis A. 1721 p. 137 & sqq.* ut adeo usum algebraici calculi in Trigonometria luculentum ostenderit. *Goldbachius* de transformatione serierum, seu in aliam ejusdem summæ conversione, agit. Ad transformationem serierum scilicet hoc requirit, ut, si singuli termini seriei transformandæ A auferantur ex singulis terminis seriei transformatæ B, singuli termini residui transeant in novam seriem C=B−A, cujus summa =0, & ex adverso, si series quæcunque, cujus summa sit = 0, addatur ad seriem transformandam A, prodeat series transformata B. *Leutmannus* accuratam bilancium constructionem & correctionem tradit. Singulas expendit regulas, & ubique nova artificia communicat, quibus defectus per accurata examina detecti corriguntur. Describit novam bilancem absque lingula, admodum celerem atque accuratam, a se inventam, non modo minutissime persequens ejus constructionem, verum etiam ad ejus justificationem artificem manuducens. Delineat bilancem cum centro seu axiculo scapi mobili, quoniam difficillimum, investigare centrum bilancis scapi ad æqualem brachiis longitudinem dandam, iisdemque æqualem gravitatem inducendam. Construere denique docet bilancem docimasticam singularem, pondusculа probatoria mole octies auctiora admittentem, &, ne quid desit tractationi, descripto fulcimento quodam bilancium probatoriarum commodo de ponderibus quoque agit, maxime autem iis, quæ ad bilancem probatoriam

toriam ſpectant. *Keplerus* in Tabulis Rudolphinis f. 72 proponit problema de ſtationibus planetarum hujus tenoris: *Cuilibet anomaliæ planetæ ſuos commutationis angulos aſſignare, in quibus is fiat ſtationarius.* Solutionem ejus exactam, quæ hactenus deſiderata fuit, dare ſtuduit *Majerus*, uſus theorematis ſuis trigonometricis, de quibus paulo ante diximus. Monet, duos eſſe problematis hujus caſus, quorum primo data ſupponuntur loca tam terræ, quam planetæ in ſuis orbitis, apſidum poſitione demum ex inventa commutatione ſtationaria determinanda; altero autem data ſupponitur apſidum poſitio una cum anomalia planetæ ſolius, anomalia autem terræ ſtationaria invenienda. Caſum poſteriorem in animo habuiſſe *Keplerum* & *Hallejum*, qui problematis ſolutionem aggreſſi ſunt; ex eorum tamen ſolutionibus conſtare, quod nonniſi primo, nec ei plene ſatisfecerint. *Keplerus* enim ſolutione utitur indirecta, utpote regula falſi innixa, &, quæ tanquam data aſſumenda ſunt, veluti celeritatum ratio & tangentium anguli, ipſi nonniſi prope vera cognita fuerunt. *Hallejus* orbitam terræ circularem ſupponit, & ex ſolutione caſus primi adornavit ſolutionem ſecundi, ſed eam indirectam, aſſumto loco telluris, qui quæritur, tanquam cognito ex conjectura, quemadmodum exponit *Keillius* in Introductione ad Aſtronomiam. Hiſce igitur nævis ut moderetur Noſter, viam directam oſtendit, qua utriusque caſus quæſita æquationibus algebraicis definiuntur, nullis uſus principiis novis, ſed in iis fere ſolis acquieſcens, quæ dedit *Keillius*. Regulam inventam exemplo, ex Tabulis *Rudolphinis* deſumto, illuſtrat. Satisfecit autem hac vice primo caſui problematis *Kepleriani* de ſtationibus. Quoniam enim æquatio algebraica pro caſu ſecundo ad ſextam dimenſionem aſcendit, nec ulla ipſi ſpes eſt eam deprimendi; ad praxin aſtronomicam merito inutilem cenſet, ejus loco commendans ſolutionem indirectam, ſumendo anomaliam quæſitam ex conjectura prope veram atque ita inquirendo commutationem ſtationariam per problema, ab ipſo ſolutum, qua inventa poſitionem primam corrigi & calculum repeti jubet, donec ſibi conſentiat. *Eulerus* exhibet

ſolutionem celebris in his *Actis* problematis Trajectoriarum reciprocarum, quod propoſitum *Tom. VII Supplement.* eamque generalem, unde formulas generales infinitas, maxime fœcundas, deducit. Diverſa eſt ab ea, quam dedit in *Actis A. 1727 p. 408. Daniel Bernoulli* theoriam novam condit de motu aquarum per canales quoscunque fluentium. Deducit eam ex conſervatione virium vivarum, quam, ne earum nomen ſtomachum nonnullis moveat, convenire monet cum principio *Hugeniano*, ab omnibus Geometris ſine ulla controverſia recepto, quod corpora, vi gravitatis ad deſcenſum utcunque ſolicitata, eam acquirant velocitatem, ut, ſi ſingula rurſus velocitate ſua finali directe aſcendant usque ad ſtatum quietis, commune centrum gravitatis ad priſtinam altitudinem redeat. In ſubſidium autem vocat principium alterum, quod velocitates fluidorum per vas inæqualiter amplum fluentium ubique ſint amplitudinibus reciproce proportionales. Docet igitur primo, data celeritate, qua ſuperficies aquæ in tubo quocunque movetur, invenire vim vivam totius maſſæ aqueæ. Deinde velocitatem aquæ determinat, qua fluidum ſingulis momentis effluit per tubum, utcunque formatum, & quocunque foramine perforatum. Ex formula generali deducit ſpecialem pro tubo cylindrico verticali, ſive ipſius foramen ſit finitum, ſive infinite parvum. Curvam æquabilis effluxus, quam *Varignonius* & *Mariottus* dederunt pro clepſydra æquabilis deſcenſus, in qua ſcilicet ſuperficies fluidi æqualibus temporibus æqualiter deſcendit, fallere in fine & in principio, nec circa medium ſatisfacere, ex eadem formula colligit, niſi quando foramen eſt valde parvum. Curvam vero veram eſſe eandem cum Anglorum Cataracta, qua phænomena aquarum effluentium explicare contenderunt. Ut vero theoriam ſuam magis confirmet, eam quoque ad vaſa cylindrica applicat, quibus tubi alii cylindrici anguſtiores annexi ſunt, cum in his experimenta facillime capi poſſint. A. 1726 *Sully* Pariſiis edidit deſcriptionem novi cujusdam horologii, ad inveniendam maris longitudinem ipſius opinione apti. Præcipuum inventum conſiſtit in novo quodam oſcillationum genere, a vacillatione troch-

trochleæ circa axem petito. Idque efficit inventor ope ponderis, trochleam semper versus certum situm solicitantis. Ut oscillationes istæ fiant isochronæ, ab accurata descriptione curvæ cujusdam lineæ dependet, quam in Geometria sublimiori rudis nnonisi capto sæpius experimento crassa Minerva determinavit. *Eulerus* igitur, Geometræ partes adimpleturus, ope calculi differentialis in naturam hujus curvæ inquirit, & ope rectificationis circuli eam construere docet: demonstrans simul, quod facilius & commodius in praxi evolutione fili, circulo circumducti, describatur. Addit alia ad eundem finem proficua. *Hermannus* proponit theoriam generalem motuum, qui nascuntur a potentiis quibusvis in corpora indesinenter agentibus, sive hæc corpora in vacuo ferantur, sive in medio resistente. Per potentiam indesinenter agentem intelligit eam, quæ ad producendum suum motum tempore opus habet. Factum ex potentia in tempus actionis pro quantitate actionis habet, quantitatem vero motus, quæ per factum ex massa in celeritatem exprimitur, pro effectu potentiæ habet atque actioni æqualem statuit, quod necessarius nexus sit inter quantitatem actionis & quantitatem effectus, quam se per æquipollentiam unius cum altero interpretari ait. Plurima hic tradi, quæ jam dudum præoccupata, nunc pervulgata sunt, non diffitetur Autor; non abs re tamen fore judicavit, si ea præsterneret solutionibus novis problematum quorundam novorum, quorum potissimum gratia hanc Dissertationem conscripsit. *Goldbachius* quædam proponit de divisione curvarum in partes quotcunque; quarum subtensæ sint in data progressione. Etsi autem non ignoraret, *Joannem Bernoulli* jam diu invenisse formulas ad divisionem anguli in datas quascunque partes; cum tamen easdem memoria non teneret, ab arcu circuli in partes quotcunque datas dividendo auspicari voluit. Astronomiæ peritis ignotum non est, solstitiorum inventionem ex altitudinibus solis meridianis, ob insensibilem fere declinationis illo tempore mutationem, difficillimam atque ancipitem esse: id quod ansam dedit *Hallejo* modum alium excogitandi, quo solstitiorum momenta certius deteguntur, in Transactionibus

 Angli-

Anglicanis expoſitam, & inde a *Gregorio* in Elementa ſua Aſtronomiæ translatam. Alium modum, quo paria cum *Hallejo* ſe præſtare poſſe confidit, excogitavit *Majerus*. Quoniam vero methodo interpolationis, a *Newtono* in Principiis tradita, nititur; totam interpolandi doctrinam ante exponit, quam ſolſtitiorum inventionem eidem ſuperſtruit, ne quid in applicatione difficultatis ſuperſit, cum non aliud agat *Majerus*, quam ut per interpolationem ex altitudinibus ſolis, circa ſolſtitium obſervatis, tempus ejus eruat. Præſtantiam methodi exemplo ſolſtitii anni 1727 confirmat. *Hermannus* communicat theorema, cujus ope innumerarum æquationum differentialium primi gradus, per viam ſeparationis indeterminatarum cum ſuis differentialibus a ſe invicem, conſtructio, conceſſis quadraturis, exhiberi poteſt. Æquationes iſtæ omnes revocantur ad hanc formam $y = Px + q$, in qua x & y ſunt coordinatæ curvæ conſtruendæ, P vero & q utlibet compoſitæ ſunt ex tertia indeterminata z & conſtantibus. *Johannes Bernoulli* ſelecta dedit theoremata pro conſervatione virium vivarum demonſtranda & experimentis confirmanda. Theoremata illa ſine demonſtratione proponuntur. Agunt autem potiſſimum de vibrationibus chordarum & oſcillationibus fluidorum in tubis reflexis. Demonſtrationes ſe alias daturum promittit, additurus leges communicationis motus pro corporibus perfecte elaſticis, quæ rotando ſe mutuo impellunt. Monet, multa alia per theoriam virium vivarum commode explicari poſſe, quæ ex aliis principiis difficulter, nec ſine ambagibus determinantur. Experimenta inſtituta ſunt Petropoli in Academia Scientiarum in diverſis corporibus, eaque plane cum theoria convenire, obſervatum fuit. *Daniel Bernoulli*, theoremata paterna, ex principio conſervationis virium deducta, perlegens, obſervavit, omnia illa, quæ circa motum corporum rotantium verſantur, pendere a debita centri virium determinatione. Intelligit autem per centrum virium punctum, in quo ſi tota maſſa concipiatur unita, eadem ex motu ipſius oriatur virium vivarum quantitas, quæ corpori moto ineſt. Dedit igitur demonſtrationes Geometricas de mutua relatione

centri

centri virium, centri oscillationis & centri gravitatis. Inter alia centrum virium determinare docet in corporibus circa centrum gravitatis rotatis. *Hugenius* primus invenit, cycloidem vulgarem evolutione sua seipsam generare. Deinde *Tschirnhusius* invenit curvam alteram, quæ evoluta se ipsam generat, causticam nempe semicirculi, quæ epicyclois est. *Jacobus Bernoulli* addidit tertiam, scilicet logarithmicam spiralem. *Krafftius* methodum generalem proposuit inveniendi curvas, quæ evolutæ se ipsas generant. Demonstrat autem inde, curvas, quæ evolutæ ipsæ se generant, esse epicycloides omnes sub quavis proportione circuli mobilis ad immobilem, cycloides ordinarias & logarithmicas spirales omnes, sub quocunque angulo tangentis & rectæ ad punctum fixum ductæ, neque præter has dari alias.

In *Classe Physica Bülffingerus* contemplatur phænomena tubulorum capillarium. Dissertatio prolixissima est. Recensentur in ea phænomena quinquaginta, in quorum numero sunt quædam ab aliis nondum observata. Examinat Noster aliorum hypotheses, per quas phænomenon naturæ solutu difficillimum explicant, & in quibus sibi deficere videantur, monet. Quid vero sibi videatur de causa hujus phænomeni, in sequente Tomo se expositurum, promittit. *Du Vernoi* describit glandulas cordis, quas in elephante & aliis animantibus observavit. Cor erat nullo sensibili vitio, nulli inflammationi sensibili obnoxium. Glandulæ in membrana interna conspiciebantur, sine microscopii ope, sub forma tuberculorum, caput aciculæ æquantium & albicantium, quæ propter membranam, instar vitri transparentem, statim in conspectum prodibant. Non conjugatim, sed in diversa a se invicem distantia hinc inde disponebantur. In dextro ventriculo major erat earundem copia, quam in sinistro; in colore tamen, magnitudine & distributione nullum discrimen observabatur. In medio apicis punctum exiguum nigricans vidit, quod pro ductus excretorii orificio habet: corpus ipsum glandulæ albicans erat & eandem firmitatem habebat, qualis in glandulis duræ matris atque intestinorum deprehenditur. Glandulis hisce tribuit,

quod

quod lymphæ in sanguinem nunquam transmutandæ affundant succum rubicundum, seu sanguinem purum. *Daniel Bernoulli*, de actione fluidorum in corpora solida & motu solidorum in fluidis agens, primo loco expendit pressionem aquarum fluentium. Intelligit autem per pressionem conatum, quo fluida removere nituntur solida quiescentia, quibus occurrunt. Ejus quantitatem ope Analyseos infinite parvorum determinare docet. Secundo loco examinat ultimas velocitates corporum in mediis resistentibus. Quoniam autem resistentia in corporibus diversæ figuræ varia est; ipse tantum globos considerat. Tertio loco agit de motu corporum, gravitate vel levitate sua deorsum vel sursum motorum. Occurrunt hic theoremata plane nova, quibus occasionem dedere experimenta, a Dn. *Günthero* cum tormentis bellicis instituta. Ipsas motuum quantitates & mensuras exemplo *Newtoni* per experimenta ad numeros revocat. Experimenta *Güntheri* quarto loco considerat, & ad calculum similiter revocat. Seligit autem potissimum ea, in quibus tormentorum situs omni cura accommodatus fuit ad perpendiculum, simul observando quantitatem pulveris pyrii & tempus, quod globus in ascensum & descensum impendebat. *Buxbaumius* describit nova quædam plantarum genera. Primo loco *Badiogam* in medium adducit, quam *Rutheni* vocant. Prostat in officinis pharmacevticis Moscuæ, & usus ejus multus est in livoribus oculorum aliarumque partium a verberibus. Secundum genus *Lupinastrum* vocat, quod ad ripas Wolgæ intra Astracanum & Czarizinam crescit. Tertium est *Poliifolia*, quæ in sylvis uliginosis circa Petropolin copiose occurrit. *Eulerus* phænomena aeris explicare tentat. Supponit, aerem constare acervo infinitarum minimarum bullularum, in quibus materia subtilis motu circulari gyratur & vi centrifuga bullulas continuo expandere conatur. Supponit præterea bullulas pelliculis obductas, quas pelliculas a vaporibus deducit, ut adeo crusta exterior sit aquea. Huic hypothesi ansam dedit elasticitas aeris. Constat enim, *Joannem Bernoulli* omnem vim elasticam a vi centrifuga materiæ subtilis deducere, usum principio, quod cona-

tus

tus a materia mota ortum trahat, si ea in gyrum moveatur. Agit vero simul Geometram, & calculo determinare studet quantitates in applicatione hypotheseos ad phænomena obvias. *Buxbaumius* plantas quasdam dubias ad sua genera refert. *Du Vernoi* accurate penem elephantinum describit, qui fere longitudinem hominis & cruris crassitiem æquare visus est. Sex nimirum pedes ac decem pollices longus, 80 libras Russicas pendebat. Figura conica erat, cujus major ambitus $2\frac{1}{2}$ pedum, in medio $1\frac{1}{2}$ ped. in extremitate $10\frac{1}{2}$ poll. Singulas partes accuratissime delineat: sed, cum prolixissima sit descriptio, institutum nostrum non fert, ut eam in compendium mittamus. *Bülffingerus* specimen exhibet de frictionibus corporum solidorum. Experimento sæpius instituto inveniri jubet angulum elevationis, quo dato corpus plano impositum tantum non descendit, descensurum, si nonnihil augeatur, & hæsurum cum aliqua adversus descensum renitentia, si minuatur angulus elevationis. Hunc angulum quietis vocat, eoque invento, inferri porro jubet: ut sinus totus ad sinum rectum anguli quietis, ita pondus absolutum ad frictionem ejus super plano ad prædictum angulum inclinato. Item: ut sinus totus ad tangentem anguli quietis, ita pondus absolutum ad frictionem ejus super plano horizontali, cum trahitur in directione ad horizontem parallela. Colophonis loco additur observatio anatomica de receptaculis castorei.

Inter *Observationes Astronomicas*, quas in observatorio Imperiali hoc anno instituit *de l'Isle*, primo loco comparent observationes eclipsium satellitum Jovis, & his succedunt aliæ altitudinis Poli. Determinat autem altitudinem Poli Petropolitanam 59° 56′ 13″, distantiam stellæ polaris a polo 2° 8′ 50″. Eandem ex altitudinibus Solis solstitialibus eruit 59° 55′ 50″; obliquitatem vero eclipticæ 23° 28′ 30″. Notatu dignum est, quod observationes altitudinum Solis meridianarum diebus 23, 24 & 25 Decembr. A. 1728 dederint Observatori indicium augmentatæ circa solstitii altitudinem refractionis. Tribus istis diebus refractio obtinuit uno scrupulo major, quam vulgo solet. Attigit vero Mercurius barometri simplicis tribus istis diebus

summam altitudinem, quam quidem alioquin per duos annos nondum observavit. Monet autem circumspectus Astronomus, se de genuina elevatione Poli Petropolitana nihil statuere, nisi demonstratis antea refractionibus, huic usui adhibendis, quod se facturum promittit in sequente Commentariorum Tomo.

Quæ has *Observationes* proxime præcedit *Classis Historica* & *Critica*, aliquot iterum exornatur bellis Dissertationibus *T. S. Bayeri*, in quibus 1) *de Cimmeriis*, quæ gens illa, unde orta, & quas terras petierit postea, exquirit; 2) *Nummos decem Erythræorum in Jonia illustratos* dedit, quorum novem *J. C. Buxbaumius* Constantinopoli secum advexerat, decimum *Car. Patinus* alicubi leviter attigerat in Nummis Impp. notato inprimis *Harduino*, qui in nummo tali, quem tamen Erythræis in Boeotia tribuit, perdicem pro noctua agnoverat; 3) *Nummum Gyrtones urbis Thessalicæ illustratum*, admodum integrum, ex ejusdem *Buxbaumii* beneficio sistit; 4) *Veterem Inscriptionem Prussicam*, lectu admodum difficilem, explicat & illustrat. Verum cum, de his prolixius referri, non patiatur institutum nostrum; subjiciemus mox integram Clar. *Bayeri* Dissertationem, nuper ad nos transmissam, & paulo propius nos spectantem, quæ in Commentariis his paulo serius forte fit comparitura. Saltim vitam *Nicolai Bernoulli*, quæ ultimo loco a C. G. adjecta est huic classi Historicæ, tanto lubentius perlustrabimus, quod & illius nomen ex Actis his nemini obscurum esse potest. Natus is fuit patre celeberrimo *Johanne* d. 6 Cal. Febr. A. 1695 Basileæ, sed infans vix octomestris cum parentibus Groningam migravit, qui post decennium Basileam cum eo reverterunt. Interea octo annorum puer Germanice, Gallice, Belgice & Latine loquebatur, & A. 1708 civium Academicorum, & A. 1711 Doctorum Philosophiæ numero, patre Decano, adscriptus, cum Arithmeticæ differentialis, integralis & exponentialis jam tum optime gnarus esset, ad Jurisprudentiam animum convertit, & Idib. Nov. A. 1715 sub *Jac. Battierio*, Juris Antec. Basileensi, post publicam *de Jure detractus* Disputationem, Licentiam, quam vocant, ad supremos in

Jure

Jure honores adſcendendi impetravit. Poſtquam itaque jam bis in Italiam & ſemel in Galliam exceſſiſſet, ſed brevi ob aeris ſibi infeſti inclementiam revocatus in patriam fuiſſet, ibique inter tres de cathedra juris decertans, ea excidiſſet, mox Bernam quidem, ubi ſortis nulla ratio, ad ſimile munus conceſſit. At mox cum amiciſſimo fratre juniore *Daniele* vocatus Petropolin, eo cum illo conceſſit, urbemque hanc intravit die 6 Cal. Nov. A. 1725, ubi poſt octo menſes febri lenta oppreſſus eſt d. 8 Cal. Aug. A. 1726.

DE THEOPHILI SIGEFRIDI BAYERI, Regiomontani, Orthographia Mungalica, quam Academiæ Petropolitanæ tradidit A. 1730, Cal. Dec.

Ante annos octo ex *Arabſiade* & *Abul Mohaſem* duo ſcripturæ orientalis genera دلبرجين *Delbergjin* & ايغور *Oigur* quæ eſſent, demonſtravi. (1) Literas *Delbergjin* Tibetanas ſeu Tangutanas eſſe, at literas *Oigur* Mungalicas, ita evici, ut nihil ſuperſit dubii. Cur autem Mungalicæ *Oigur* dictæ fuerint, ex *Abulgaſi Bahadur Chan* cognoſci poteſt. Hanc ſententiam meam duobus poſt annis (2) confirmavi, literasque has Mungalicas edidi, ut tum quidem mihi notæ erant. Poſtquam Petropolin veni, nactus ſum alphabetum Brahmanicum, Tangutanum & Mungalicum, in ipſa Sina typis impreſſum ita, ut hæ literæ inter ſeſe collatæ deſcribantur. Hoc eximium ſpecimen orientalis literaturæ e Siberia advexit D. *Meſſerſchmidius*, Gedanenſis, qui nunc in patria agit, ſumma in his rebus ſeptentrionalis Aſiæ notitia inſtructus. Opus erat Oedypo in interpretando illo alphabeto. Mihi res, ut puto, bene ceſſit. Exſtabit igitur hoc alphabetum trium ſcribendi generum Tomo tertio Commentariorum Academiæ Petropolitanæ. Tandem hoc anno ſerio cœpi cogitare de literatura Mungalica. Contuli enim hoc alphabetum Mun-

(1) In Epiſtola ad *Jo. Samuelem Strimeſium*, A. 1722. Vide *Hiſtorie der Gelehrſamkeit unſerer Zeiten p. 385.*

(2) In Epiſtola ad *Jo. Burchardum Menckenium*, A. 1725. Vid. *Suppl. Actorum T. IX Sect. I p. 20.*

galicum cum libris & schedis Mungalicis, & intellexi, duo iterum genera hujus scripturæ exstare: majores literas illo in alphabeto contineri, minores in libris tum excusis, tum scriptis manu. Et quanquam scriptura altera ab altera non abhorret, tamen satis magna differentia est.

Nactus sum denique tabulas Geographicas, excusas in Sinis, in quibus flumina, montes, lacus, urbes, oppida, loca alia extra murum numero fere ad quatuor millia scripta erant literis Mungalicis. Et, quod me inprimis juvit, adjecta erat separatis in schedis maximæ partis interpretatio Latinis literis, ab homine quodam, quod cognosci ex pronuntiationis ratione potuit, Italo profecta. Hic Italus interpres, nescio quis, Mungalica ipse legere non potuit. Quod ex frequentibus aberrationibus earumque quasi natura sensi, Mungalum aliquem adhibuit, cujus, veluti oraculi cujusdam Delphici, effata, sæpenumero non satis percepta & observata, imitatus est literis Latinis. Deinde, ne omnis in eo culpa resideat, apographo tantum hujus interpretationis usus sum, in quo per quarundam Latinarum literarum congruentiam erratum etiam sæpe fuit, ut *a* pro *e*, aut *i*, tum *r* pro *n*, atque sic multa alia confuse essent scripta. Utrumque incommodum, dicam, ut superaverim. Primum, quia is ipse interpres Italus partem etiam quandam Sinicorum characterum intra murum iisdem in chartis Geographicis Latine descripsit, ex his intellexi, quos sonos quibus literis enunciaverit, quæve literæ in ore Germano illius literis convenirent. Deinde cum in provincia *Leaotung*, quæ extra murum est, nomina locorum pæne omnia sint Sinica, literis tamen Mungalicis scripta; quod pronuntiationem literarum & syllabarum Mungalicarum attinet, haud parum e Sinicis sum confirmatus. Alterum incommodum diligenti observatione sustuli. Nam tum meum alphabetum, quod in his *Actis* est editum, tum MS. quoddam *Koleseri de Keres-eer*, Consiliarii Imperatoris Romani in Transylvania, & alphabetum Calmucicum in *Nicolai Vitsenii* Tataria orientali, (3) tum aliud

(3) p. 121 in prima editione; nam in secunda hoc alphabetum omissum est.

aliud Calmucicum, quod Vir Clariss. *Chr. Frid. Groffius*, Collega meus, Moscuæ pro me impetravit a Calmucicæ legationis interprete; denique alphabetum in Sinis excusum cum Mungalicis vocibus in charta Geographica & interpretatione Italica contuli. Quanquam hoc alphabetum, ut dixi supra, veterem scripturam continet, cetera vero aut confusa, aut imperfecta, aut perperam exarata erant, tamen his auxiliis negotium confeci. Sine offensione legebam Mungalica, cum mihi ad novum conficiendum alphabetum, & orthographiam describendam ducem adsciscerem & magistrum *Joan. Franciscum Gerbillonium*, Jesuitam, cujus Grammaticam Mongulensem, quanquam sine & nomine Autoris & Mungalicis literis, *Melchisedecus Thevenotus* in Collectione itinerum rarissima evulgavit. Quantus omnis hic labor fuerit, non meum est dicere, aliorum erit existimare. Hic autem *Gerbillonius* cum in Sinis ageret, primum octo menses linguæ Mungalicæ operam navavit, tum vero ei & *Joachimo Buveto Cam Hi* Rex magistrum in aula dedit.(4) Explicavit deinde *Gerbillonius* Regi Mungalice Europæas artes omnes & disciplinas, tantoque in honore fuit, ut vix a latere ejus discederet. A. 1688 cum *Thoma Pereira* legatis Sinicis adfuit, qui in Selinga urbe de pacis conditionibus agebant cum Ruthenis, & anno post in urbe Niptschu, ditionis item Ruthenicæ, ubi de pacis fœdere convenit. (5) Scripsit etiam Lexicon Mungalicum, ut ipse testatur, quod in scriniis alicubi latere puto.

Descripsi mihi eodem tempore omnia loca Mungalica e chartis Geographicis, simul cum interpretatione & latitudine atque longitudine. Duplex hujus operæ dos. Nam inter scribendum multo accuratius omnes illius scripturæ minutias contemplatus sum, & Lexicon Geographicum istarum regionum mihi condidi, quod alias quoque juvare nos poterit. Tandem cum chartas omnes & libros Mungalicos, tum qui in Bibliotheca Imperatoria sunt, tum quos ipse mihi comparavi, inspexi, nihil novum reperi, quin expedite legerem omnia.

Dixi in his *Actis*, mihi videri, Mungalicas literas factas esse e Parthicis, Parthicas ex Syriacis. Parthicas appellavi veteres Persicas literas, quibus adhuc Persæ exules in India ad Gangem utuntur. Et quidem literarum Mungalicarum cum Syriacis convenientia tanta est, quanta potest esse ulla. Vide rem hac in Tabula:

(4) *Buvetus* in Icone regia p. 61.

(5) Epistola *Gerbillonii* edita in Novissimis Sinicis *Leibnitii* p. 171.

	Mogolice.	Syriace.	Parthice.
a		a	
n		n	n
g.h.k		ch.k	ch
p. b		p	p
ſ		ſ	ſ ſ
t.d		t	t
l		l	l
m		m	m
k		k	k
Jota		i	i
tſ. z		tz. z	z

	Mogolice.	Syriace.	Parthice.
r			*r*
v. f		*v*	*v*
g			*g*
pan		*pam*	
kan		*kam*	

Videtis, opinor, Perficas literas tractu temporis atque quæfita fcribarum arte multo longius a priftina Syriacarum forma abiiffe, quam Mogulenfes. Parthi æque ac Mungali habent formas vocalium intermiftas confonantibus. Hæ ipfæ formæ vocalium e Syriacis funt ortæ

	a	*e*	*i*	*o*	*u*
Syriacæ.					
Mungalicæ.					
Parthicæ.					

Et veteres Syri quoque, præfertim in Affyria, literatas vocales admifcuiffe videntur. Nam Mendaitæ, quos Sabaitas & Nabathæos

bathæos & Chriſtianos S. Joannis vulgo vocant, ad Sinum Perſicum & in Baſſora libros pervetuſtos adhuc habent, permiſtis inter conſonantes vocalibus. (6) Neque hoc puto prætermittendum, quod in ſecunda & quinta vocali Mungalenſes puncta ponunt ſic, ut Syri, e. g.

Mogol.	Syr.	Mogol.	Syr.	Mogolice.	Syriace.
pe		Kem			Zetun.
pu		Kun			

Ex iſtius rei obſervatione ſuſpicor fere, literas Mungalicas non ſic antiquas eſſe, ut ſub Imperio Perſarum e Perſicis aut Aſſyriis ſint factæ. Syri duo vocalium genera adhibent, alterum recentius e Græcis vocalibus α ε η ο υ factum, alterum vetuſtius, puncta ad alterutrum latus literarum. Iſthoc inventum Syri *Theophilo Edeſſeno* tribuunt, qui anno Chriſti 785 deceſſit, hoc S. *Ephraemo*, qui fato functus eſt circiter annum Chriſti 373. (7) Et illis quidem non niſi Maronitæ utuntur, his etiam Jacobitæ & Neſtoriani. Quare Neſtoriani, cum in extremo Oriente ante A. C. 1150 & poſtea florentes haberent eccleſias,& in aulis magno in honore eſſent, literas has Mungalicas e Syriacis aut feciſſe aut reformaſſe mihi videntur. Qua in ſententia me confirmat teſtimonium *Abul Mohaſemi*, quod in Epiſtola ad *Jo. Burchardum Menckenium*, in *Supplem. Act. Erud.* l.c. produxi. Quod rem magis adhuc confirmat, memoria teneo, *Salamonem Aswadi*, (*Nigrum* ſe Italico vocabulo inter nos appellabat,) Damaſcenum, longe doctiſſimum virum,

(6) *Abrahamus Ecchellenſis* in Notis in Ebed Jeſu p. 244.

(7) *Aſſemanus* Bibliothecæ Orient. T. I p. 54, 55, 64, 521, & multa de his *Abrahamus Ecchellenſis* in Ebed Jeſu.

rum, mihi oſtendere, Syros, cum legunt libros ſuos, ſane a dextera ad ſiniſtram oculos circumducere, at cum ſcribunt, verſa charta literas a ſumma pagina exorſos, pendente quaſi linea & verticali exarare, donec in imo deſinant. Sic etiam *Abrahamus Ecchellenſis* in Ebed Jeſu: (8) *Omnes aliæ linguæ ſuos characteres & literas a dextera ſiniſtram verſus, vel vice verſa ſcribunt. Syriaca vero ſola ſuas ducit lineas pectus verſus.* Hæc res nota etiam Græcis fuit, cum & *Euſtathius* Theſſalonicenſis & *Dionyſii* Thracis Scholiaſta (cujus Fragmentum nobis dedit Cel. *Jo. Albertus Fabricius*) literas χαμαιφόρȣς prodant. Hujus rei notitiam non habuere aliunde Græci, quam ab his Syris: nam de extremi Orientis literatura multo minus conſtitit omnis ævi Græcis, quam de regionibus ipſis: erant autem regiones orientales, præter Taprobanam & quandam maritimæ Indiæ partem, ſummis in tenebris. Ergo Mungali lineas ſuas χαμαιφόρȣς non a Sinis acceperunt, ſed a Syris. Et Sini has χαμαιφόρȣς lineas ordiuntur a dextera, Mungali vero item, ut Syri, a ſiniſtra.

De numero literarum *Arabſiades* & *Abul Mohaſem*, quorum teſtimonia produxi in *Actis*, ſic ſcribunt: eſſe literas tantum quatuordecim ea cauſa, quod literæ gutturis omnes eodem charactere exprimantur, tum quod vicinæ ſono literæ *be* & *pe*, *ze* & *ſin* & *zad*, *the* & *dal* & *da*, item eandem formam habeant. Literas gutturis omnes eodem charactere ſcribi, obſcurius dictum. Literæ gutturales Arabum ſunt احخهعغ. Mungali omnes fere has literas exprimunt per eam formam, quam tertio loco poſui. At iidem tamen, ut videtis, formam literæ *a* habent, quæ ad gutturales quoque referri debet. In ceteris *Abul Mohaſem* & *Arabſiades* vera nobis prodiderunt. Unum autem de literis *ze*, *ſin*, *zad* obſerva, eas unica litera, quam quinto loco retuli, a Mungalis exprimi. Nam undecima litera *Arabſiadi* atque alteri autori non ص aut ض Arabicum, ſed ج *gjim* exprimere viſa eſt. Et quantum e *Gerbillonio* intelligo, hunc fere iſta litera ſonum habet. Sic ſunt, ut vide-

(8) p. 246.

videtis, in alphabeto Mungalico, prouti e Syriaco ortum est, literæ *Arabſiadis* & *Abul Mobaſemi* quatuordecim. Et forma literarum ايغور *Oigur*, quam e MSS. *Arabſiadis* & *Abul Mobaſem* protuli in *Actis*, plane ſunt Mungalicis noſtris ſimiles, niſi quod aliquantum ab imperitis ſcribis deturpatæ fuerunt, ut amplius dubitari non poſſit, Mungalicas eſſe *Arabſiadis* literas ايغور *Oigur*. Ex hoc deinde alterum conſequitur, ut literæ دلبرجين *Delbergjin* ſint Tangutanæ ſeu Tibetanæ. Sed de his alias.

Mungali, cum cernerent, has literas non ſufficere, novas alias condiderunt ex his ipſis, paucis adjectis apicibus. Sic in alphabeto meo ſunt formæ literarum tres & viginti. Has literas tredecim in claſſibus (Mungali vocant *capita*) recenſui.

Primo in *Capite* exſtant literæ initiales cum ſex vocalibus, (duo enim *u* habent, diverſa forma, pronunciatione non diſcrepante,) & literæ eædem, ut ſcribuntur in medio. Eſt enim aliqua in nonnullis diverſitas, ut etiam ſupra cernitis in alphabeto, in quo literæ ipſæ ſine vocalibus poſitæ ſunt. *Secundo* in *Capite* literæ initiales ſunt cum quinque diphthongis, *ai*, *ei*, *ii*, *oi*, *ui*. In *Tertio Capite* ſunt literæ initiales cum ſex aliis diphthongis *au*, *eu*, *iu*, *öö* ſeu *öü*, *üü*, & *iui*. Duo puncta ſuper *oo*, *ou* & *uu* ſunt ſigna diæreſeos. In *quarto Capite* ſunt literæ tum initiales, tum mediæ, in fine definentes vocalibus & diphthongis. In *quinto Capite* ſunt literæ deſinentes in *r* cum præcedentibus vocalibus & diphthongis. In *Capite ſexto* ſunt literæ eodem modo terminatæ in *n*. In *ſeptimo Capite* ſunt literæ eodem modo terminatæ in *ng*, ſeu *m* Luſitanicum. In *octavo Capite* ſunt literæ terminatæ in *k*. In *nono Capite* ſunt literæ terminatæ in *s*. In *decimo Capite* ſunt literæ terminatæ in *t*. In *undecimo Capite* ſunt literæ terminatæ in *p*. In *duodecimo Capite* ſunt literæ terminatæ in *l*. In *decimo tertio Capite* ſunt literæ terminatæ in *m*.

Itaque harum πολυτρόπων καὶ πολυμόρφων literarum formæ eſſe poſſunt 2737, quod facilius e tabulis meis intelligetur.

getur. Ne quis autem ad tantam multitudinem perhorrefcat. Nam infignis eft harmonia, ut paucis metamorphofibus cognitis, ceteræ quoque expeditæ fint. Præterea Mungali non omnibus literarum omnium metamorphofibus in lingua & fcriptis fuis utuntur. At e contrario plures adhuc habent literas, ut ex alphabeto in Sinis accuratiffime excufo intellexi, e. g. *p* diverfum a *b*, & literas quasdam duplices. His vero non utuntur, nifi in Tangutanis & Brahmanicis feu Indicis vocibus aut libris. Ordinem harum literarum alium in hoc, quod modo dixi, alphabeto fervant, quia, cum Brahmanicas, Tangutanas, & Mogolicas literas quafi inter fe comparant, ordinem Brahmanicum fequuntur. At ego ordinem & literarum & capitum fecutus fum, quem mihi *Gerbillonius* in Grammatica, Mungalorum exemplo præivit. In duobus mutavi. Nam fyllabas, diphthongis *au*, *eu*, *iu*, *óü*, *üü*, *iui* terminatas, in decimo Capite recenfent, nos in tertio pofuimus, ut effent omnes fyllabæ cum vocalibus compofitæ propiori in confpectu. Quartum vero Caput inferui. Mungali enim literas has finales cum vocalibus & diphthongis exeuntes, feparatim explicare folent.

Calmucci eodem alphabeto utuntur, fed literis fere quadratis. Quasdam literas, ut fuæ linguæ minime neceffarias, non agnofcunt, unam literam *p* adjecerunt. Ceterum in vocalibus quoque difcrepant, & potius rationem eam, quæ eft in alphabeto, in Sinis excufo, fequuntur, quam hanc, e fcriptis Mungalorum a nobis proditam.

Hoc quoque obfervandum, Mungalos æque ac Tangutanos, libros fuos in chartis oblongis & feparatis quafi fchedis defcribere, hasque chartas intra duos afferes reponere. Unaquæque charta, ut dixi, χαμαιφόρως defcripta eft, fic autem verti debet, ut caput alterius paginæ cum calce prioris paginæ conveniat. Sic inquam, ut nummi plerique omnes Romani fignati funt: nam fumma πρωτομὴ eadem in regione cernitur, in qua funt pedes navis, ut veteres averfam nuncupabant. Circuli majores duo in unaquaque pagina æquali fpatio confpiciuntur. Quod argumento eft, chartas defcriptas effe e fo-

liis arborum, in quibus Indi, imo etiam nonnunquam Tangutani, (vidi ipse) scribunt. In his foliis arborum duo foramina haud longe ab extremitatibus exstant, (ut in meo libro Malabarico *Nidi Vempa* & multis aliis cernere potest, qui volet,) per quæ foramina trajiciunt fila, ut folia cum asseribus cohæreant, & hoc veluti cardine folia vertantur. Hoc ex superstitione, tantum imitantur Mungali & Tangutani in libris e foliis Brahmanicis Mungalico charactere descriptis. Nam multas alias oblongas chartas e libris Mungalicis sine his circulis vidi, quasdam ipse possideo.

De speciminibus, quæ *Thomas Hyde* in Historia religionis veterum Persarum edidit, quædam non ingrata monebo. Tabulam XV nuper in Museo Sinico, quod Petropoli editum est, putavi literas Sinicas *cursivas* (ut vocabulo noto utar) continere. Litera prima me fefellit, quam putavi Sinicum *siao* esse. Sed verum est, quod *Hyde* dixit, quodque ipse antea sensi. Sunt enim voces Sinicæ Mungalicis literis, sed depravatissimis scriptæ. Tabula XVIII iterum Mungalicis literis exarata est. Vide autem, cum legere voles, ut pictura illa tibi non ex adverso sit, sed a sinistra. Vidi alios etiam libros ad hunc plane modum picturis exornatos ab exordio. Tabula XVII literas sane Tangutanas habet, sed, quod adhuc in Europa ignotum fuit, dicam. Brahmanes duo genera literarum habent, majores & minores. Majorum aliquot, sed deturpatas, edidit *Kircherus*, & ex eo *Andreas Mullerus*, neque omnes tamen. Nos ex alphabeto, quod in Sinis excusum est, omnem illam copiam producemus. Sic Tangutanas quoque literas majores, quas in *Actis* protuli, ex eodem alphabeto, multo majori in luce ponam. At tum Brahmanes, tum Tangutani, literas habent quoque minores, in Europa adhuc ignotas, præterquam quod Tangutanæ minores in hoc specimine *Hydeano* conspiciuntur.



Duo subjungam. Alanos e montibus quibusdam Alanis & Alaunis repetunt multi veterum. Lingua Mungalica *Alin* significat *montem* quemcunque. Sic in chartis Geographicis *Vanta alin*, *Amki alin*, *Orbola alin*.

In

In Leaotung ſæpe ſic ſcribunt nomina montium: *Kuvan pija ſchan alin*, ubi *ſchan*, ſeu, ut Luſitani ſcribunt, *xan*, *montem* Sinice ſignificat, & tamen additum eſt Mungalicum *alin*. Ne quis putet, me Alanos a Mungalis tanquam ab ſtirpe repetere velle: non hoc mihi in mentem venit, ſunt enim in adverſum argumenta. At Alanos ſuſpicor eodem vocabulo *alin* uſos. Itaque cum ſe dicerent e *montibus* ſeptentrionalibus ſeu Vergaturiis profectos, cum ſe *montanos* vocarent, credo id nominis accepiſſe, *Alanos*. Hunni certe Mungali fuerunt, ut ab iis vocabulum *Alanorum* quoque pervenire potuerit ad Græcos.

Caſani urbis vetus eſt memoria, e quo nomine regnum ipſum appellatum puto. *Eduardus Pocokius* (9) ex Perſa aliquo narrat, cum *Baidu* Mungalo ex Gingiſcani poſteris قازان *Kaſanum* de regno & ſucceſſione contendiſſe. *Niruzum* Kaſani *Atabeg* ſeu tutorem captum a *Baidu* Rege eſſe & dimiſſum, quod jurejurando fidem dederat, ſeu potius verba, ſe, ſi libertatem conſequeretur, قازان *Kaſan* in manus Regis traditurum. At poſtea ei ollam miſit, ambigua voce jusjurandum eludens, nam قازان *Kaſan*, quod æmulo regni nomen erat, etiam *ollam* ſignificabat Tatarice. Credo etiam Mungalice. Eſt in Mungalia urbs *Kazan kaſchan*, *Kaſan, urbs*, quam puto ab *olla* quoque dici. At hoc nihil ad Caſanum noſtrum. Puto enim, alterum vocabulum Mungalicum *Kaſchan* ei nomen dediſſe. Mungali ſane non paucas urbes incolunt, & frequentiores vero, quo magis ad ortum vergunt. Urbes maximas, Sinice *Tu* dictas, Mungali vocant *Hoton* ſeu *Koton*; minores, ut dixi paulo antea, *Kaſchan*. Jam Caſanum noſtrum, ſeu potius قاشان *Kaſchan*, ut a Perſis & Arabibus nuncupatur, nomen ſuum habet Mungalicum & Calmucicum *Mangaſun*.

(9) In Supplemento *Abul Pharagii* p. 2.

Cum autem omnes urbes adjectum habeant seu *Hoten* seu *Kaschan*, vel ejusmodi aliquod appellativum, ex eo *Mangasun* nomen urbi mansit inter Calmuccos; at *Caschan*, seu *Casan*, quod nihil aliud, quam urbem, significat, ad nos usque pervasit.

Hæc, quæ de Mungalicis literis disserui, una cum ipsa Orthographia Mungalica, postquam in Academia recitata fuere, ad Illustrissimum Comitem *Ostermannum*, Procancellarium Imperii transmisi, cujus voluntate permotus, hoc negotium susceperam. Non modo autem cupide hunc laborem complexus est, sed etiam, qua est singulari in nos gratia, magis ad hanc literaturam illuminandam me excitavit, cum hujusce rei facultas nobis tribuatur, legatis Sinicis Moscuam venientibus, quibuscum interpretes Mungalos esse compertum est. Si quid quærere velim ac desiderare amplius, se sua autoritate effecturum, ut cognoscam. Eodem tempore Dissertatio communicata est cum Illustrissimo Comite *Bruceo*, summo exercituum Duce. Is etiam, pro veteri in literas & optimas artes studio, non modo humanissime ad me scripsit, sed etiam librum Mungalicum typis excusum transmisit, quem ante multos annos e Sinis acceperat.

Huic libro adjuncta est interpretatio Rutheni cujusdam manu scripta. Titulus libro majoribus literis scriptus:

Tschuva tschuve udschu, hoc est, *Duodecim Capita.*

Nam in hoc libro literæ seu Syllabæ linguæ Mandsur descriptæ sunt secundum duodecim classes, quas Mungali dixere Capita. Exstant autem Capite *primo* Syllabæ finales terminatæ

tæ vocalibus; *secundo*, Syllabæ finales terminatæ diphthongis *ai*, *ei*, *ii*, *oi*, *ui*, *oii*; *tertio*, Syllabæ finales terminatæ consonante *r*; *quarto*, Syllabæ finales terminatæ consonante *n*; *quinto*, Syllabæ finales terminatæ consonante *ng*; *sexto*, Syllabæ finales terminatæ consonante *k*; *septimo*, Syllabæ finales terminatæ consonante *s*; *octavo*, Syllabæ finales terminatæ consonante *t*; *nono*, Syllabæ finales terminatæ consonante *p*; *decimo*, Syllabæ finales terminatæ diphthongis, *au*, *eu*, *iu*, *oii*, *uu*, *oiu*; *undecimo*, Syllabæ finales terminatæ consonante *m*. Is ipse ille ordo Capitum est, quem *P. Gerbillonius* in Grammatica Mungalica sequitur.

Ex hoc libro multum profeci. Nam primum admodum confirmatus sum, me in hisce jam antea, quod verum est, repperisse; in paucis quoque nova didici, quæ antea nesciebam; tum vero ex hoc alphabeto intellexi, quas potissimum literas atque syllabas Mandsurenses in lingua sua usurpent. Nam plures literarum formas, quæ hoc in alphabeto non exstant, a me observatas, descripseram, quarum usus est in peregrinarum linguarum, & Tibetanæ, Brahmanicæ, aliarumque vocibus. Sed mediarum vocum literæ in hoc alphabeto prætermissæ sunt, in meo ex multa observatione exstant. Haud parum nonnullæ ex iis ab initialibus differunt.

HARIRII, ELOQUENTIÆ ARABICÆ Principis, tres priores Consessus, e Codice Manuscripto Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, pro specimine emissi ac Notis illustrati ab ALBERTO SCHULTENS.

Franequeræ, ex officina Wibii Bleck, Bibliopolæ, 1731, 4. Alphab. 1.

CUm eo ex tempore, quo Clariss. *Golius* Eloquentiæ Arabicæ specimen ex *Abi Mohammed Elkasim Basrensis*, *Harii* vulgo dicti, Arabum *Ciceronis*, Consessibus s. Dissertationibus, in consessu habitis, prima earum ex quinquaginta reliquis publicata, edidit, nemo, quantum scimus, elegantissimo huic Operi vertendo manum

manum porro admoverit; omnes illi, quorum palato orientales hæ cupediæ arrident, quique prisca illa grandiloquentia, in sacro etiam Codice usitata, delectantur, doctissimo nostro Autori multum eo nomine debent, quod non primam solum Dissertationem illam, selectissimis notis illustratam correctamque, typis iterare, sed & duabus sequentibus, Latina veste pulchrisque observationibus ornatis, augere voluerit. Argumentum harum Dissertationum ad bonos mores docendos, ut reliquarum omnium, ac Ethicam spectat, & jucundissima fictione contextum est. Quippe *Hemmami* quidam filius, *Harit* dictus, urbes illas, quibus Consessus singuli insigniuntur, peragrasse fingitur, ac in iis observata, venusto sermone refert, & senis cujusdam *Abuzeidi*, qui Protei instar alicujus sub variis formis ipsi apparuerit, sapientia monita ac præcepta, ex intimis Philosophiæ practicæ medullis fluentia, enarrat, quo figmento Autor usus esse videtur, ut eo minore invidia corruptissimos seculi sui mores reprehendere posset, & gratiore paulo sale perfricaret. Igitur in tribus his Dissertationibus, quarum prima *Sanaanensis*, ab urbe *Sanaa*, Arabiæ Felicis metropoli, altera *Hulwaniensis*, ab *Hulwan*, oppido quodam Iracæ, seu Assyriæ, quatuor diætis ab urbe Bagdado distante, tertia *Keilana*, a *Keila*, nobilissima Gassanidarum propagatrice, nomen accepit, multæ præstantissimæ sententiæ colloquiis amœnissimis, solutæ pariter ac ligatæ orationis floribus distinctis, interspersæ occurrunt, quas ex ipsa lectione haurire, quam hic excerpere, satius est, ut de amore mundi nimio p. 29, de hypocrisi & simulatione p. 33 & 181, de fortunæ iniquitate & inconstantia p. 39 & 117. de jactantia & superbia p. 49, de auri & argenti valore in rebus humanis dominante, p. 151 & 165. Tanta vero lectissimarum annotationum textui subjectarum copia est, ut omnia, quæ minutissime traduntur, per singulas partes exhibere non liceat. Hinc loca tantum Scripturæ sacræ, quæ ex lingua Arabica illustrat, excerpemus. Nempe p. 2 *Psalm. LXVIII, 15*, & *XLVIII, 3*, p. 4 *Dan. VI, 19*, p. 11 *Psalm. LXIII, 6*, p. 20 *Cant. VII, 10*, p. 24 *Ef. III, 8*, p. 34 *Prov. VII, 25*, p. 46 *Jes. XXX, 25*, p. 64 *Lev. I, 15*, & *V, 8*, p. 70 *Psalm.*

Psalm. CXL, 9, p. 130 *Lev.* XXV, 17, *Devter.* VII, 14, p. 153 *Psalm.* XC, 9. In complurium etiam Hebraicarum & Arabicarum Radicum significationem formalem & essentialem inquirit sagacissime, quod Lectorem earum peritum cognoscere juvabit. Non enim cujusvis est, Scholiastas Arabicos, verborum proprietatem subtiliter indagantes, quos studiose & magno cum fructu consuluit, evolvere, aut antiqua illa carmina perlustrare, eo tempore composita, quo linguæ puritas maxime floruit, in Præfatione ab ipso laudata, qualia sunt septem *Moallekat*, seu carmina in templo Meccano suspensa illustrium Poetarum, qui ante Mohammedem inclaruerunt, Anthologia veterum Poetarum, quæ *Hamasa* inscribitur, quia fortium virorum res gestæ in iis decantantur, *Diwan Hudeilitarum* f. Collectio amplissima carminum, a principibus tribus Hudeiliticæ confectorum, poema *Ibn Doreidi*, antiquas Arabici ingenii gratias ac veneres cum jam memoratis spirans, a quibus nec posteriores innumeri poetæ recedunt. Quam ob causam merito optamus rogamusque, ut Nobilissimus Autor non *Haririi* solum reliquas Dissertationes, haud vulgaribus Notis suis stipatas, sed & promissam Saladini historiam edere, nobisque reconditas has & in Bibliotheca Lugduno-Batava latentes orientales gazas porro recludere velit.

GUILIELMI OTHONIS REIZII BELGA Græcissans.

Rotterod. apud Jo. Hofhout, 1730, 8 maj.

Alph. 1 pl. 17.

CL. Autor, qui juvenem se vocat in fine Epilogi, (is in hoc libro Præfationis partes sustinet,) & patrem suum indicat p. 634 nobilem Novi Testamenti interpretem Germanicum, fratremque *Joannem Fridericum*, cujus observationibus se usum scribit p. 624, opus suscepit peregitque, ad quod diligentia & constantia majore opus fuit, quam ab illa ætate expectari vulgo solet. Inter causas laboris unam videtur in titulo indicasse versiculis ex *Phædro* παρῳδημένοις, 2, 10: *Quod si*

 labori

labori Belgica faverit meo, plures habebit, quos opponat Galliæ; quos non ita intelligimus, ut ingenia ingeniis opponi velit generatim, (in quo modestiam aliquis desideret, quam esse in viro doctissimo apparet,) sed, quod passim in ipso Opere præ se fert, ostensum ivit, majorem esse convenientiam Græcæ linguæ cum Belgica, quam cum illa Gallorum; quare passim *Henr. Stephanus* ab illo refutatur, (vid. præf. p. 148 sq.) & bona pars illius libelli ea causa inseritur. Ut huic proposito satisfaciat, Grammaticam utriusque linguæ comparat, facto ab ipsis literis initio. Nam præpositis Lib. I Cap. 1 virorum doctorum de convenientia harum linguarum testimoniis, in quibus nomen magnum etiam est n. 8 *Pet. Francius* in Præf. Belgica ad Orationem *Greg. Nazianzeni* Belgice a se conversam, Capite II Græcorum & Belgarum Orthographiam comparat. Cap. III de Articulo & nomine eorumque accidentibus agit. Hic obiter monet populares, ne abutantur licentia, in generibus nominum regnante inter Belgas, commendatque illis *Dav. van Hoogstraten* Catalogum de generibus Substantivorum. Circa terminationes casuum observat, Genitivum singularem utriusque populi plurimum exire in *s*, pluralem autem semper in *n*. Dualem Græcorum pro dialecto Attica, & variante pluralis numeri terminatione tantum habet. Comparat contracta Belgarum *Vaer*, *Moer*, *Boom*, *Goon* &c. ex *Vader*, *Moder*, *Bodem*, *Goden* &c. cum Græcorum *κέρατος κέρως*. Cap. IV, quæ sit convenientia ambarum linguarum in verbis & participiis, edocet. Hic inter alia, singulis Græcorum temporibus alia Belgarum respondere, ostendit. Apponemus locum. Cum enim in aliis eadem fere Germaniæ superioris linguæ (quam Alamannicam, aut Teutonicam vocare solet Noster) & Belgicæ ratio sit; hic Belgæ propius accedere ad Græcos videntur; nisi tamen illam temporum multitudinem novis potius scriptoribus debent, id agentibus, ut extenderent suæ linguæ pomœria, cum nostri fere sint modestioresne an timidiores? En igitur tempora Græcorum cum Belgicis comparata, p. 64 *τυπτω* (nusquam accentum apponere solet Noster) *ik sla; τυπτων ειμι, ik ben slaande; ετυπτον, ik sloeg; ην τυπτων,*

ik

ik was slaande; ετυψα, *ik heb geslagen*; ετυπον, *ik had geslagen*; τετυφα, *ik heb geslagen gehad*; ετετυφειν, *ik had geslagen gehad*; τυψω, τυπω, *ik sal slaan*, *ik wil slaan.* Pass. τυπτομαι, *ik worde geslagen*; ετυπτομην, *ik wert geslagen*; ετυφθην, *ik ben geslagen*, ετυπην, *ik was geslagen*; τετυμμαι, *ik ben geslagen geworden*; τετυμμενος ειμι, *ik ben geslagen geweest*: τετυμμενος ην, *ik was geslagen geweest*; τυφθησομαι, τυπησομαι, *ik zal geslagen werden*; *ik wil geslagen werden*; τετυψομαι, *ik sta geslagen te worden.* Nostra ratio participia activa fere refugit jungere verbo substantivo, qua in re prope luxuriatur Belgarum sermo. Vid. p. 75. Franci quidam & Suevi dicunt, *ich hab geschlagen gehabt*, *ich hatte geschlagen gehabt*; sed dissentientibus reliquis. Hic igitur copia vincimur haud dubie. Ita αντιθεσεις literarum ejusdem organi v. 9, *ik zoch* videbam, *wy zagen* videbamus, *zoeken* quærere, *gezocht* quæsitus &c. in Græcorum formandis temporibus frequentes, superiori Germaniæ non ita sunt familiares, neque tamen plane insolitæ v. 9, *bringen*, *gebracht*, *dencken*, *gedacht*. Verum hic etiam quærendum relinquitur, sintne apud Belgas ita antiqua, ut e Græco vel potius communi fonte Scythico repetita videri possint, an recentioris ævi inventa. Sed persequamur filum Autoris nostri. Comparat p. 67 augmenta Græcorum & Belgarum, itemque p. 70 anomala, & defectiva utrorumque: tum flexiones, v. g. prima & tertia pluralis utrobique fere in *n* desinunt, secunda pluralis amat literam *t*; infinita desinunt in *n*, quæ quidem omnia etiam ad Alamannos pertinent. Cap. V demonstrat Belgas in particularum significationibus & accidentibus græcissare. Cap. VI agit de vocum derivatione ac compositione Græco-Belgicis. Hic plura habet, ut nusquam non, jucunda atque erudita. Sed p. 92 collectiva nomina Belgarum, *gebeente*, ossa, *gebergte*, tractus montium, *gesternte*, sidera, *geboomte*, silva &c. quæ Substantiva sunt, nescio quam bene comparet cum Græcis in ωδης aut εις, εντος, quæ adjectiva sunt. Melius forte contendisset cum nominibus in ων, qualia δενδρεών, ἐλαιών, ἀνδρεών, παρθενών &c. Sed ita minus favet literarum similitudo & soni.

Ut specimine quodam rationem derivandi & componendi utriusque gentis declaret, proponit primo p. 99 familiam totam vocis γραφειν, decem classibus verba 298 complexam; dein de vocis *schryven* classibus totidem vocabula 345 continentem. Cap. VII de metaplasmi dialectorumque similitudine in ambabus linguis agit, figurasque percurrit Grammaticas. Jam quærit Cl. Autor Cap. VIII, unde hæc similitudo sit, & eam ipse ingreditur sententiam, ut cum *Salmasio* statuat p. 139, communem utriusque matrem esse Scythicam sive Gothicam, ita tamen, ut ne Hebraica excludatur, quæ vel ipsam Scythicam, ut ceteras linguas, genuerit. Illud hic videmur observasse, in seligendis exemplis, quibus origines Ebraicas Belgicorum verborum demonstratum ivit Noster, eum non satis fuisse felicem; v. g. Αισυλος malitiosus *ezel*, asinus, ex עצל piger; ρυμη vicus, platea, *Rums ruimte* locus, unde Anglis *room* conclave, & *Rums* spatiosus, Belgis *ruim* ex Hebr. רום exaltavit. Jam accedit ad illam partem, quæ totius libri primaria est, nimirum ad etymologicon Græco-Belgicum, ex eorum fere observationibus, qui eodem in argumento versati sunt, contextum; cui, bene fecit, quod Canonas quosdam, itemque excusationem præmisit. Absque his enim si esset, ad nimis multas objectiones sibi respondendum fore prævidit. Excusatio illa est p. 155: *Ingeniosis doctisque viris aliquid dandum fuit, præsertim si plures idem etymon posuerant. Eos enim*, inquit, *perspicaciori judicio, quam meum est, præditos multarum notationum justam rationem vidisse quidem, sed tacuisse, mihi persuaserunt aliquot voces* &c. Canones præsertim pertinent ad permutationes solennes literarum, quæ non nunquam ita deformant voces, ut nisi a peritis agnosci non possint. V. g. Gallicum *Eveque*, Hispanicum *Obispo*, Italicum *Vescovo*, Belgicum *Bisschop* & nostrum *Bischoff* ab επισκοπος, originem trahere, certissimum est. Utrum autem post excusationem illam etiam, & post Canonas laudatos, non supersit, quod aliquis in quibusdam etymologiis, ab Autore collectis, requirat, alii arbitrentur. Speciminis causa ex prima litera paucula depromamus. αγαταισθαι, βλαπτεσθαι. *Hesych.* Huic confert

fert noster Belgicum & nostrum *Schaden*, αγιος, *heilig*; αγχιπο-ρος, *Nabuur*, Alam. *Nachbar* & *Nachpaur* vicinus; αεθλος vel αθλος certamen. Huc pertinet *Adel* nobilitas, *edel* nobilis, ac fortasse *Adelaar* aquila; αητος insatiabilis, *eter* vorax. Obiter in Αιακος (inferorum ille judex) *Schuld*, inquit, & latinorum *solutio* derivarem ego ab Hebr. שאלה potius &c. Αἱδης Orcus, per quem & ipsi Dii jurabant. Nobis *Eet* vel *Eed* Germ. *Ayd* vel *Eid* jusjurandum notat. Αιθειν urere. Gothis *heito* est febris; ab eodem fonte videntur *esterik* pavimentum, tessera igne excocta, & *haten* odisse, ab ira aestuanti. In αλμυρις obiter laudat *H. B. Costerum*, a quo inter alia id genus didicerit, *Bataille* esse ab Arabico *Abtâlon*, h. e. viri bellicosi: *Sire* rex, ab Arab. *Cursy* thronus regius, unde nomen *Cyrus*. Αμιλλα certamen, *hamel* aries, utrumque ex Arabico *Hhamal* portavit arma in aliquem, qui Arabes arietem similiter *Hhamel* dicunt. Ανεψιος *neve neef* sobrinus. Ανθη Hesych. χρωματα. Convenit Belgicum *Ent* vel *int*, quod non semper atramentum, sed & alium colorem significat; ανθος pro κοσμος, cujus non minima pars sunt *Kanten*, quos Galli *denticulos* dicunt. Αραιος rarus, *raar*, unde forsan αρειων, & αριστος. Rari quippe boni. Αρεστον placitum *Arrest*; ασθενειν aegrotare, *stenen*, gemere; αστομος elinguis, *stom*; αφελλης Teut. *finster*, tenebrosus; αχεειν dolere, *wacken* Teut. *wachen*, vigilare; αχθομαι gravor, item succenseo, *Veete* & *Veede* antiquata pro inimicitiis, Teut. *Fehde*, hinc *feind vijant* & forsan *haten*, odisse: Germanis *acht* exilium est. Protulimus ista & pauca de multis, non traducendi Viri Cl. causa, aut eorum, quorum ille inventis utitur, quod neutri merentur: sed significamus, nondum omnia ita videri liquida, ut pedibus eundum in virorum doctissimorum sententiam sit, relictumque aliis, & ipsi adeo Viro Cl. in quo ingenium ac diligentiam exerceant. Eadem mente monemus, non videri optime factum, quod Noster diphthongum nostram *ii*, modo sit diphthongus, per *ue* exprimit perpetuo; cum nihil plane ex *e* habeat; de eo, quod diphthongo *ie* Belgarum *ii* substituit, poteramus nos quiescere, nisi ea res revocaret veterem injuriam

a patre Viri doctiſſimi linguæ etiam noſtræ illatam, cum ſcriberet *briſen*, *diben*, *nimand* &c. quo velut præjudicio ipſe utitur p. 634. Sed pergimus enarrare argumentum Operis. L. II Cap. 1 de articulorum uſu agit in utroque ſermone. C. 2 de nominum convenientia eorumque regimine. C. 3 de pronominum Syntaxi &c. C. 8, memoratu digniſſimum, comprehendit locutiones Græco-Belgicas elementario ordine & ipſas diſpoſitas, ut e quo Belgica juventus magnam vim Græcarum formularum ſine labore diſcet. Tertius liber de pöëſi agit, & quidem C. 1 de licentia pöetica, C. 2 de vocibus poeticis, C. 3, quomodo Belgæ metrum Græcum imitari poſſint, ubi ſpecimina etiam aliquot ſua profert verſuum Belgicorum, rhythmis quidem carentium, ſed ad dimenſiones carminum Græcorum & Latinorum, non accentus tantum, ſed naturalis etiam quantitatis ratione habita, elaboratorum. Subjungit Belgicam *M. Z. Boxhornii de Dea Nehalennia* Epiſtolam, A. 1647 primum editam, de qua dicere quicquam poſt Ampl. *Keysleri* Antiquitates Celticas, nihil attinet. Finem faciemus, cum aliquot obſervatiunculas quaſi extra ordinem adjecerimus. P. 167 de verbo *ἀθυρειν* notat ridiculum errorem *Dinneri* in epithetis Græcis, qui ſub *παρθενος* laudat epitheton *αθυρος*, & explicat *ad quam non* (ita enim legendum) *patet aditus*, quaſi dicas, *janua carens*. Cum apud *Anacreontem*, qui fundus eſt hujus epitheti, Od. 8 legatur *μετα παρθενων αθυρων*, *cum virginibus ludens*. Negat Cl. Autor p. 106, ſe noſſe, unde ſit poſterior pars vocis *γραμματεπτα* apud *Heſychium*, qui exponit *δραπετιν*. Quid ſi ſit cognata voci *ἑφθὸς*, coctus, uſtus, ut intelligatur *literata fugitiva*, *inuſta literis*. Ipſum *ἑφθὸς*, quod ſub *ἑψέω* collocatur in Lexicis, indicat originem paullo diverſam: forte *ἕπτω* & *πέπτω* fuere cognata. P. 629 amitinum ſuum laudat Cl. Autor *Frid. Lud. Abreſchium*, qui magnam vim vocabulorum ad *H. Stephani* Theſaurum annotaverit, vel plane ab illo omiſſorum, vel autoritate certe nulla munitorum, e quibus ultra centum profert, ad ſolam *A* literam pertinentium. Licet ea pleraque compoſita aut certe derivata ſint, quorum proinde ſignificationem ex cognatis & ſimplicibus haud difficile

cile

cile eſt cognoſcere; tamen optabile eſt, ſi nova Theſauri editio ſperari non poſſit, certe, quæ *Kuſterus*, *Majus*, & alii viri docti & diligentes annotarunt, in ſupplementum unum collecta, aliquando ad communem utilitatem prodire.

Einleitung zur Schleßwig-Hollſteiniſchen Hiſtorie.

i. e.

INTRODUCTIO IN HISTORIAM SLESvico-Holſaticam, ex quo in his terris duravit regimen auguſtæ & adbuc dum florentis familiæ Oldenburgicæ, e ſcriptoribus fide dignis & monumentis etiam ineditis deprompta, notisque ac obſervationibus perpetuis inſtructa ab AD. HENR. LACKMANNO.

Pars I.

Hamburgi, apud viduam Felginerlam, Kiliæ typis exſcripſit Nic. Lüders, Acad. Typogr. 1730, 8.

Alph. 2.

CErtare inter ſe eruditos verſus ſeptentrionem viros, ut hiſtoriam patriæ ſuæ in luce majori collocent, jure dicimus, poſtquam non ita pridem menſe Januar. h. a. de *Ludov. Holbergii* Hiſtoria ſtatus regnorum Daniæ & Norvegiæ in his *Actis* retulimus, ac jam alterum etiam ſcriptorem, *Adam. Henr. Lackmannum*, proferre nobis licet, qui in argumento, a priori haud adeo multum diſtante, eodem fere tempore verſatus eſt. Slesvico-Holſaticam hic quidem hiſtoriam nobis exhibet; ſed quis eſt, qui ignoret, quod ex tribus jam retro ſeculis uterque Ducatus vel iisdem omnino Dominis ac rectoribus paruerit, vel proximis ex auguſta horum proſapia oriundis Principibus agnatis diviſo velut imperio ex parte ſubjectus fuerit? ut adeo, qui unius alteriusque regni & provinciæ faciem vicesque ſibi ſumſit deſcribendas, non poſſit non ad utriusque eventus animum adjicere, ſi partibus ſuis rite velit defungi. Nobis, quid e laudatis ſcriptoribus poſterior *Lackmannus* in hac parte præſtiterit, ſummatim primum venit indicandum; quo facto, ſi por-

porro unum alterumque specimen afferre licuerit, ex quo appareat, quid in Tractatione sua peculiare habeat, Lectoribus nostris de tota hac causa integrum erit judicium.

Ultra stirpem Oldenburgicam, hodie etiamnum in fructiferis suis ramis florentem, nondum sibi progrediendum duxit Autor. A *Christiano I* igitur, Oldenburgensi A. 1426 nato Comite, qui postquam ab A. 1448 Daniæ, Sueciæ Norvagiæque regnorum sceptris admotus, post annum 1459 Slesvici quoque ac Holsatiæ Dux factus est, exordium capit, quæ nobis nascitur, ejus historia. In præsentem usque diem eandem sibi continuandam proposuit, sed, Parte I hujus laboris hac vice tantum exhibita, metam sibi præfixam nondum attigit; quæ proinde ad A. 1588, ubi Danorum Rex, *Fridericus II*, ac paulo ante *Fridericus*, itidem hujus nominis II, Gottorpiensis jam separatim etiam regentis lineæ Dux, finem regiminis sui fecerunt, terminatur. Partem igitur reliquam, sesqui seculi fere intervallum adhuc complexam, cujus edendæ fidem nobis facit, Tomum unum alterumque ejusdem molis, cujus præsens est, facile completuram credimus, si rerum eventorumque varietatem & multitudinem spectemus, quibus hæc sequior ætas abundat. Tractandi methodus, quam Autor in edita hac Parte servavit, ad arctiores historiam scribendi leges omnino adstricta est: id quod satis ex eo cognosci potest, quod, temporis diligentiori connotatione retenta, annalium fere ubique rationem consectatus sit, & in gestis a tempore nostro remotioribus recensendis nihil sibi dicendum putaverit, quod idoneorum ac sufficientium testium fide non sit munitum; unde larga ista notarum ac observationum seges, quæ critico huic usui potissimum inservit, ipsi enata est. Quarum legum non adeo fuisse observantem, quem modo memoravimus, *Holbergium*, quisquis utriusque scriptoris labores inter se diligenter comparaverit, facile, ut putamus, intelliget.

Jam, quid *Lackmannus* noster in Tractatione sua præstiterit singulare, foret edisserendum: sed integrum libri compositissimi e pleniori ac concatenata historica serie huc afferre recensum, omnino haud vacat: & totus, quantus est, liber Cimbrica-

rum

rum & Septentrionalium rerum memorabilia continet; quorum nihil omisit Autor, quod, ut ad posteritatis memoriam transmittatur, dignum sit. Itaque modestiæ ejus argumentum interpretari fas est, quod historiæ suæ non absoluti numerisque suis perfecti Operis titulum, sed Introductionis solummodo præfigere voluerit: nisi in eo forte in historiam Holsato-Cimbricam se introducere sibi visus est, quod non integra quæcunque Diplomata & documenta annalibus suis intulerit, sed, succo horum & sanguine in rem suam verso, suis duntaxat, non aliorum, verbis, sic satis fidei habentibus, in penitiorem rerum Cimbricarum notitiam lectores cupidos adducere voluerit. Id autem dum præstat, dici non potest, quot difficultates in scriptorum superioris ætatis vel dubiis, vel falsis, & ex partium studio hinc inde enatis assertis, iisque vel inter se conciliandis, vel emendandis ac in viam reducendis, ei superandæ fuerint. Ex unius Christiani I vita sint speciminis loco *Waltherus*, domesticus autor, & extraneus *Gladovius* in Hist. Imperiali, qui, statum familiæ Oldenburgicæ minus recte tradentes, p. 12 not. 15 meliora edocentur. P. 23 sqq. *Meursius* & alii, Chronologiæ rationem desuper habentes, rite taxantur. P. 39 not. 67 in *Cogelii* Chronic. Episcop. Uthinens. MS. error Chronologicus geminus indicatur. P. 62 not. 106 *Meursio*, Cæsarum ordinem interverteati, contradicitur. P. 70 sqq. *Hamelmanni* partium studium, quod in propugnanda armorum justitia Comitum suorum contra Ducem Cimbriæ ostendit, prolixe refellitur. In reliquis haud pauciora sunt, & nævi dicti *Cogelii* istius, cujus in speciali illa Historiæ suæ parte multa solet esse autoritas penes suos, passim notantur. Genealogia quoque familiæ Dano-Holsaticæ, quæ multum semper negotii facessivit scriptoribus, egregia persæpe luce collustratur, erroresque non uni, in autoribus aliis adhuc obvii, hinc inde emendantur.

Ut ex rebus memorabilibus caput unum alterumque delibemus; in causis civilibus bella Dithmarsica, quorum alterum parum feliciter A. 1500 gessit Rex Johannes, p. 164 sqq. alterum vero unitis viribus Christianus III Rex & Adolphus

atque Johannes fratres Principes secundis magis auspiciis confecerunt, p. 505 sqq. prolixius describit, & certiora de iis, quæ fontes meliores aperiunt, affert Autor: idemque præstat in solenniori actu Feudali Othoniensi A. 1580 in Hamburgensium sic dicto jure restringendi commercia frumentaria, eodem anno Kilonii ventilato & deciso, in Haderslebiensi transactione hæreditaria, eodem fere tempore conciliata, aliisque capitibus, quæ in quæstionibus adhucdum illustribus aliquod momentum trahunt. Nec minor hic rerum memorabilium in causis sacris & Ecclesiasticis proventus est: arduum ac divinum prorsus Reformationis, a *Luthero* cœptæ, ac ab ejus discipulis hic locorum confectæ, negotium p. 281 ad 332 continua serie recensetur. P. 384 sqq. it. p. 416 suppeditatur notitia Agendorum Ecclesiasticorum horum regnorum & provinciarum. De Formulæ Concordiæ fatis, &, an liber iste in Dania combustus sit, vexata quæstio p. 684 sqq. attingitur, & præcipua ex utraque parte argumenta librantur; ut taceamus Biographias celebriorum Virorum, *Alberti Cranzii*, *Henr. Zutphaniensis*, *Adolph. Clarenbachii*, *Melch. Hoffmanni*, Fanatici, *Jo. Æpini*, *Luc. Bacmeisteri*, *Ad. Trazigeri*, &c. passim exhibitas, quo & referas *Godeschalci ab Ahlefeldt*, partis Pontificiæ postremi apud Slesvicenses Episcopi, Epitaphium, quod, nondum in tabulas relatum, primus subjecit Autor p. 407 sqq. His autem, quæ per compendium de hoc labore afferre hucusque licuit, salivam Lectoribus iri motum, facile persuasum nobis habemus, ut & partem hujus Historiæ reliquam, eadem ratione ab Autore absolutam atque perfectam, & quamprimum luci publicæ expositam, cernere exoptent, idque ut Autori præstare liceat, animi corporisque vires integras eidem ac secundam facilemque sortem nobiscum comprecentur.

Schaubühne des alten und jetzigen Dännemarcks.

sive

THEATRUM DANIÆ VETERIS ET modernæ, sistens I) Descriptionem hujus regni Chorographicam;

phicam; II) Politicam, &c. subjuncto compendio Historiæ Danicæ secundum ordinem Chronologicum ad A. usque 1727 prolato, qua fieri potuit, cura & industria collectum atque exhibitum, Autore ERICO PANTOPPIDANO, Aarhusio-Cimbro.

Bremæ, impensis Hermanni Jægeri, Bibliopolæ, 1730, 4.
Alph. 3 pl. 19 ¼, Tabb. æn. maj. & min. 34.

AUspicato accidit, ut ad Cimbricæ ac Danicæ historiæ illustrationem, quam plerique omnes in rebus maximis & maxime necessariis adhuc habuerunt, varii eodem tempore scriptores symbola sua conferant. Etenim post *Holbergium* atque *Lackmannum*, de quibus modo in Commentarios nostros referre datum est, nunc tertium quoque Autorem producere, istisque prioribus jungere licet, qui in hoc argumento vires suas periclitatus est. Atque Vir Reverendus, *Ericus Pantoppidanus*, qui Hackenbergæ apud Cimbros sacri cætus jam curam gerit, id laudabili maxime industria sigillatim egit, ut ex præceptis Chorographiæ, Antiquitatum, Historiæ, Physicæ atque Politicæ vetusti Daniæ regni æque ac moderni faciem nobis exhiberet. Quanquam enim pristinis temporibus alii idem saxum volvisse videntur, atque inter eos *Jo. Isaac. Pontanus* Chorographiam Daniæ, *Jonas Coldingensis* Coronarium f. brevem Daniæ descriptionem, *Martinus Zeilerus* descriptionem Daniæ & Norvegiæ, Germanice, Latine & Belgice vulgatam, condiderunt, ut de ceteris taceamus, quorum monumenta, partem inedita, ordine recenset Noster in Præfatione; haud pauca tamen in suis illi scriptis, partim ob succinctam instituti rationem, partim ob subsidiorum inopiam, indicta reliquerunt. Quare Autor Noster id sibi negotii datum esse optime credidit, ut, edito hoc Opere, eorum desideriis satisfaceret cumulate, qui non solum in Historia atque Politica, sed in Oeconomia etiam usum aliquem ex Geographica atque historica descriptione expectant.

Librum suum in duas potissimum Partes distribuit, quarum prima Chorographicam, Antiquariam, & Historico-Physicam

cam descriptionem regni Daniæ, nec non principatus Slesvicensis, continet; altera vero politico-historicam illius regni delineationem exhibet, cui demum subjungitur compendium historiæ Danicæ ad seriem Chronologicam conscriptum. Quod ad primam Partem attinet, primo illius Capite de regno Daniæ generatim atque universe loquitur. Postquam enim, varias esse opiniones de sensu etymologico vocis Daniæ, quibus inter se dissident atque discordant viri doctissimi, ostendit breviter, in eamque sententiam ivit, Regi cuidam, cui nomen Dani fuerit, originem debere, testibus *Saxone Grammatico* L. I p. 1, *R. Erico Pomerano* in Chronic. Dan. *Alberto Cranzio* L. I, *Adamo Bremensi* de situ Daniæ p. 137; pergit & de vetustate atque origine populi regnique Daniæ, de situ, de limitibus, de magnitudine, naturaque ipsius, imo de mari Balthico, nec non de regni illius divisione disquirere. Qua cum methodo in omnibus sequentibus Capitibus utatur, minime in nuda enumeratione insularum, provinciarum, civitatium arciumque versatur, sed cujuscunque loci fata, & quicquid memoria dignum videbatur, breviter quidem strictimque, accurate tamen exponit. Sic P. I p. 37 sqq. exquisita & commemorabilia multa de regia Hafniensi, nec non de arce, quæ vulgo vocatur Rosenburg, deque insignibus regiis, quæ ibidem asservantur, verbosius differit. P. 42 sqq. quæ ad civitatis literatæ Havniæ florentis memoriam pertinent, plurima, eaque distincte & explicate, retulit, quibus adjecit prolixam enarrationem egregiorum quorundam institutorum, quibus Academia Havniensis præ ceteris excellit, & Musas suas reddit mansuetiores. P. 72 sqq. incendii, acerbissimo luctu deflendi, quod Havniæ 1728 contigit, mentionem injicit. Præterea pag. 76 sqq. de arcibus regiis, opere mirabili perfectis, Friderichsberg, Jægersborg, Fredensburg, Friderichsborg, Cronenborg, loquitur, nec oblitus est p. 81 inscriptionis illius, qua vir illustris *Tycho de Brahe* arcem Cronenborg illustravit. Item p. 289 de obsidione, qua A. 1713 cincta fuit urbs Tonninga, verba facit. P. 304 de aureo cornu, quod inventum est A. 1639, dictu digna, eosque viros indicat, qui, id illustraturi, libros ediderunt: præcipue commendat scriptorem recentem, Seelandiæ Præpositum, *Sorterup*, quod

quod monumento huic docta quadam disquisitione lucem feneratus sit. Denique Autor primam Partem tabulis & figuris, æri incisis, locupletavit, iisque exprimi curavit, quæ inter civitates, arces ac monumenta Danica visu digna occurrunt.

Ad alteram Partem hujus libri Rev. Autor omnia illa refert, &, quantum instituti sui brevis & succincta ratio permittit, designat, quæ ad statum politicum & historiam regni Daniæ faciunt. Sic p. 9 sqq. multa, eaque haud levis momenti, enarravit, quæ occasione traditi Friderico III Regi absoluti Imperii acciderunt. P. 22 regii tribunalis vel supremi judicii formam describit, & solennia ipsius in medium profert. P. 119 de Reformatione *Lutheri* agit, ibique Orationem illam recenset, qua Fridericus I in Comitiis Othoniensibus Episcopos diserte allocutus est, serioque admonuit. P. 152 sqq. quos Dania produxit, doctos viros, quorum partim merita in Rempubl. literatam olim fuerunt insignia, partim adhuc exstant, enumerat. Demum coronidis loco addidit p. 170 sqq. compendium historiæ Danicæ, sive annales, ad ordinem Chronologicum ab anno mundi 1848 ad A. C. 1726 conscriptos, &, quantum ipsi permisit pressioris instituti ratio, maxime memorabilia enarravit. Atque his fere præcipuis Partibus absolvitur labor Cl. *Pantoppidani*, qui jam quidem sacri sui muneris rationibus addictus, hoc ipso tamen industriæ suæ monumento præstantissimo de patria sua præclare admodum promeritus est.

VITRIARII INSTITUTIONUM JURIS Publici, novis Notis a JOH. FRIDERICO PFEFFINGERO, Argentoratensi, Sacratiss. ac Potentiss. M. Britanniæ Regis a Consiliis, illustratarum, Tomus IV, Libri III Titulos posteriores & integrum Librum IV continens; annexis Indicibus locupletissimis &c.

Gothæ, sumptibus Jacobi Mevii, 1731, 4.
Alph. 5 pl. 12.

EVenit tandem, quod serio optavimus, Tertium hujus Operis Tomum in *Actis A. 1726 p. 174* recensentes, (primum *Tomo VI Supplem. p. 111*, & secundum *Tomo IX Suppl. p. 44*

memoravimus,) nimirum ut ultimus quoque Celeb. Commentatoris opera prodiret. Etsi enim is anno superiori die 27 Aug. decesserit, bonis omnibus desideratus; attamen pridem antea Tomum integrum, manu exaratum, tradiderat typographo, Dedicationem etiam ad M. Britanniæ Regem, & Præfationem una cum Indice in Librum III *Vitriarii*, qui superiori Tomo desiderabatur, in schedis reliquerat, adeo ut nihil restaret, præter Indicem in Librum IV, ab erudito quodam Viro hic additum. Lectu digna sunt inprimis, quæ de cura summorum imperantium circa sacra p. 12 sq. de eo, an religio armis propaganda? p. 24. de Reservato Catholico p. 35 sq. de Diffidationibus, hodie abrogatis, p. 66, de fœderibus Statuum Germaniæ p. 83 sq. de natura bonorum allodialium Principum Imperii p. 112 sq. de jure Primogenituræ p. 168 sq. de pactis Confraternitatis & Ganerbinatus p. 200 sq. de juribus Nobilitatis Imperii immediatæ p. 229. de Comitiis Imperii, & quinam in illis admittendi? p. 279-450. de Austregis p. 499—546, de Academiis p. 709-730, & de aliis passim attulit Cl. Autor; ut taceamus, Appendicem quoque additam, quæ recentiora, ad Imperium Rom. Germanicum spectantia, de quibus *Vitriarius* nihil habet, Capitulationem nempe Josephi, Instrumenta Pacificationum, ut Rysvicensis, Rastadensis, Badensis, nec non Sanctionem pragmaticam, quæ de futura successione in Regna & Provincias Austriacas prospicit imperio, singula lectu utique dignissima, complectitur.

D. MARTINI FRISII, IN ACADEMIA Holsatica Theologi, Ordinis sui h. t. Decani, Demonstratio Exegetica, de nonnullis valde notatu dignis modis, quibus Vetus Testamentum in Novo allegatur, pariterque de Græca LXX Interpretum Versione, quatenus in Novo Fœdere interdum citatur.

Hamburgi, literis Grifflingerianis, 1730, 4.

Plag. 7.

CUm inter seculi nostri felicitates merito referatur, quod Theologia Exegetica, unice solidum reliquarum Theologiæ

logiæ partium fundamentum, ardentiori ſtudio, quam antea,
excolatur; non poſſumus non illorum præcipue ſcriptorum
mentionem facere, in quibus ſingulare, ad hanc ſcientiam fa-
ciens, argumentum pertractatur. Inter quæ quidem ſcripta
cum etiam S. Rev. *Friſii* Commentatio, quam perillu-
ſtri *Henr. Chriſtiano Strykio*, Holſato Mæcenati, inſcripſit,
locum ſibi vindicet, paucis ejus inſtitutum enarrabimus. Ca-
pite primo S. R. Autor varios modos, quibus V. T. dicta in N.
T. allegantur, recenſet, & XVI Obſervationibus docet, pro di-
verſo ſcriptorum N. T. inſtituto typos e V. T. ad antitypum
in N. transferri, ſenſum Prophetiæ, non ipſa verba allegari, ad
unam tantum hiſtoriæ, quæ allegatur, circumſtantiam reſpici,
V. T. dicta, quæ de Meſſia agunt de Eccleſia citari, ex pluri-
bus V. T. locis unum componi, tacitas tantum fieri ad dicta
V. T. alluſiones, & quæ ſunt ſimilia. Noſtrum inſtitutum non
patitur, quæ de ſingulis allegandi modis Autor diſſerit, copioſe
exponere. Speciminis loco quædam tantum cum benevolo
Lectore communicabimus, de quibus ipſe S. R. *Friſius* perhi-
bet, quod primum a ſe ſint prolata. Atque huc pertinet ob-
ſervatio *Hoſ. XI, 1*, per nomen *pueritiæ Iſraelis* intelligi Iſrae- p. 2.
lis exitum ex Ægypto. Id quod probare annititur ex *Hoſ. II,
15*, ubi, de Autoris noſtri ſententia, pueritia gentis Iſraeliticæ
manifeſto exprimitur per exitum ejus ex Ægypto his verbis,
Sicut diebus pueritiæ ſuæ, & quo die aſcendit terra Ægypti.
Hujus obſervationis beneficio exiſtimat manifeſtum eſſe;
verba Prophetæ in commate 1 Cap. XI ultima: *Cum Iſrael exi-
ret ex Ægypto, dilexi eum; & ex Ægypto vocavi filium meum,*
ſenſu literali de Chriſto eſſe interpretanda, & eo ſenſu etiam
Matth. II, 15, citari. Senſum enim horum verborum eſſe,
*cum Iſrael exiret ex Ægypto, dilexi eum; & promiſi, me de-
ſtinato tempore etiam filium meum in ſalutem Iſraelis ex Æ-
gypto eſſe reducturum.* Singularem obſervationem S. Rev.
Autor etiam proponit, nonnunquam in N. T. allegari unum 8.
Prophetam loco alterius, eo conſilio, ut concludamus, illud
vaticinium, quod Propheta recentioris ætatis ſolus conſignavit
literis, a Propheta antiquiore, qui citatur, longe antea ore et-
iam

iam prolatum fuisse. Qua quidem ratione finire vult celebrem controversiam, quare *Matth. XXVII, 10, 11,* allegetur Propheta *Jeremias*, cum tamen verba inibi citata apud *Zachariam Cap. XI v. 13* legantur? Ad Caput alterum progredimur, ubi sigillatim exponitur, quomodo Græca LXX Interpretum versio in
p. 31 &c. N. T. allegetur. Uti S. R. Autor insignes hujus interpretationis nævos non reticet; sic inter ejus usus præ ceteris refert, quod nonnunquam textum Hebræum egregie explanet, præsertim ubi in N. T. citatur. Ita e. g. *Matth. IV, 10,* LXX Interpretum versio retinetur: καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Ubi vox μόνῳ, quæ in Hebræo Codice *Deut. VI, 13*, non exprimitur, explicationis causa a LXX Interpretibus addita est. Ex
41. quo numero multis exemplis hanc ipsam observationem munivit; reprehendit *Guil. Surenhusium*, qui in βίβλῳ καταλλαγῆς propugnat, convenientiam allegationum in N.T. cum interpretatione LXX Interpretum non tam consilio, quam casui tribuendam esse. Causam autem, quare scriptores N. T. nonnunquam LXX Interpretum versione usi sint, indicat verbis
42. Celeb. Academiæ Kiloniensis Theologi, B. *Christiani Kortholti*, quibus etiam hanc recensionem finiemus. Hic enim in libro de variis Scripturæ sacræ editionibus p. 61, *ut*, inquit, *accommodarent se iis, quos instruendos susceperant; cum enim Græce scriberent, facile usi sunt ea editione, quæ tum sola Græcis erat cognita.*

J. A. KROMAYERI SPECIMEN FONTIum Scripturæ sacræ apertorum, editum in illustrandis vaticiniis Hoseæ, Joelis, & Amosi.

Amstelodami, apud Adr. Wor, 1730, 8.
Plag. 16.

MAx. Reverendo Autori, Superintendenti in Thuringia Ordruviensi, constitutum est, ut ipsius Præfatio docet, totius sacri Codicis Hebræi textum ita illustrare, ut omnibus & singulis vocibus obscurioribus, inprimis semel aut rarius occurrentibus, non tantum radices, sed & significationes deperditas aut minus notas restituat e linguis affinibus, Chaldaica, Syriaca, & Arabica. Cujus rei hoc edit specimen, proxime evulgatu-

gaturus ſuas ad reliquos *Prophetas minores*, item ad *Pſalmos Davidis*, & ad *Salomonis* libros, annotationes, novaque inprimis ratione expoſiturus *Canticum Canticorum*, & omne offendiculum ab eo remoturus. Præmittit autem huic, quem in manibus habemus, libro longiuſculam Diſſertationem *de optimo remedio obſcuræ vocabulorum ſignificationis*, cujus *Capite I* docet, inter media tollendæ obſcuritatis vocabulorum & phraſium referri merito variantes lectiones; ſed parum hoc modo profici, cum nec tot illæ ſint in V. T. nec tanti omnes momenti, ut multum adjuvari iis queamus. Refutat igitur M. *Antonium Ferraccium*, qui in ſuis *Criticis in linguam Hebræam Diſſertationibus* ſæpe varias arripit lectiones, easque adhibet ad eruendum ſenſum, ſed, uti Noſter quidem judicat, ſucceſſu minus proſpero. Hac occaſione *Pocokii* ſententia contra eundem *Ferraccium* copioſe defenditur, qua is conciliavit loca *Matth. II, 6*, cum *Michæ V, 2*. *Cap. II* diſquirit, an ſcripta Rabbinorum legi oporteat ad ſuperandas ſacri Codicis ſalebras. Cenſet autem „ eos multum ineptire in eruendis radicibus & notionibus genuinis, adeoque non multum temporis Rabbinonorum lectioni impendere debere Scripturæ S. interpretem: ſuæque hujus ſententiæ ſocios producit viros clariſſimos. *Cap. III* agit de uſu verſionum in explicatione ſacri Codicis. Loquitur vero de priſcis verſionibus, Chaldaica, Syriaca, & Græca. Hæ cum ſint antiquiſſimæ, autoresque habuerint linguæ ſanctæ peritiſſimos, non eſt ei dubium, valde utiles eas eſſe ad verum obſcurorum locorum inveniendum ſenſum. De Græca LXX verſione longior eſt, quantumque pretii ſtatui ei debeat, oſtendit ducibus viris eruditiſſimis. *Cap. IV* a ſubſidiis exterioribus ad interna progreſſus, primo loco conſiderat collationem vocum cognatarum, e. g. רבב & רבה, מול & נמל, ſtatuens, non quidem eſſe negligendum hoc medium, & ſæpius ejus beneficio inventum eſſe genuinum obſcurioris vocabuli ſignificatum, ſed ſæpe tamen & lubricam eſſe hanc viam fallacemque. *Cap. V* commendat parallelismum verbalem ſive collationem eorum locorum, ubi verbum aliquod vel ejus cognata exſtant. Nec tamen hac via ſemper perveniri ad ſco-

pum, addit, prolatisque exemplis id manifestum facit. *Cap. VI* eos refellit, qui putarunt, alphabetum Hebraicum esse symbolicum, & e figura literarum cognosci posse vocum notiones. Ac pluribus argumentis hanc *Neumanni Zieroldi*que suspicionem evertit, talemque operosam non minus, quam incertam, literarum expositionem prorsus contemnit. *Cap. VII* optimum medium tollendi obscuritates sacri Codicis esse putat harmoniam linguarum orientalium, Hebrææ filiarum: eamque sententiam munit *Pfeifferi*, *Ludolfi*, & *Buddei* suffragio. Maxime prædicat linguam Arabicam, utpote quam non solum asservasse ait radices & significationes ad superandam vocum obscuritatem summe necessarias, sed & unam Hebraicam radicem hujusque diversas notiones sæpe duabus exprimere radicibus, adeoque multorum derivatorum significatus apte distinguere & explicare. Idque ait se jam A. 1706 ostendisse in *Filia matri obstetricante, seu duobus libellis de usu linguæ Arabicæ in explicanda Scriptura & addiscenda lingua Hebraica.* Quare hic refellit *Gussetium* ac *Ferraccium*, qui negarunt, multum fructus ex harmonia linguarum Orientis redundare ad V.T. interpretes. Pari modo in subjecta *Appendice* refutat Cl. *Lakemacherum*, non minus Græcæ, quam Arabicæ linguæ statuentem pretium in V. T. interpretatione, eumque judicat persuasione ductum esse prorsus inani, cum in detegendis vocum Hebraicarum significatibus linguæ Arabicæ Græcam ad latus collocarit.

E vestibulo nunc transimus in ipsam domum, hoc est, ad annotationes in *Hoseæ*, *Joelis*, & *Amosi* vaticinia. Morem vero nostrum secuti, ex hoc *Specimine* pauca repræsentabimus Lectoribus nostris specimina. *Hoseæ I, 2,* statuit, Prophetam dici meretricem sibi copulasse legitimo matrimonio, simulque domum suam recepisse liberos illius mulieris, ante ab ipsa in lucem editos. *Cap. III, 1,* statuit, Prophetam juberi amare ac retinere illam uxorem suam, licet sit adultera. *Cap. IV, 4,* locum difficillimum, refutatis aliorum sententiis, sic interpretandum existimat: *Populus tuus sunt litigatores, rixatores Prophetæ, vehementer cum illo contendentes.* Vocabulum enim כֹּהֵן de

Pro

Propheta dici posse putat, cum eandem notionem id vocabuli gerat in lingua Arabica. Ad *Cap. IV, 13*, copiose commentatur, ratus, nullum interpretum genuinas eruisse significationes trium ibi occurrentium vocabulorum. *Cap. VII, 5*, oppugnata Cl. *Schultensii* sententia, sic reddit: *Evacuant Principes utrem vini. Cap. X, 1*, per verbum בּוֹקֵק, invitis ceteris recentioribus interpretibus, innui putat *fæcunditatem*, eamque sententiam asserit cum ex linguarum harmonia, tum ex versionum, Græcæ, Syriacæ, & Arabicæ consensu. *Cap. XIV, 8*, ita reddit: *Et fæcundabunt ut frumentum, quod centuplicato semen reddit.* Putat igitur, Deum h. l. promittere Ecclesiæ fœcunditatem & multiplicationem, alibi quoque comparari solitam cum multiplicatione & ubertate frumenti. *Joelis II, 6*, perobscuram vocem פארור exponit de *nitore* & *elegantia*, secutus genium linguæ Arabicæ, & ita reddit hæc verba, etiam *Nahumi II, 11*, exstantia: *Omnes facies contraxerunt pulchritudinem. vel colligent nitorem. Amosi Cap. III, 12*, occurrit nomen דמשק, quod quidam exponunt de urbe Syriæ *Damasco*. Cum vero Damasci mentio huc loci non quadret, ipse duce lingua Arabica id nominis interpretatur de parte dormitorii nocturni obscuriore & occultiore, atque aeri calidiori minus exposita. *Cap. V, 26*, non immerito vocat omnium hujus Prophetæ commatum difficillimum. Nomina סִכּוּת & כִּיּוּן non propria, sed appellativa esse, contendit. Igitur סִכּוּת significare judicat *ædiculam*, imaginem Molochi inclusam habentem, cumque pompa circumgestari solitam. Per כִּיּוּן capit *aptum loculamentum simulacrorum sive idolorum.* Quod sequitur כּוֹכַב, interpretatur *potiorem partem Deorum vestrorum*, id est, *Deos vestros primarios.* Totius igitur versus hujus hanc exhibet ac propugnat versionem: *Atqui portastis ædiculam Regis vestri, & loculamentum idolorum vestrorum, potiorem partem Deorum vestrorum, quos fecistis vobis.*

Postremo loco Max. Rev. Autor *Consilium* exhibet *de elaborando Commentario Biblico* perfectiori, quam adhuc prodiit. Censet nimirum, nondum exstare Commentarium vel

in unum librum Biblicum, nedum in totum ſacrum Codicem, qui in omnibus ſatisfaciat: ejusque rei hanc eſſe cauſam, quod unus vir non ſufficiat iſti labori ob multitudinem ſcientiarum ad hoc opus neceſſariarum. Unde vult conſtitui Collegium ex omnium ſcientiarum viris excellenter doctis, qui operam præſtent mutuam: idque conſilii perſequitur quatuor in Capitibus. Horum in *primo* requirit tres Philologos, unum & Hiſtoriæ & Geographiæ & Chronologiæ peritum, unum Logicum, unum Phyſicum, unum Mathematicum, unum Rhetorem, unum Medicum, unum JCtum, tres denique Theologos: & ſuum cuique negotium aſſignat. *Cap. II* ordinem deſcribit, quo ſingulis Collegii hujus membris ſui ſint labores & incipiendi & continuandi. *Capite* denique *tertio* docet, optime & feliciſſime perfectum iri hoc negotium, ſi in Academia quapiam, & quidem in una domo, hi ſacri laboris ſocii habitent, & a Principe quodam munifice alantur per ſex annos vel octo, intra quod tempus abſolvi queat Commentarius in totum ſacrum Codicem, tribus conſtans maximæ formæ Voluminibus. *Cap. IV* ſpecimen exhibet hujus laboris, & quidem ad *Geneſ. XXX, 37, 38, 39*, ſiſtens primo verſionem hujus loci Latinam, deinde paraphraſin, tum Notas & philologicas, & antiquarias, & hiſtoricas, & Logicas, & Rhetoricas, & Phyſicas, & Morales, & Theologicas. Quo quidem exemplo ſi elaboraretur Commentarius in totum ſacrum Codicem, quin ille ſit applauſum excitaturus maximum, nos quidem nulli dubitamus.

JOHANNIS CONRADI SPOERLII, Introductio in notitiam Inſignium Typographicorum, Diſſertatione Epiſtolari ad FRIDERICUM ROTHSCHOLTZIUM propoſita.

Norimbergæ & Altorfii, apud hæredes Jo. Dan. Tauberi, 1731, 4.
Plag. 9.

NOn ingratam eruditis operam præſtitit plurimum Reverendus *Spoerlius*, peculiari de ſignis typographicis ſcriptione publice exhibita. Floret jam ſtudium rei typographicæ. Exer-

Exercent doctiſſimos viros curæ laudabiles de primis egregiæ artis ſpeciminibus undique conquirendis. Caput efferunt Bibliothecæ, aliquo librorum, ab incunabulis typographiæ impreſſorum, apparatu repletæ. Cui ætatis noſtræ genio apprime convenit inquiſitio ſolennior in notas typographorum characteriſticas, quas Operibus, ex officina eorum prodeuntibus, comites dederunt. Eo melior pretioſiorque æſtimatur liber aliquis, quo celebrior ei nota impreſſa eſt. Neque vero in hoc argumento elaborando induſtria virorum doctorum adhuc rite occupata fuit. Primus eſt, quem jam nominavimus, Autor, qui ad hæc ſtudia illuſtranda animum de induſtria appulit. Miramur ſane, eruditiſſimos illos viros, qui rei typographicæ hiſtoriam expoſuerunt, alia omnia magis, quam inſignia typographorum, deſcripſiſſe. Et ipſe quidem *Andreas Chevillier*, de origine typographiarum Pariſienſium commentatus, cum p. 154 ſeqq. de more, quo libris impreſſis index erratorum in fine ſubjungi ſolet, atque de illius origine & ſucceſſu, prolixe ſatis diſſeruerit, inſignia tamen typographica, quaſi minoris, quam *errata*, æſtimanda eſſent, intacta reliquit. Nunc demum in horum quoque inſignium notitiam peculiaris Introductio prodit. Ita vero res ſuas agit doctiſſimus *Spoerlius*, ut ante omnia uberius probet, primum eſſe Cl. *Rothſcholtzium*, Bibliopolam Norimbergenſem & Altorfinum, ſatis de re literaria jam meritum, qui nunc emblematum inſigniumque librariorum theſaurum exhibeat. Ubi data opera refutatur fabula de edito quodam *Draudii Diſcurſu typographico experimentali &c.* Sæpius allegatur hic liber a doctiſſimis viris, licet nulli viſus ſit. Fuerunt, qui, errorem ſubeſſe, ſuſpicarentur, ſed nemo adhuc, quod ſciamus, errorem probavit, & dubiis omnibus adeo plene ſolideque ſatisfecit, uti quidem ab Autore noſtro factum eſſe videmus. Quid *Orlandus* in hoc ſtudio præſtiterit, deinde traditur; & *Michaelis* denique *Roetenbeccii Emblemata typographorum*, Opus ſola manu adhuc ſcriptum, & in ſcriniis Viri illuſtris, *Jo. Jacobi Baieri*, latens, ut innoteſcant eruditis, deſcribuntur. Videas porro in his paginis hiſtoriam ſignorum typographicorum ſtudioſe

delineatam. In designando tempore, quo cœperint, postquam a *Sauberto*, *Reuschio*que modeste discessit Autor, reliquis etiam huc facientibus circumstantiis bene consideratis, subsistit tandem in anno MCCCCLXII, qui horum insignium natalis nominandus sit. Quibus figuris primitus, & quibus deinceps, constiterint, pluribus hic exponitur, duobus *Mallinkrotii* placitis, qui sola scuta typographorum gentilitia primum in usu fuisse opinatus est, & qui iterum in asserenda signorum emblematicorum justa ætate aberravit, non infeliciter refutatis. Inquiritur interea in locum, quo libri antiqui & recentiores notas ejusmodi exhibeant, & ostenditur, in fine potissimum, nec tamen in ultima semper pagina, easdem conspici; postquam pœnitere cœperit typographos hujus moris, & ex quo titulorum primæ statim paginæ impressorum commoditas innotesceret, (ubi habet Autor, cur a Clar. *Maittairio* dissentiat,) non tamen postremas libri paginas statim omni nota destitutas fuisse; serius denique factum esse, ut soli librorum tituli insignibus officinæ suæ propriis notarentur. Nondum hic definit *Spoerlii* nostri industria. Investigantur causæ, quæ librarios hunc morem docuerint. Curasse nimirum nobiliores artifices, ut sua ab alienis distinguerent, id quod claris tum *Benedicti Hectoris*, tum *Josuæ Badii* verbis probatur. Urgetur etiam solennis veterum typographorum formula, qua libros suis se armis consignasse testati sunt. Peculiaris *Mentelii* ratio est, qua permotus, insigne suæ familiæ operibus suis appinxisse dicitur; quæ vero in præsenti Dissertatione figmentis inanibus merito annumeratur. At vero hoc voluerunt quidem primi typographi, ut, signo suo apposito, rite dignosci possent libri suæ ab aliarum officinarum partubus literariis. Eventus autem spem optimam plane fefellit. Etiam alienum insigne imitati sunt falsarii. Non tamen notæ ejusmodi propterea a libris abesse jussæ sunt. Consuetudo hæc usque ad hunc diem ubique terrarum obtinet. Id tantummodo hic conceditur, alium jam in finem, quam primitus, apponi insignia. Qui prius character libri erat, postea merus ornatus audire cœpit. Juvat interim & hæc observasse,

vasse, ut historia typographica eo melius illustrari possit, & ornamenta recentiorum non minus ac veterum Codicum & librorum lectoribus harum deliciarum cupidis exhibeantur. Atque hæc ad intelligendum ordinem sufficiant, quem Autor in elaborando hoc argumento rariore tenuit. Nos lectu dignam judicamus Commentationem integram. Sane, quocunque legendo te vertas, erit ubique, quod legisse te haud pœniteat. Non minorem tibi rerum jucundissimarum delectus, quam sermonis, quo usus est Autor, concinnitas & elegantia, afferet voluptatem. Ut adeo in hoc libello, sive argumenti raritatem, sive scriptionis ornatum spectes, desiderare fere nihil possis. Ceterum Lectores nostros ignorare nolumus, Introductionem hanc non solum in forma, quam *quartam* vocant, separatim excusam vendi; sed & in primæ magnitudinis forma, *in folio*, thesauro ipsi *Rothscholtziano*, qui in dies in majorem molem excrescit, præmissam esse, ne quid desit, quod ad commendandum hoc Opus facere possit.

RECUEIL DE LITERATURE, DE PHILOSOphie, & d'Histoire.

hoc est,

COLLECTANEA LITERARIA, PHILOSOphica, & Historica.

Amstelodami, apud Franc. Honoratum, 1730, 12 maj.

Plag. 8.

Autor anonymus, qui haud obscure prodit, diu se vixisse Berolini, & familiariter usum esse Cl. *Crozio*, præmissa *p. 1—19* Dissertatione de *Criteriis boni libri*, qua singularem de hoc argumento Disputationem *Buddei junioris* sub examen vocat, nec ullum septem illius criteriorum omni exceptione majus esse, præclaris exemplis ostendit, profert hic, nullo adhibito ordine, historias literarias, partim auditu perceptas, partim in lectione librorum sibi observatas. Inter multa, eruditioribus jam dudum cognita, offendimus ineditas aliquot Epistolas doctissimorum aliquot hominum, quarum publicatione pergratum fecisse Autorem doctissimo cuique, facile nobis persuademus. Quis enim non cupide legat Cl. *Balthasaris*, Theologi Gryphiswaldensis, epistolam de libro

p. 33. sqq.

38 sqq.

de

de tribus impoſtoribus? Quis non benevole excipiat emendationes *Conatuum Montani*, (*Eſſais de Montagne*,) factas ab ipſa editrice illius Operis, *Maria de Gournai*, dignasque, quæ inſpiciantur a futuris ejus Operis editoribus? Nec pigebit
p. 47 ſqq. & quenquam, legiſſe duas *Giſberti Cuperi* epiſtolas ad Cl. *de la*
125 ſqq. *Croze*, in quibus & probat hujus *Vindicias veterum ſcriptorum contra Harduinum*, & ipſe peracute refellit paradoxam
62 ſqq. hominis hypotheſin; epiſtolam item laudati modo *Crozii* de ſigno quodam vetuſtiſſimo Priapi, quod eſt inter cimelia
144 ſq. Regis Boruſſiæ; epiſtolam *Dallæi*, improbantis molimina *Molinæi* & *Riveti* contra *Cameronem* & *Amyraldum*; epiſto-
147 ſqq. las duas *Leibnitii*, quarum in altera philoſophatur de mutatione Calendarii in Germania A. 1700 facta, in altera de Baro-
155. metris; epiſtolam *Bocharti* ad *Spanhemium*, in qua ſentit, antiquiores eſſe literas Samaritanas Hebræis illis, quibus hodie
157 ſqq. Codex ſacer deſcribitur; epiſtolam denique *Athanaſii Kircheri*, in qua exponit & interpretatur teleſmа quoddam Gnoſticorum Magico-Cabaliſticum. *Pag.* 43 docet, *Hiſtoriæ Sevarambum* autorem eſſe *Delonium* quendam, miniſtrum verbi divini. *P.* 154 refert, *Leibnitium* aliquando genuiſſe filium, eoque deinceps uſum eſſe famulo. Lectu quoque digna ſunt, quæ *p.* 69 – 124 diſſerit de *Mariana* Jeſuitæ libro *de Rege & Regis inſtitutione*, in quo cædes Regum probatur illorum, qui ſe non gerunt ex voto Jeſuitarum: qua occaſione exponit Jeſuitarum inſidias vitæ Henrici IV ſtructas, ſecutumque ipſorum e Gallia exilium, impetratamque poſtea redeundi in Galliam facultatem. Quam cum debeant Jeſui-
97 ſqq. tæ potiſſimum *P. Cottono*, ſocio ſuo, hujus quoque vita deſcribitur, ſimulque copioſe agitur de libro, cui titulus *Anti-Coton*, in quo rei aguntur Jeſuitæ paricidii Henrici illius quarti. De hujus libri autore verba faciens, poſtquam argumenta produxit, quibus probabile redditur, ſcriptorem hujus libri fuiſſe *Petrum Molinæum*, hinc literas *Monetarii* (*de la Monnoye*) recitat, in quibus autor iſtius libri fuiſſe dicitur Advocatus quidam Parlamenti Pariſienſis, nomine *Cæſar de Plaix*. Poſtremo titulos exhibet undecim librorum, contra *Anti-Cotonum* emiſſorum.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCXXXI.

REFLEXIONES MILITARES DEL MARISCAL de Campo, Don ALVARO NOVIA OSSORIO, Vizconde DE PUERTO, o Marques DE SANTA CRUZ DE MARZENADO &c.

h. e.

ALVARI NAVIÆ OSORII, VICE-COMITIS DE PUERTO seu Marchionis DE SANCTA CRUCE DE MARZENADO Observationes militares.

Tomi XI.

Augustæ Taurinor. apud Jo. Franc. Mairesse, Tom. I, II, III 1724, T. IV ap. Alex. Vimercatum, T. V ap. J. F. Mairesse, T. VI ap. eund. 1725, T. VII ap. A. Vimercatum, 1726, T. VIII ap. J. F. Mairesse, T. IX ap. Vimercatum, T. X ap. Mairesse 1727, & T. XI Parisiis apud Sim. Langlois 1730, 4.

Alph. 16 plag. 3.

Accessere Tomo ultimo Tabulæ æneæ 9, forma atlant. maj.

IDem, qui superioribus Voluminibus, Augustæ Taurin. editis, solo fere *Vicecomitis de Puerto* nomine claret, ultimo Volumine, quod Parisiis ceteris accessit, *Marchio de Sancta Cruce de Marzenado* audit, Plenipotentiarius Regis Hispaniæ ad Pacem Suessionensem missus. Hunc enim ceteris, quibus designatam jam Tomo I operam Libris viginti absolverat, tum demum, cum Legati Hispanici apud Gallos munere fungeretur, superaddere, atque adeo Opus, quod jam To-

mo X finivisse videbatur, Tomo XI atque adeo Libro XXI dictare instituit. Atque hujus omnino Viri Illustriss. atque Excellentiss. liberalitati debemus, quod de toto Opere, quod ipse ad nos diligenter transmisit, aliquid nobis hoc loco licet commentari, quamvis brevius, quam Operis ratio patitur, ne ipsi consuetudinem nostram migrasse deprehendamur, cum inprimis otium quodammodo nobis fecerit Vir S. R. *Carolus Hyacinthus Ferrerius*, e Soc. Jesu, qui, præmissa singulis Tomis, excepto ultimo, censura brevi Latina, quid in iis quærendum sit, accurate indicavit. Cum vero ipse Illustriss. Autor quoque Lectorum gratia singulorum Operis hujus, Mavortias artes egregie docentis, & summa cum venustate ac industria scripti, librorum synopsin & ichnographiam velut quandam primo Tomo a pag. 8 usque ad 47 præmiserit, ejus ductum secuti, de præcipuis illorum argumentis summatim dicemus. Nempe primo supremi exercitus imperatoris virtutes morales, politicas, & militares, depingit, & justam ejus effigiem LXI Capitibus, penicillo multicolore delineat. Secundo de causis, ad pacem aut bellum moventibus, & cautionibus ad fœdera ineunda & auxilium ferendum vel postulandum necessariis disserit XXXII Capitibus, & ultimo p. 327 eorum summam breviter repetit. Tertio præparationes ad bellum suscipiendum utiles declarat XXXIV Capitibus, quibus Indicem omnium Capitum valde amplum & exactum subjunxit a p. 477 usque ad p. 514, simulque Tabulam Nationum, Principum, Ministrorum, Ducum belli, scriptorum, ac celebrium virorum, quorum in tribus his Libris mentio facta est, addidit. Quarto consilia in belli denuntiati principio salutaria XXX Capitibus suppeditat. Quinto castrametandi leges XI Capitibus præscribit, sexto cautiones, in exercitu ducendo, locorum ratione ac itineris, observandas, XV Capitibus enarrat. Septimo stratagemata, in exploratoribus fidis adhibendis, aut literis clandestinis, per notas occultas exarandis, proponit XIX Capitibus, ac denuo Indice, diligenter contexto, secundum hunc Tomum claudit; quam methodum in omnibus reliquis Tomis sequitur. Dein libro octavo integro VII Dissertationes, per Capita LXXVI

ex-

excurrentes, de Rebellionibus ac seditionibus interserit, iisque præcavendis aut comprimendis prudentissime sententiam suam expromit, ac saluberrima monita affert, quæ adjunctus Index commonstrat. Nonus belli offensivi regulas ostendit, ac XL Capitibus eas amplissime & sapientissime persequitur. Decimus de hostibus ad conflictum provocandis, & commodis illius occasionibus, per XIV Capita agit. Undecimus apparatum ad prælium jam decretum, aciemque instruendi modos, XXIV Capitibus subtilissime docet, ac triplici diagrammate in calce libri universam tacticam explanat. Duodecimo, quid in ipso certamine observandum sit, plenissime tradit, ac ad *Antonii Muratorii* dubia quædam, prioribus libris opposita, simul respondet. Decimo tertio belli Ducem, quomodo victoria recte uti debeat, instruit, ac plurima, ad sapientiam ac pietatem Christianam pertinentia, præcepta suggerit. Decimo quarto ea, quæ ante obsidionem, in ipsa obsidione, & post eam tenenda sunt, operose discutit, ac integram Poliorceticam complectitur. Decimo quinto subitas & improvisas hostium aut urbium aggressiones XXI Capitibus, & decimo sexto insidias collocandas & fluminum trajectiones XI Capitibus docet, ac p. 338 ideam Lexici Universalis eruditissimam subjicit, ejusque usum, nationi Hispanicæ inde oriturum, laudat, ac libro decimo septimo, quo belli defensivi rationes investigat, uberius in appendice peculiari illud exponit. Decimo octavo de fugienda in bello aliis inferendo temeritate, & modis caute declinandi coactum, decimo nono de variis novis periculis post cladem acceptam præcavendis, & vigesimo de exercitus receptu prudenter instituendo, ac tempestiva supremi Ducis abdicatione spontanea imperii sui, tam sapientum exemplis, quam rationibus præcipit, ac ultimas ideas Lexici universalis edendi p. 386 annectit. Hunc autem rei militaris accuratissimum, si quis unquam fuit, Commentarium, viginti libris ac decem Tomis comprehensum, auctario quodam Tomi undecimi porro illustrare, eumque, addito peculiari libro, vigesimo scilicet primo, & specialioribus præceptis dilatare, & characteribus figurisque, æri incisis, legentium oculis subjicere Illustriss.

Autori placuit, in cujus Præfatione, postquam ad objectiones quasdam militares respondit, Academiam Politicam, seu præcepta, ad ministerium Principis obeundum utilia, a se edenda pollicetur, & *Folardi*, quem ipsum de arte bellica anno 1724 novas observationes jam publicasse ait, Commentarium in *Polybium* exoptat. Ab Illustriss. vero Autore omnes Martis filii, ac perfectam rei bellicæ scientiam anhelantes, Computos, ut vocat, Militares, aliosque militares libros, cum Indice horum generali, Tomo X p. 340 seqq. promissos, avide expectant.

GALLIA CHRISTIANA, IN PROVINCIAS Ecclesiasticas distributa; qua series & Historia Archiepiscoporum, Episcoporum & Abbatum Franciæ vicinarumque ditionum ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis, ad calcem appositis, opera & studio DIONYSII SAMMARTHANI, Presbyteri & Monachi Ordinis S. Benedicti e Congregat. S. Mauri.

Tomi IV.

Parisiis, ex Typogr. Regia, T. I 1715, T. II 1720, T. III 1725, T. IV 1728, fol.

Alph. 41½.

OPtime *Sammarthani* in Republica literaria audiunt, tum ob maxima in civilem Galliæ historiam merita, tum præcipue ob Galliam Christianam, cujus novam nunc recensemus editionem, ab his editam atque illuminatam. Jam sub initium superioris seculi *Scævola & Ludovicus Sammarthani* cum Cl. *Joanne Chenu*, Biturico, Historiam Chronologicam Episcoporum Galliæ edente, suas observationes communicabant; atque idem exhibebant officium Cl. *Claudio Roberto*, qui anno 1626, majori Opere edito, idem cum *Chenuto* argumentum persecutus est. Qui quidem *Robertus* cum intelligeret, varia adhuc suo Operi deesse, seque ob ætatem senectam his nævis medendis non parem esse; *Scævola & Ludovico Sammarthanis*, suis

suis in colligendis documentis hactenus sociis, autor suasorque fuit, ut bene mereri de Christiana Gallia pergerent. Qui cum in his literis ætatem consumerent, labori humeros non subtraxere. Præcipue autem felici solertia *Galliam Christianam* elaborare potuerunt; cum cœtus Cleri Gallicani generalis A. 1646 scripto singulari *Sammarthanis* significaret, fore sibi rem gratissimam, si totius Ecclesiæ Gallicanæ commodo Opus, quod meditabantur, perficerent. Hujus enim cœtus beneficio & concessu *Sammarthanis* fratribus ipsa Ecclesiarum Chartophylacia in suos usus convertere licuit. Quibus subsidiis cum uterentur, eorum diligentia effectum est, ut uno eodemque anno 1656 Gallia Christiana Lutetiæ Parisiorum quatuor Tomis in Folio prodierit. Neque tamen *Scævola* & *Ludovicus* ex *Sammarthanis* tantum hoc Opere edito celebritatem nominis consecuti sunt. Cum enim *Scævola Sammarthanus* A. 1650 diem suum obiisset; ab illo tempore sub *Ludovici Sammarthani* auspicio *Scævolæ* filii *Petrus Abelius* & *Nicolaus Sammarthani* Galliam Christianam, suis observationibus & collectaneis additis, perfecere, atque *Sammarthani* nominis gloriam amplificarunt. At enimvero quatuor hi *Sammarthani* non tam præripuerunt aliis *Sammarthanis* occasionem bene de Gallia Christiana merendi; quam aperuerunt. Maxima laus debetur *Scævolæ, Ludovico, Petro Abelio* & *Nicolao Sammarthanis*, quod primum Opus ediderint, quod Galliæ Christianæ nomen præ se ferre meruerit. Sed, quod illis non erit vitio vertendum, ab omnibus prolapsionibus non fuere immunes, neque omnia huc facientia manu exarata scripta consuluere. Hæc gloria igitur relicta fuit celeberrimo *Dionysio Sammarthano*, ut elaboratiori Opere de Gallia Christiana literario orbi usui esset. Cum enim Eminent. Purpuratus *Noallius* intelligeret, variis Spicilegiis, Miscellaneis, Analectis, ab illo tempore, quo fratrum *Sammarthanorum* Gallia sacra lucem adspexerat, editis, multa documenta innotuisse, quæ facerent ad Ecclesiæ Gallicæ historiam illustrandam, huic *Dionysio Sammarthano* id negotii dedit, ut, nova editione adornata, Galliæ Christianæ historiam augeret atque emendaret. Cujus quidem Purpurati con-

 silium

filium cum sequeretur; aliis etiam *Sammarthanis* iterum licuit orbem literatum sibi devincire. Etenim præter plurimos Ordinis Benedictini Monachos, D. *Estiennot*, atque alios doctissimos Viros, ejus in colligendis documentis adjutor fuit *Petrus Franciscus de la Tour*, Congregationis Oratoriæ Præpositus generalis, qui illi copiam fecit collectaneorum *Petri Sammarthani*, domini de Meré, hujusque fratris, *Abelis Ludovici*, ejusdem Congreg. Orat. Præpos. generalis, quæ in spem secundæ editionis Galliæ Christianæ reposuerant.

Hæc sunt, quæ de historia hujus Operis notanda esse duximus. Nunc ad ipsam novæ Galliæ Christianæ recensionem nos convertimus. Atque primo de immutato generali hujus Operis ordine dicemus. In veteri editione Tomo I Archiepiscopi, Tomo II & III Episcopi, Tomo IV Abbates & Abbatissæ commemorantur. Archiepiscopatus autem, Episcopatus, & Abbatiæ ordine alphabetico recensentur. Quem quidem ordinem *Dionysius Sammarthanus* servat in Archiepiscopatibus, ad vitandas controversias, quæ inter plurimas metropoles de primatu agitantur. At enimvero e re non esse existimavit, Episcopatus & Abbatias a suis metropolibus divelli. Idcirco, postquam de aliqua metropolitana ecclesia, ejusque Archiepiscopis, verba fecit; statim subjungit Episcopatuum & Episcoporum suffraganeorum atque Abbatiarum, Abbatum, & Abbatissarum ejusdem diœceseos historiam. Uno igitur eodemque conspectu, quicquid ad metropolis historiam pertinet, Lector contemplari potest. Historiæ uniuscujusque provinciæ præmisit tabulam Geographicam, ex qua civitatis Archiepiscopalis, Episcopalium urbium, Abbatiarum, & præcipuorum provinciæ locorum situs facile dignoscitur. *Instrumenta*, quæ *Sammarthani* fratres suis locis Galliæ Christianæ interseruerunt, insigniter aucta, ad calcem uniuscujusque Tomi edi curavit, atque, addito Glossario vocum difficiliorum, ad intelligentiam Instrumentorum facem prætulit. Denique unicuique Tomo varios amplissimos atque utilissimos Indices subjunxit; Indicem generalem, & alios Indices Archiepiscoporum, Episcoporum, Præpositorum, Decanorum, Abbatum atque Abba-

tissa-

tissarum', & tandem Indicem Archiepiscoporum, Episcoporum &c. ad alios quidem Tomos pertinentium, quorum tamen in illo Tomo, cui Index subjungitur, fit mentio.

Jam propius ad *Tomum primum* accedimus. In illo Tom. I.
continentur quinque Archiepiscopatus, Albiensis, Aquensis s. Aque-Sextiensis, Arelatensis, Avenionensis, Ausciensis, cum suis Episcopatibus suffraganeis & Abbatiis. Quam felici solertia hoc Tomo fratrum *Sammarthanorum* Galliam Christianam auxerit & emendaverit, quibusdam exemplis in medium prolatis, docebimus. Et ipsa historia Ecclesiæ Albiensis, qua integrum Opus orditur, luculento documento esse potest, quod de variis Episcopis notitiam suppeditarit, quorum antea ne nomen quidem cognitum erat. Videlicet Episcopis Albiensibus, qui in veteri editione Tom. II a p. 78 ad p. 88 recensentur, ex fide dignis documentis addidit *Richardum, Citruinum,*
S. Amarandum, Hugonem I, Joannem, Verdatum, Guilielmum p. 6. 7.
I, Baldoinum, Panderium, qui ab A. 647 ad A. 876 successive Albienses Episcopi fuere, *Adolenum, Godolericum, Pater-* 8.
num, Angeloinum & Mironem, qui ab A. 891 ad A. 941 in Episcopatu se invicem exceperunt, *Ingelbinum, Honoratum, Am-* 12.
blardum, Amelium II ab A. 990 ad annum circiter 1050 Albienses Episcopos, *Adelgarium, Arnaldum I, Sicardum & Clau-* 15.
dium, seculi duodecimi Episcopos. Archiepiscopos Albienses etiam commemorat *Dionysius Sammarthanus*, quorum nulla mentio fieri poterat in veteri editione, quæ A. 1656 prodiit. Anno enim 1676 Albiensis Ecclesia demum metropolitana evasit.
De Præpositis Albiensibus late agit, & de diœceseos Albiensis 43–46.
antiquissimo monasterio *Viancii, S. Eugenii*, duplici *Toclaren-* 47. 48.
si monasterio, *Bella cella, Abbatia S. Salvii, S. Catharina*, varia 49. 50.
notatu digna in medium profert; quorum ne verbo mentionem fecerant fratres *Sammarthani*. Abbates etiam *S. Cande-* 52–57.
lii & Galliucenses enumerat; cum in veteri editione T. IV p. 213 & 455 harum Abbatiarum tantum paucissimis facta sit mentio. Integrum volumen implendum nobis esset, si indicare vellemus, quot in singulis Episcopatibus Episcopos detexerit, observationes, usu suo non carituras, addiderit, aut errores emendave-

rit.

rit. Quod quidem cum ab instituto nostro recedat, hinc inde pauca tantum delibabimus, quæ faciunt vel ad ecclesiasticam, vel ad literariam historiam illustrandam. Non possumus non laudare candorem *Dionysii Sammarthani*, qui, ubi de A-
p. 299. quensibus Episcopis agit, palam profitetur, falsa esse, quæ de primordiis religionis in Gallia alias narrari solent; nempe mota Jerosolymis adversus Christi discipulos vexatione, *Lazarum, Martham, Maximinum* & alios, navi absque remigio in certum mortis periculum impositos, divina providentia ad oram provinciæ appulisse, & Massiliensium quidem *Lazarum*, Aquensium vero *Maximinum* Episcopum constitutum esse. In Præfatione jam testatus erat noster *Sammarthanus*, se nolle omnes in vulgus sparsas traditiones de primorum Evangelii in Galliis præconum antiquitate Apostolica tueri. Ubi etiam contendit, nihil aliud de primis cœlestis doctrinæ in Gallia doctoribus certo affirmari posse, quam quod Sec. I in Gallia unice salutaris doctrina jam fuerit prædicata. Verosimile autem tantum esse, Pauli discipulos primas in Gallia Ecclesias instituisse; cum de Paulo constet, eum ad Hispanos usque pervenisse. Aeque omnino rejiciendam opinatur *Eusebii, Epiphanii* & *Theodoreti* interpretationem dicti *2 Tim. IV, 10*, qui existimant ibidem dici: *Crescens quidem in Gallias abiit.* Fratres *Sammarthani* in veteri editione T. I p. 2 nondum audent fabulas de primis in Gallia Christianis doctoribus rejicere; sed se aliquo modo tueri conantur *Francisci Bosqueti* verbis: *Illa traditio aliqua etiam autoritate subnixa est, adversus quam, absit, ut sentiam; si per Ecclesiam non licet.* Candoris etiam *Dionysii Sammarthani* argumentum est, quod, ubi inter Episcopos Cabellionenses diœceseos Avenionensis *Ingilramni* an-
943. no circiter 991 Episcopi meminit, observet, hunc Episcopum uxorem habuisse *Adalgudem*. Id quod firmat ex epistola, qua *Ingilramnus*, Cabellionensis Episcopus, S. Victori Ecclesiam S. Perpetuæ donat, scripta A. 1011, atque ex tabulis S. Victoris
v. Instrum. Massiliensis petita. Inibi enim hæc verba reperias: *Ego In-*
p. 155 col. 2. *gilranus gratia Dei Episcopus & fidelis mea Adalgude nomine facimus donationem* &c. & dein: *Ego Arnelius filius Ingilrani*

ni facio donationem S. Victori Martyri &c. Inter Episcopos Regenses diœceseos Aquensis primo loco S. *Prosperum* commemorat. Qui quidem a *Bellarmino* & aliis pro *Prospero* Aquitanico habetur, quem defensione *Augustini* adversus Pelagianos inclaruisse constat. Alii tamen *Prosperum* Aquitanicum inter Episcopos Italos numerant. Fratres *Sammarthani* Tom. III p. 934 hanc controversiam in medio relinquunt. Noster *Sammarthanus* autem eandem finit, atque tuetur, *Prosperum* Aquitanicum neque in Gallia, neque in Italia, fuisse Episcopum. Nam *Augustinus* ad *Prosperum* tanquam ad laicum scripsit, & *Gennadius* in libro de scriptoribus Ecclesiast. eum tantum appellat hominem Aquitanicæ regionis, nulla Episcópalis dignitatis facta mentione. Ante *Honorium* Augustodunensem, seculi duodecimi scriptorem, nemo est, qui *Prosperum* Episcopum appellarit. Neque etiam, uti demonstrat, Chronologia permittit, ut *Prosper Aquitanicus* inter Episcopos Regenses recenseatur. Incertum igitur esse, opinatur, quis & qualis *Prosper* primus Regensis Episcopus fuerit; licet certum sit, eum Aquitanicum non fuisse. Episcoporum Vasionensium provinciæ Avenionensis octavum & sexagesimum nominat *Josephum Mariam Suarez*, qui A. 1633 evasit Episcopus. *Sammarthani* fratres Tomo III p. 1140 tantum generalia quædam de eodem commemorant; Noster autem *Dion. Sammarthanus* observat, *Suarezium* notitiam librorum Βασιλικῶν primum in lucem communi cum applausu edidisse, a *Carolo Fabroto* editioni Codicis Basilici A. 1647 præfixam; eidemque *Suarezio Nili* Abbatis Operum Græcorum interpretationem Latinam & libros duos Prænestes antiquæ, Romæ 1655 editos, deberi.

p. 389. 390.

936.

Ad *Tomum II* progredimur, qui complectitur duas tantum provincias, Bituricensem & Burdigalensem, seu Aquitanicas, primam & secundam. In Præfatione monet Celeb. Editor, post *Baluzii* obitum principis Franciæ supremi Rectoris auspicio ad manus suas pervenisse *Stephani Baluzii* animadversiones & observationes in veterem Galliam Christianam; se autem explorate perspexisse, pauca admodum esse in his doctis

Tomus II.

notis, quæ in suo Opere desiderentur. Quod non dubium diligentiæ suæ in scrutandis Ecclesiæ Gallicanæ monumentis argumentum interpretatur. Præmittit huic Tomo 1) Animadversiones in primum Galliæ Christianæ Tomum, & nonnulla errata, inibi commissa, indicat; 2) Recensionem mutationum, quæ in Gallia Christiana post editum Tomum primum factæ sunt. Non imminutam fuisse in elaboratione hujus Tomi *Dionysii Sammarthani* solertiam, cuivis, qui ipsum librum evolvit, ad oculum patebit. Nos pro instituti nostri ratione unum tantum atque alterum ejus industriæ exemplum commemorabimus. Inter Archiepiscopos Bituricenses num. 94 agit de *Francisco II*, dein Cardinalium Collegii Decano & Episcopo Ostiensi. Cujus quidem Archiepiscopi etiam fit mentio in veteri editione T. I p. 186. Sed longe plura de eodem noster *Sammarthanus* commemorat. Addit e. g. eum non solum in Synodo Bituricensi A. 1527 *Lutherum* cum suis, uti dicit, erroribus damnasse, & pœnas comminatum esse iis, qui libros Lutheranos aut venderent aut emerent, verum etiam, ne absentia pastorum incrementa caperet *Lutheri* doctrina, canones de residentia Canonicorum & præcipue ecclesiæ rectorum iterum iterumque inculcasse. Præter illa, quæ de *S. Hilario*, Episcopo Pictaviensi, a fratribus *Sammarthanis* T. III p. 867 seq. recensentur, Noster observat, in exordio librorum de Trinitate *Hilarium* docere, se in ætate provecta per sacrarum scripturarum lectionem ad Christianæ religionis cognitionem pervenisse. Perperam itaque tenere *D. Petrum Constant*, qui vitam & scripta *Hilarii* egregie illustravit, *Hilarium* a Christianis parentibus natum esse. Porro tuetur, *Hilarium* Arianis non solum, sed ipsis etiam orthodoxis nonnunquam odio fuisse atque dolori; quod libro suo *de Synodis* Orientis & Occidentis ecclesias, depulsis mutuis suspicionibus, quæ ineundæ concordiæ obstabant, ad pacem hortatus sit. De ipso enim *Hilario* aliquos, uti fieri solet, judicasse, quod Orientis Christianos, qui ὁμοιούσιον dissimulato vel etiam rejecto ὁμοουσίῳ defendebant, pro Catholicis haberet, ut eorum gratiam aucuparetur. Erudite etiam tradit *Sammarthanus*, *Hilarium* inter innumeros labores, pro ecclesia

p. 1139 seq.

clesia exantlatos, sacris libris sua manu describendis operam dedisse. Id quod probat ex S. *Perpetui*, Turonensis Episcopi, testamento, anno 474 condito, quo *Euphronia* Episcopo Augustodunensi donat Evangeliorum librum, *quem*, inquit, *scripsit Hilarius Pictavensis quondam sacerdos*. Testatur quoque, se in *S. Gratiani* Turonensis Bibliotheca veterem Evangeliorum Codicem, qui a *S. Hilario* scriptus putatur, oculis suis usurpasse.

Tomus tertius complectitur tres metropoles admodum disjunctas; nempe Archiepiscopatum Cameracensem, Coloniensem & Ebredunensem. Una enim ad Belgium pertinet, altera Germaniæ pars est, tertia vero est in Gallia maritimarum Alpium caput; sed eæ conjungendæ fuere *Sammarthano* ob alphabeticum ordinem, quem in disponendis Archiepiscopatibus sibi præscripsit. Coloniæ autem Agrippinæ amplissimæ in Germania metropoleos historiam propterea tradit, quoniam cis Rhenum sita, veteri Galliæ merito vindicatur. Ex Metropolitæ Coloniensis Episcopatibus suffraganeis Leodiensem tantum Episcopatum commemorat, qui cis Rhenum est. Reliquos, qui trans Rhenum sunt, tacitus præterit; quod ad Galliam nullo modo pertinent. Præmittit ipsorum Episcoporum historiæ 1) recensionem mutationum, quæ a tempore editi Tomii II in Ecclesia Gallicana factæ sunt, 2) quædam hoc in Tomo negligentius dicta vel etiam omissa supplet, & errata corrigit, 3) e lucubrationibus *Baluzii* excerpta, quæ faciunt ad historiam T. I & II illustrandam, & nonnunquam etiam emendandam, exhibet. In ipsa autem Episcoporum historia *Dionysius Sammarthanus* varia tradit a fratribus *Sammarthanis* nondum observata, atque tot observationibus illorum Galliam Christianam auget, ut novum Opus merito scripsisse dicatur. E. g. Fratres *Sammarthani* T. I p. 256 tuentur, *Euphratam*, secundum Coloniensem Archiepiscopum, ob hæresin Arianam in Synodo Coloniensi S. Agrippiniensi, anno 346 habita, damnatum, suo gradu excidisse. Sed *Dionysius* noster *Sammarthanus* varia in medium profert argumenta, quibus hanc historiam dubiam faciat. Præcipuum est, *Euphratam* paullo post anno 347 non

Tom. III.

p. 622.

solum adfuisse Concilio Sardicensi, adversus *Arianos* & *Anomaos* habito, sed etiam a sancta Synodo delectum esse, ut cum *Vincentio*, Capuæ Episcopo, *Constantium* Imperatorem adiret, rogaretque *Athanasio* ejusque sociis, contra fas omne depulsis, reddi ecclesias. Non igitur probabile esse, existimat, *Euphratam* nondum ab hoc tempore anno elapso ob Arianismum dignitate Episcopali fuisse privatum. Neque superesse, quod illis opponatur, qui acta hujus Coloniensis Concilii pro supposititiis habent. Verbosius etiam, quam fratres *Sammarthani*, T. I
p.645 seq. p.260 exponit res gestas *Brunonis I*, de Archiepiscopatu Coloniensi & de Republica literaria optime meriti. Neque enim solum, ut probat *Dion. Sammarthanus*, Ducalem, sive, ut *Rotgerus*, *Brunonis* vitæ scriptor, commemorat, Archi-Ducalem potestatem cum Archiepiscopatu conjunxit; verum etiam tantos in studiis literarum progressus fecisse a scriptoribus comparis ætatis dicitur, ut nullum penitus fuerit studiorum liberalium genus in omni Græca vel Latina eloquentia, quod ingenii ejus vivacitatem aufugeret. Magnum sane elogium, præsertim decimo, quo *Bruno* vivebat, seculo!

Tom. IV. Galliæ Christianæ *Tomus tertius* vix absolutus erat, cum diem suum obiret *Dionysius de Sainte-Marthe*, hujus Operis director. De cujus meritis in rem literariam eximiis pauca delibabimus, modo primum Tomi IV, in quo sola metropolis Lugdunensis cum multis Episcopatibus suffraganeis & Abbatiis describitur, rationem breviter indicaverimus. Ex Indice hujus Tomi & Præfatione, eidem præfixa, intelligimus, eum opera & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti prodiisse. Continuabunt hoc Opus sub auspiciis Illustriss. Galliæ Antistitum. Quorum autoritate inposterum Tomus Galliæ Christianæ, nondum typis exscriptus, a viris historiæ patriæ peritis in unaquaque, de qua agetur, diœcesi sub examen vocabitur. Facilius enim ab iis, qui in illa Ecclesia vitam agunt, si quis irrepsit, error deprehendetur, quam ab aliis, qui ab illa Ecclesia, cujus historia recensetur, disjunctiores sunt. Hoc subsidio tamen in hoc Tomo ob temporis penuriam tantum usi sunt in iis, quæ spectant
ad

ad Episcopatum *Lingonensem.* Non dubitamus igitur, quin Monachi Benedictini pluribus, quam *Sammarthanus*, subsidiis instructi, in continuanda Gallia Christiana felici successu sint progressuri; cum hoc Tomo edito, quam curæ cordique sibi sit Gallia Christiana, satis superque jam declaraverint. Ut eorum industriæ quædam proferamus exempla, notamus, tactam ab iis in vita *Irenæi* controversiam, quam fratres *Sammarthani* p. 7 seq.
T. I p. 291 neglexerant, utrum, quod tuentur *Fevardentius* & *Halloixius*, *Irenæus* ob ortam Cataphrygarum h. e. Montanistarum hæresin ad Phrygas & Asianos & ad *Eleutherium*, Episcopum Romanum, ab Ecclesia Lugdunensi missus sit, an vero, quod *Baronius* propugnat, tantum ad Ecclesiam Romanam sit ablegatus? Subscribunt *Baronianæ* opinioni, quoniam firmari posse videtur *Hieronymi* testimonio, qui in hac causa majorem fidem meretur, cum constet, illum Romæ ipsa inspexisse Romanæ Ecclesiæ Chartophylacia. Inter Martyres *Irenæum* numerant, &, nullo loco habenda esse, opinantur, *Henrici Dodwelli* argumenta, qui *Irenæum* ex Catalogo Martyrum expungere conatur. Locum tamen, quo hoc argumentum ex instituto pertractat, non proferunt, neque citant. *Dodwellus* Dissert. III in *Irenæum* §. XXI p. 259 seq. communem de martyrio *Irenæi* refellit sententiam. Hanc Dissertationem evolvant, qui de hac controversia judicium ferre volunt. Forsan *Dodwelliana* argumenta non adeo levis erunt momenti. Cum 20.
inter Episcopos Lugdunenses num. XIX S. *Eucherii* mentionem faciunt, quærendo investigant, num unus, an vero duo *Eucherii* in Lugdunensium Præsulum serie sint admittendi? Exercuit hæc quæstio doctissimorum virorum ingenia. Pro unico *Eucherio* pugnant *Chiffletius*, *Tillemontius* & alii; duos admittunt *Baronius*, *Spondanus*, *Mabillonius* &c. Horum sententiis Monachi Benedictini subscribunt, & propugnant, ab antiquis & quidem seculo nono antiquioribus scriptoribus jam in hac re erratum fuisse, sed errorem ex vetustioribus posse corrigi. Ex *Hilario* enim *Arelatensi*, *Gennadio*, *Cassiano*, aliisque 29.
seniorem *Eucherium*, variis scriptis exegeticis & moralibus illustrem, facili negotio agnosci, nec difficilius juniorem ex vita

 Con-

Consortia, utrumque autem ex variis Conciliorum, quibus adfuere, subscriptionibus. A fratribus *Sammarthanis* T. I p. 294 S. *Veranus*, & ab aliis etiam *Salonius*, filii *S. Eucherii* senioris, immediate post *Eucherium* Episcopi Lugdunenses evasisse dicuntur. Sed monachi nostri Benedictini probant, eosdem vivente adhuc parente fuisse Episcopos, & *Veranum* sigillatim, cum Venciæ in provincia Alpium maritimarum esset Episcopus, diem suum obiisse. Neque enim obstare, existimant, quod in Diptychis Ecclesiæ Lugdunensis nomina *Salonii* & *Verani* reperiantur. Conjiciunt enim, *Eucherii* filiorum nomina Diptychis Ecclesiæ Lugdunensis amoris & reverentiæ causa tantum inserta fuisse. *Cyrilli Alexandrini* nomen in Mopsvestenis Diptychis legi, & etiam nunc *S. Ambrosii*, *Martini* & *Augustini* nomina in Arelatensibus Diptychis, licet ibidem Episcopi non fuerint. Non deessent observationes, quæ, præter jam allatas, mererentur exempli loco hic recenseri. Sed, promissi memores, diutius Lectorem non morabimur. Dicendum enim nobis adhuc est de ipso *Dionysio Sammarthano*, qui, ubi de Gallia Christiana agitur, non uno nomine laudari meretur. Ejus imaginem, scite sculptam & venuste, atque vitæ synopsin Benedictini Monachi huic T. IV præmiserunt. Natus est Lutet. Paris. d. 24 Martii A. 1650, eo ipso anno, quo *Scævola Sammarthanus*, de veteri Galliæ Christianæ editione optime meritus, vivere desiit, patre *Francisco de Sainte-Marthe*, domino de *Chandoiseau* in Pictonibus, matre *Maria le Camus*. Licuit illi esse tam felici, ut in prima juventute ipsius parentis sui institutione, qua nulla fidelior esse poterat, usus sit. Cum autem hoc duce in literarum studiis jam aliquos fecisset progressus, in Pontileviensi monasterio in tractu Blesensi, quod a Patribus Congregat. S. Mauri regitur, studia literarum continuavit; &, cum illi instituta hujus Congregationis arriderent, Redones petiit, ubi in monasterio S. Melanii Congregationi S. Mauri A. 1668 adscriptus est. Solertia autem sua atque literarum peritia effecit, ut non solum Theologica atque Philosophica per undecim annos in monasteriis S. *Remigii* Remensis, S. *Germani a Pratis*, ac demum *S. Dionysii* docuerit, applaudentibus omnibus, verum

etiam

etiam ut successive S. *Juliani* Turonensis domus, Bibliothecæ & Parochiæ Sangermanensis, monasteriorum B. Mariæ de Bono-Nuntio, & S. *Audoeni*, Parisiensis Alborum Montellorum domus, monasteriorum *S. Dionysii* in Francia, S. *Germani a Pratis*, & iterum *S. Dionysii* Prior aut Præfectus evaserit, A. 1717 vero Calensis & Montis Martyrum monasteriorum Visitator, & A. 1720 Monachorum Ordinis Benedictini Congreg. S. Mauri Præpositus generalis constitutus sit. Ad ejus vitæ & methodi studiorum rationem sigillatim quod attinet, Monachi Benedictini commemorant, ab eo magnam præcipue operam navatam, ut spinosas & inanes quæstiones ex Philosophia & Theologia removeret, & magni ab eo æstimata in Philosophia recentiorum inventa. Erga alios dicitur humanissimus & liberalis fuisse. Qua benevolentia, uti & pulchra atque decora facie, sibi multorum amorem conciliavit. Sibimet ipsi autem, uti referunt Benedictini, admodum durus atque austerus fuit. Acerrimis enim vigiliis cilicium & catenas ferreas ad extremum usque morbum adjunxit. Dolendum sane, quod vir doctus, cum pietatis esset studiosus, præter necessitatem tot sibi dolores conciliaverit. Vitam suam finiit A. 1725 die 30 Martii, anno ætatis 75, regiminis 5. Sed memoriam doctissimi viri apud gentem literatam conservant varia scripta, quæ partim Latina, partim Gallica lingua elaboravit. Gallici ejus libri sunt: 1) *Traité de la Confession contre les erreurs des Calvinistes*, Paris. 1685. 2) *Response aux plaintes des Protestans, touchant la pretendue persecution*, 1688. 3) *Entretiens touchant l'entreprise du Prince d'Orange sur l'Angleterre*, 1689. 4) *Oraison funebre de Madame de Bethune.* 5) *La vie de Cassiodore, Chancelier de Theodoric Roy d' Italie, & ensuite Abbé de Viviers, en* 1694. 6) *La vie de Saint Gregoire le Grand Pape, imprimée a Roüen en* 1697. 7) *Reflexions sur la lettre d'un Abbé d' Allemagne aux RR. PP. Benedictins de la Congregation de S. Maur, sur leur dernier Tome de l'edition de St. Augustin*, in 12, 1699. 8) *Lettre à un Docteur de Sorbonne, touchant le Memoire d'un Docteur en Theologie, addressé a MM. les Prelats de France, contre les Benedictins*, in 12, 1699. Latino sermone

mone publici juris fecit *S. Gregorii M. Opera omnia Notis & Dissertationibus illustrata*, IV Vol. in fol. 1705, & *Galliæ Christianæ* editionem novam, quam verbosius modo recensuimus. Uti ex generali hujus Operis instituto colligimus, quatuor minimum Tomi adhuc erunt edendi, antequam finis eidem queat imponi. Quos quidem residuos Tomos a Benedictinis Monachis propediem editum iri, eo certius confidimus, quo magis hoc ipso Congregationis suæ, de antiquitate Ecclesiastica optime meritæ, laudem servabunt, Episcoporum in Gallia gloriam promovebunt, & universo literario orbi inservient.

SERMONS, BY SAMUEL CLARKE, D.D. LATE Rector of St. James, Westminster.

h. e.

SAMUELIS CLARKII, S. THEOL. DOCT. & Pastoris quondam ad S. Jacob. Westmonasterii Sermones Sacri. Accessit Præfatio BENJAMINI, Episcopi Sarisbur. de Vita, scriptis & moribus Autoris.

Tomi IV.

Londini, apud Jac. & Jo. Knapton, 1730, 8 maj.
Alph. 4 pl. 17.

ETsi ab instituto nostro alienum videri posset, Sermones sacros, quorum quotidie magna copia prodit, commemorare; non potuimus tamen nos ab his prorsus continere, inprimis quod Autoris, qui magnum nomen inter Philosophos, Mathematicos, Criticos & Theologos consecutus est, vita præmissa est a S. R. *Benjamino Hoadley*, Episcopo Sarisburiensi, lectu ac memoratu oppido digna. Et Sermonum quidem tantum Indicem dabimus. Continentur vero *Tomo I* Sermones de fide in Deum, *Hebr. XI, 6*, de Dei unitate, *Matth. IV, 10*, æternitate, *Apoc. I, 8*, spiritualitate, *Joh. IV, 24*, immutabilitate, *Mal. III, 6*, omnipræsentia, *1 Reg. VIII, 27*, omnipotentia, *Psal. CXLVII, 5*, omniscientia, *Job. XXXVII, 16*, sapientia, *Col. II, 3*, boni-

bonitate, *Pſ. CXLV*, *9*, patientia, *Eccleſ. VIII*, *11*, & juſtitia, *Job. XXXIV*, *10 ſq*. *Tomo II*: de gloria Dei, *1 Cor. X*, *31*, de Deo patre generis humani, *Matth. XXIII*, *9*, de Liberis Dei, *Rom. VIII*, *16*, *17*, de amore in Deum, *Matth. XXII*, *37*, *38*, de timore Dei, *Job. XXIII*, *15*, de ſapientia pie vivendi, *Prov. IX*, *10*, *11*, de imitanda ſanctitate Dei, *1 Petr. I*, *15*, *16*, de amore Dei erga peccatores, *Job. III*, *16*, de fiducia in Deum, *Rom. IV*, *3*, de gratia Dei, *Tit. II*, *11*, *12*, & *Phil. II*, *12*, *13*, & de Regno Dei, *Matth. VI*, *10* & *33*; *Tomo III*: de libertate moraliter agentium, *Job. VIII*, *32*, de optima via ad intelligendam veram religionem, *Dan. XII*, *10*, de praxi virtutis ad praxin Evangelii ducente, *Job. VI*, *44*, de charactere viri boni, *Gen. XVIII*, *19*, de natura actionum humanarum, *Luc. XI*, *35*, ut judicandum ſit de actionibus moralibus, *Luc. VI*, *44*, de natura religioſarum veritatum, *2 Tim. II*, *25*, de Chriſti vocatione peccatorum ad pœnitentiam, *Marc. II*, *17*, de excellentia qualificationum moralium, *Act. XI*, *24*, de humilitate, *Luc. XIV*, *11*, de paupertate ſpirituali, *Matth. V*, *3*, de charitate virtute, *1 Cor. XIII*, *3*, de natura officiorum relativorum, *Col. III*, *20 ſq*. de amore Dei cum amore mundi non conſiſtente, *1 Job. II*, *15*, & de ſtoliditate eorum, qui peccata rident, *Prov. XIV*, *9*; *Tomo IV*: de fide ad baptismum neceſſaria, *Marc. XVI*, *16*, de fine baptismi, vitæ renovatione, *Rom. XI*, *3*, *4*, de baptizatione in nomine cujusdam, *1 Cor. I*, *13*, de natura & fine S. Cœnæ, *1 Cor. XI*, *25* & *27*, de Catholica Chriſti Eccleſia, *Hebr. XII*, *22*, *23*, de numero & qualificatione ſalvandorum, *Apoc. III*, *4*. Hæc ſunt, quæ hactenus e ſchedis fraternis produxit *Johannes Clarke*, Th. D. & Diaconus Sarumenſis, plures deinceps, ut ſpes eſt, Tomos producturus.

Quod ad vitam præmiſſam attinet, lubet eam paucis perluſtrare. Natus erat *Sam. Clarke* Norvici A. 1675 d. 11 Oct. patre *Eduardo*, Senatore, ac per varios annos ad Senatum Regni deputato. Elegantiores literas in patria a *Burtono* feliciter edoctus, in Cantabrigienſem Academiam pervenit A. 1691, ubi tum regnabat Philoſophia *Carteſiana*, quæ quanquam Noſtro minus placebat, quippe *Newtonianis* jam principiis imbuto, non tamen plane abjiciendam putabat *Rohaultianam* Phyſi-

cam, cujus versione Latina corrupta admodum tunc utebantur Cantabrigienses, sed novam tantum & comptiorem versionem edebat, eamque passim notis, ad veritatem magis ducentibus, illustrabat, quam in hunc diem Academia non sine fructu sequitur. Mox S. Scripturæ, Hebraicæ ac Græcæ, Patrumque lectioni assidue intentus, prius Theologicæ eruditionis specimina dedit A. 1699 Anglice, Tractatus nempe tres practicos, de Baptismo, confirmatione & pœnitentia, ut & Animadversiones in Librum, qui tum sub titulo *Amyntor* prodierat, & biennio post 1701 Paraphrasin in Evangelium S. *Matthæi*, quam mox Paraphrasis in *Marcum, Lucam* & *Johannem* excipiebat, subjectis passim notis Criticis. Interea mature in familiam *Johannis Mori*, Episcopi Norvicensis, receptus, & Capellani apud eum officio aliquot annos functus, sacro etiam muneri in urbe
p. 11. Norvicensi aliquandiu præfectus, A. 1704 rursusque anno sequenti jussus est ex *Boylii* instituto sermones habere Londini, jam sæpius & emendatius semper ab Autore editos, quibus existentiam Dei evidentissime probavit, & *Hobbesii* ac *Spinosæ* systema de fato & necessitate funditus evertit, atque omnia tam luculenter exposuit, ut eo in genere vix parem habuerit. Inde Londinum & mox, Reginæ Annæ jussu, ad Pastoratum D. *Jacobi* Westmonasterii vocatus, dici non potest, quantum sibi auditorum utrinque animos devinxerit; & tunc quidem Doctoratus gradum capessivit Cantabrigiæ, Disputatione insigni
16 sq. cum laude habita. Inter hæc *Dodwellum* ejusque Promachum, virum doctum, qui animam hominis natura mortalem esse, nec nisi baptismo rite administrato immortalitatem ei conferri, e primitivæ Ecclesiæ scitis probare laborabant, magno bonorum plausu ad silentium redegit, nec minorem postea fa-
25. mam e libro, quem sub titulo: *The Scripture-Doctrine of the Trinity* edidit, a nobis in *Actis A. 1713 p. 258* memoratum, ac diu contra plurimos adversarios strenue defendit, consecutus est. Sed hactenus de Operibus ejus Theologicis; quod ad Criticam profanam, in qua non minus excelluit, duo nobis dedit specimina, *C. Jul. Cæsaris* Commentarios, A. 1712 in fol. cum notis elegantibus editos, & *Homeri* Iliados Libros priores

XII,

XII, quorum illud in *Actis A. 1714 p. 49*, hoc *A. 1730 p. 1 sq.* recensuimus. Quantum vero inprimis in *Homero* præstiterit, cujus utinam reliqua quoque prodeant aliquando! nemo ignorat. In Physicis porro & Mathematicis operam suam desiderari passus non est, quippe non modo *Is. Newtoni* de Optica librum Latine vertit eleganter, sed & quædam ejus inventa mascule defendit Dissertationibus, subinde in Transactiones Angl. insertis. In Metaphysicis vero id illi præ multis aliis præcipuum fuit, quod, rejectis tricis omnibus, apertissime singula, atque ita, ut quivis Lectores facile caperent, explicaret. Ita enim & versatus est in controversia de libertate hominis, quæ inter ipsum & *Leibnitium* privatim quidem aliquandiu intercessit. Ceterum postquam ex uxore Catharina, viri cujusdam venerandi filia, septem liberos suscepisset, quorum duo ante patrem, unus paullo post eum decessit, fatali morbo correptus, pie decessit d. 17 Maji anni 1729, vir non memoria tantum felicissima, sed judicio etiam incomparabili instructus, & exteris æque, ac ipsis Anglis, admodum desideratus. p. 60.

HISTORICAL MEMOIRS OF THE LIFE OF D. SAMUEL CLARKE, being a Supplement to Dr. SYKES'S and Bishop HOADLEY'S accounts &c.

h. e.

COMMENTARII HISTORICI DE VITA D. SAM. CLARKII, quibus relationes D. SYKESII & Episcopi HOADLÆI supplentur &c. Autore GUILIELMO WHISTONO, Art. Mag. & quondam Mathes. Profess. in Academ. Cantabrig.

Londini, sumtibus Fletsch. Gylesii, 1730, 8 maj.

Plag. 12½.

CUm historiam eruditionis atque doctrinarum, quæ vel nuperius excogitantur, vel recoquuntur, fata in *Actis* hisce inprimis conservare studeamus; hujus Opusculi, multa complectentis, quæ scire juvet Lectores nostros, mentionem non putavimus hic injiciendam nullam esse. Quam enim magna pars sit ipse

Whistonus tumultuum, quibus Britannia, tum ex libidine, tum ex licentia novis opinionibus rem Christianam turbandi, agitatur, vel ex his *Actis*, atque excerptis librorum *Whistoni*, quæ passim exhibuimus, abunde constat. Vitam *Clarkii*, de Ariana doctrina valde olim suspecti, imo publiee propterea in jus vocati, dum hoc scripto recenset, multa quoque, ad se, Arianarum partium studium palam professum, pertinentia, inspergit, & quantus jam sit eorum in Anglia, parum suspecta olim hoc nomine, numerus, qui Arii errores sequuntur, edocet. Dum enim singularis candoris exemplum affectat, crimini sibi ducere videri vult, non aperte proferre, quicquid in scrinio pectoris latet, eoque prætextu nec amicorum famæ parcit, nec cum adversariis admodum moderate agit. Quasi reverentiæ, qua olim erga amicos usus est, ipsum pœniteret, hoc Opusculo nomina eorum libere prodit, quæ in aliis scriptis ante celaverat, nonnullos invitos in suspicionem societatis opinionum suarum pertrahens, qui, modeste cum ipso olim conversati, non vehementer satis suos ipsi errores exprobrarant. Ita *Clarkio* insultare videri non vult, dum timiditatem, simulationem, imo *p. 160* vitam sacri ordinis viro haud convenientem in ipso carpit, arbitratus, ita demum absque tergiversatione se historiam vitæ amici non fucatam exposuisse. Hanc enim adhuc desiderari, cum & *Syckesii* vita, Diario ipsius, quod *Præsens status Reip. literariæ* inscribitur, inserta, &, quæ *Hoadlæus* Episcopus memoravit in Præfatione libri, quem modo produximus, Panegyricis, quam vitis historice scriptis similiora sint. Sed lubet pauca, quæ non de *Clarkio* tantum, de quo ea, quæ modo diximus, repetere nolumus, sed de aliis quoque eruditis refert singularia, excerpere.

Newtonum, confirmat, Arianorum partibus adstitisse, eoque animo Dissertationem conscripsisse, a *Whistono* laudatam, qua probare suscepit, locum *1 Joh. 1* spurium esse. Testatur præterea, ipsum res Theologicas omnes diligenter scrutatum fuisse, atque *p. 157* spem facit prolixi ejus de *Vaticiniis S. Scripturæ Commentarii*, qui jam sub prelo sudat, mox prodituri. Dum Physicam *Robaulti*, a *Clarkio* eleganter Latine versam, memorat, indignatur, quod hodie in Academiis Anglorum *Robaulti* Physica, quæ mera sit fabula Philosophica,

juven-

juventuti prælegatur, &, cum Philoſophia *Newtoni* ſatis explicata & tironum captui accommodata ſit, Philoſophiæ Profeſſores, reperto tritico, glandibus auditores ſuos adhuc paſcant. Tantam poſtea *Opticæ Newtonianæ* verſione Latina a *Newtono* gratiam iniiſſe refert, *Clarkium*, ut *Newtonus* eam 500 libris Anglicanis, quæ *Sterlings* vocantur, remuneraretur. Illud notatu inprimis dignum eſt, *Clarkium*, ſocio parente ſuo, ſenatore civitatis Norvicenſis, teleſcopio 15 aut 16 pedum Saturnum contuentem, diſtincte obſervaſſe ſtellam fixam coruſcantem inter annulum & planetam, quo experimento evincebatur, annulum a planeta prorſus ſeparatum eſſe, quod Aſtronomi ante quidem conjecerant, nondum tamen invictis rationibus potuerant demonſtrare. Inter eos, qui Arianæ, ſive, quod nomen ipſi magis probatur, *Euſebianæ* doctrinæ addicti ſint, ex Anglis *Whiſtonus* numerat *D. Bradfordum*, *Benj. Hoadlæum*, *Clarkium*, *Sydalium*, *Newtonum*, ut plures alios taceamus, quos quo jure ſuis partibus adſcripſerit, alii viderint. Commemorans poſt hæc operam, a ſe in vertendis atque commendandis Conſtitutionibus Apoſtolicis collocatam, atque opem prædicans, quam tum *Clarkius*, tum alii viri eruditi in eruendo vero librorum horum ſenſu ſibi præſtiterint, ſe prima a juventute rebus magis, quam verbis, intentum, in Criticis non adeo verſatum eſſe, haud diffitetur. Narrat hoc loco multa de antiquitate & autoritate harum Conſtitutionum, recenſens ſimul ſententiam multorum doctiſſimorum Angliæ Theologorum de iisdem, atque ita prodit, clam multos eandem cum *Whiſtono* tibiam inflaſſe, palam quidem ſententiam ſuam eloqui non auſos. Conqueritur valde de nimia *Clarkii* moderatione, eademque exoptatam illam Eccleſiæ ſecundum Apoſtolorum præcepta emendationem ſucceſſu fuiſſe defraudatam, exiſtimat. Quæ *Clarkio* ob librum *de Doctrina Scripturæ de Trinitate* lis fuerit intentata, adeo ut palinodiam canere cogeretur, prolixe ſatis explicat, eundemque munera publica poſtea conſtanter detrectaſſe teſtatur, ne *Athanaſii* verbis ipſi eſſet ſubſcribendum. Narrat quoque *Whiſtonus*, ſe autore ſocietatem, ut vocabatur, promovendi Chriſtianiſmi primi coaluiſſe, quæ ſingulis hebdomadis conveniebat, de mediis conſultatura, quibus

ab omni labe Ecclesia purgari, atque prisca Apostolorum fides revocari queat. Societati huic adscripti erant decem vel duodecim viri honesti, quorum nonnulli literis exculti erant, & quamcunque religionem professo accedere ad illam licebat. Seligebat societas sibi Præsidem, & *Whistonus* ipse perpetui Secretarii munere fungebatur, qui literis studiose consignaret, quicquid in concilio horum virorum actum fuerat. Scopus societatis ex ipsis legibus, quibus prævio examine illa se obstrinxerat, optime cognoscitur, quas integras Opusculo huic inseruit Autor, nobis vero ob debitum Lectori brevitatis studium excerpere non licet. Acta societatis cum ex *Whistoni* sententia longe majoris momenti sint, quam curiæ aut Collegii cujusvis in M. Britannia tabulæ, ipse curiose descripta servat, cum publico forte olim communicanda. Graviter postea monet, quantis periculis per spinosa illa Metaphysicorum argumenta se objiciant eruditi, quantisque erroribus, experientiam & communem sensum impugnantibus, implicentur. Exempli loco viros producit celeberrimos, *Leibnitium, Lockium & Berklejum*, quos argutiis illis irretiri se passos esse dolet. *Leibnitium* enim, ait, a *Clarkio* in celebri illa controversia, quæ nutu & auspiciis Reginæ, tum Principis Walliæ, agitabatur, ipsa experientia, legibus motus notissimis, atque inventis *Newtoni*, (quem pro viribus operam tunc præstitisse *Clarkio*, hoc loco Autor prodit ac fatetur,) ita ad incitas fuisse redactum, ut necesse habuerit, in Metaphysicis tricis sibi latebras quærere. Confugisse ipsum propterea, autumat, ad *harmoniam præstabilitam*, non nisi in ipsius cerebro inveniendam, quod rationem superiorem vocaverit. Mox tamen apparuisse, quantum superior illa *Leibnitii* ratio sit ipsa experientia atque Mathematicarum rerum momentis inferior. Nos Lectoris rerum gestarum periti judicio ea, quæ de Cel. *Leibnitio Whistonus* ita contumeliose refert, relinquimus. Narrat hac occasione, augustam Walliæ Principem non intellexisse modo egregie, sed ipsam quoque proposuisse, quid *Leibnitio* sit respondendum, antequam responsionem suam *Clarkius* concinnaverat. Testes adducit, qui sæpius audiverunt *Clarkium*, mira proferentem

tem

tem de judicio & perspicacia Principis in difficillimis controversiæ illius argumentis. *Newtonum* vero per jocum *Clarkio* dixisse, refert, quod responsione sua cor *Leibnitii* confoderit. *Lockium* ceu exemplum vanitatis Metaphysicæ exhibens, fatetur, ipsum omnes ante se profunda rerum Metaphysicarum scientia superasse, tandem vero famoso *P. Limborchii* contra libertatem humanam argumento Metaphysico ita in angustias fuisse compulsum, ut ingenue fassus sit, se non habere, quod ad illud respondeat. Arbitratur tamen, *Lockio* sat sensus communis innatum fuisse, ne de libertate animi sui, repugnante omnium virorum prudentum suffragio, dubitaret, etiamsi Metaphysica illa Scepticorum acumina superari haud posse ipsi visa sint. De *Berklejo* denique refert, ipsum, Metaphysicis rationibus inductum, paradoxam illam sententiam A. 1710 evulgasse, *quod materia vere non existat*, imo quod risu plane dignus atque ineptus sit, cui de existentia ejus persuasum sit. *Whistonus*, accepto illo libro, cum, se in Metaphysicis parum versatum esse, haud inficiaretur, detestatus tamen absurdam viri hujus doctrinam, *Clarkio* autor erat, ut condigne illam confutaret, nunquam tamen, ut operi huic se accingeret, ipsum permovere poterat. Eo autem ægrius repulsam hanc tulisse videtur, quod *Clarkius* non ita multo post *Homeri Iliada, Animadversionibus* suis illustratam, evulgaverit. Virum enim S. Theologiæ peritissimum tempus suum in re Christiana promovenda rectius collocaturum fuisse, autumat, persuasus, si modo Episcopi rem suam serio agerent, neque negotiis ab officio suo alienis temere se immiscerent, *Collinios, Tyndalios, Tolandos* atque *Woolstonos* mox risui fore, atque commoda honoremque Ecclesiæ luculenter propagatum & confirmatum iri. Pudori ducit sacri ordinis Viris, relictam ab ipsis provinciam tanta pietate ac eruditione a *Grotio, Lockio, & Newtono* occupatam esse, cum interea, ut *Newtonus* loqui solebat, *D. Bentlejus* & Episcopus *Hareus* de *Comœdiarum libro* (*Terentio*) acerrime inter se digladientur. Paullo ante obitum *Clarkius* a *Sykesio* permoveri se patiebatur, ut in nova lectionum suarum *Boyleanarum* editione, mox evulganda, notissimum locum *Phlegontis*

gontis de Solis Eclipsi atque terræ motu omitteret, quo cum aliis multis usus erat ad demonstrandum, Eclipsin tempore passionis Christi secundum naturalem astrorum motum haud contigisse. Sed cum *Whistono Sykesius* suspicari magis, quam demonstrare videretur, locum *Phlegontis* iis, quæ in Evangeliis sacris narrantur, haud quadrare, ipse ope *Copernici* sui, ut vocat, omnium Eclipsium solarium, quæ *Phlegontis* tempore accidere potuerunt, calculo inito, deprehendebat, secundum naturalem siderum cursum nullam illo tempore Solis Eclipsin observari potuisse, neque adeo illam, de qua *Phlegon* refert, differre ab ea, quæ, moriente Christo, mortales terruit. Ea inprimis ex ratione *Whistonus* hæc commemorat, quod ex molesto hoc calculo didicerit, *nullos superesse characteres Astronomicos, qui 500 annos post diluvium in S. Scriptura relatum antecedant*, *ipsamque Chronologiam S. a Pentateucho Samaritano*, *versione LXXvirali*, *& Josepho*, *non ab exemplo S. Codicis Masorethico, repetendam esse*. Argumenta, quibus hanc sententiam suam adstruit, alioque, quæ ipsi notatu dignissima videntur, hac occasione observata, excerpere, nimis prolixum foret. Illud duntaxat in Lectoris gratiam monemus, *Whistonum* contendere, fata quatuor Monarchiarum, non modo cum ad summum fastigium evectæ, inclinari inciperent Eclipsibus Solis, sed finem quoque illarum Lunæ eclipsibus, conspicuis maxime in terris imperio regnorum illorum subjectis, significata fuisse. Prædicit itaque, A. 1736, quo magnam illam decem regnorum periodum, sive postrema Monarchiæ Romanæ fata audacter pollicetur, Eclipsibus ejusmodi Lunæ majoribus insignem fore. Finem denique Opusculo huic imponens, ea uberius explicat ac illustrat, quæ S. R. *Chandlerus* nuper in *Vindiciis Apologiæ pro re Christiana*, cujus libri excerptum *A. 1730 mense Decembr.* exhibuimus, pro vindicanda autoritate divina & antiquitate Danielis Prophetæ exposuit.

COMMENTATIO CRITICA AD LIBROS Novi Testamenti in genere, accurante JUSTO WESSELO RUMPÆO, D.

Lipsiæ,

Lipsiæ, impensis hæredum Frid. Lanckisii, 1730, 4.
Alph. 2 pl. 21.

PRæmittuntur huic Operi duæ Præfationes, prior S. R. D. *Jo. Gottlob Carpzovii*, Theologi nuper & Philologi nostri, nunc Antistitis Lubecensis, posterior Max. Rev. Autoris. Ac ille quidem doctissime circumspectissimeque præfatus de variantibus Novi Testamenti lectionibus, gratissimum sibi esse profitetur, quod, cum ipse, absoluta editaque *Introductione in libros Veteris Testamenti*, (quam nos in *Actis* recensuimus *A. 1714 p. 401, & A. 1722 p. 217 & 305*,) negotiis impeditus esset aliis, quo minus similem conficeret *Introductionem in Novi Testamenti libros*, *Rumpæo* placuerit, ab ipso accipere lampada, cœptamque telam pertexere. Hic vero præfatus, se hic duntaxat sistere *Commentationem Criticam ad libros N. T. in genere*, adjicit ingenue, se, quæ hic exhibeat, collegisse e libris aliorum, idque in usum studiosæ juventutis. *Noli*, inquit, *Lector benevole, existimare, mea esse, quæ sunt hic proposita. Sunt potius maximam partem, imo fere omnia, ex aliorum scriniis compilata.* Quod vero postremo loco promisit, se alteram quoque hujus Operis partem elaboraturum, in eaque singulos *Novi Testamenti* libros pari industria persecuturum, id præstare posse nuper desiit, ereptus scilicet rebus humanis anni superioris die XXVIII Julii in urbe Westphaliæ Susato, ubi ultra vicennium munus gesserat Rectoris Archi-Gymnasii.

Ingrediamur, age, Opus ipsum, & summa ejus capita recognoscamus. Primo igitur loco titulum *Novi Testamenti* contemplatur, deque autore pariter ac sensu ejus tituli verba facit. Hinc docet, scriptoribus N. T. non solum divinitus mandatum fuisse, ut scriberent, verum etiam res & verba inspirata. Tum quatuor Evangelistas considerat, refutans *Sam. Basnagium*, qui, *Lucam Matthæo* priorem scripsisse, contendit: docens item, *Marci* Evangelium falso tribui *Petro*, &, quo quisque Evangelista tempore scripserit, incertum esse. Commemoratis deinde rejectisque Pseudevangeliis, profert doctorum virorum opiniones de causa, cur non ab uno, sed a pluribus, & quidem a quatuor omnino scriptoribus, compositam

Deus voluerit historiam Evangelicam: adjectis & sententiis, quas fovent eruditi de quatuor insignibus, quæ vulgo tribuuntur Evangelistis. Suscepta hinc tractatione de nomine & characteribus *Apostoli*, etiam recenset scripta, Apostolis supposita, non omissa mentione librorum, ipsi Christo itemque Mariæ Deiparæ affictorum a pravis hominibus. Delatus inde ad quæstionem de sensu N. T. & literali & mystico, hasce quæstiones, an stylus N. T. sit purus, an vero Hebraismis, Syriasmis, Latinismis, &c. mixtus, & propterea vel barbarus & solœcus, vel hellenisticus appellandus, in puram putam λογομαχίαν abire censet. Illos item nugari judicat, qui *Paulo* Apostolo Cilicismum tribuunt, vel stylum idioticum. Memorat quoque ac simul refutat eos, qui statuerunt, *Matthæi* Evangelium & *Pauli* ad Hebræos Epistolam Hebraico, *Marci* Evangelium Latino, Evangelia vero *Lucæ* & *Johannis* Syriaco sermone primum fuisse scripta. Tum profert causas, cur Græce scribi Deus voluerit N. T. libros, & hinc exhibet rationes ordinis ac dispositionis librorum, in N. T. contentorum, adjiciens sententias eruditorum de causa, cur aliquot sacræ epistolæ vocentur *Catholicæ* & *Canonicæ*, dissentientes item opiniones Theologorum de tempore, quo quisque N. T. liber sit scriptus. Postea disserit docte copioseque de divisione librorum N. T. in capitula, in canones, in titulos, in lectiones, in στίχους, in versus; de interpunctionibus N. T. & earum autoritate; de autoribus pericoparum Evangelicarum & Epistolicarum, quidque judicii sit ferendum de iis; de canone *Novi Testamenti*, quem confectum esse credit a *Joanne* Apostolo, idque uberius confirmat, suscepta potissimum cum Cl. *Joanne Ensio* ea de re disputatione; de quibusdam N. T. pericopis, imo integris libris, de quorum autoritate divina olim fuit disputatum; de librorum N. T. avtographis; de codicibus N. T. MStis; de præcipuis N. T. editionibus; de variantibus N. T. lectionibus: quod argumentum & fusius & accuratius persequitur, & simul media ostendit, genuinam cujusque loci scripturam a spuria discernendi; de N. T. versionibus in plurimas linguas: quæ tractatio est longissima; de dictorum V. T. in N. T. allegationibus;

nibus; denique postremo de Commentatoribus in *Novum Testamentum* generalibus: ubi non omnes ac singulos producit, sed potius libros aliorum nominat, ubi facta jam fuit eorum recensio. Laudat tamen præcipuos, & ipsorum Opera exegetica paulisper contemplatur. Hic autem *p. 456* erroris nonnihil admisit, *Joachimum Camerarium*, qui *Notationes figurarum sermonis N. T.* edidit, vocans *Doctorem Medicinæ & Reip. Norimbergensis Physicum*, adeoque patri tribuens titulos, filio debitos.

Ceterum singulari industria Autor ex immenso prope numero scriptorum collegit, quæ de unoquoque argumento cognitu digna videbantur, dignus omnino, qui appelletur felicissimus Operis *Carpzoviani* continuator. Ac optandum, ut brevi succedat, qui altera hujus in N.T. Operis parte, hoc est, tractatione critica de libris *Novi Testamenti* singulis, rite elaborata & edita, colophonem imponat labori utilissimo jucundissimoque.

FRANCISCI TORTI, PHIL. ET MED. Doct. Mutinensis, in patrio Lyceo Professoris Primarii, Sereniss. Raynaldi I, Mutin. Reg. Mirand. &c. Ducis Medici, a Consiliis Quatuor-Virorum Publicæ Valetudinis & Societ. Reg. Londinensis Sodalis, Therapevtice specialis ad Febres periodicas perniciosas. Editio altera auctior.

Mutinæ, apud Bartholomæum Solianum, 1730, 4.
Alph. 3 pl. 5.

QUid Clarissimus *Tortus* hoc in Opere præstiterit, uberius commendare, eo lubentius jam supersedemus, quo prolixius de eodem in *Actis* his *A. 1716 mense Majo p. 221* egimus; quibus vero nova hæc editio sit locupletata, paucis commemorabimus. Tantum autem abfuit, ut Autor ad votum Bibliopolæ quicquam de novo addere gestierit, ut plura habuerit, quæ deleret; dandum tamen illius precibus aliquid esse judicavit, prout in Præfatione testatur. Minor equidem plagu-

larum numerus novæ hujus editionis, quam qua prior ſuperbiebat, parum vel nihil additum eſſe, indicare poſſet; fecit tamen minor literarum character, ut, quæ de novo adjecta ſunt, cum prioribus anguſtiori nunc ſpatio coercita conſpicerentur. Legitur ſcilicet hic Lib. I Cap. 5 diſcurſus de fermenti notione in medicina toleranda; & cum Autor fluidorum potius quam ſolidorum ſyſtemati faveat, eodem Capite & Lib. III Cap. 2 disquiritur, num Medicus ſit Mathematicus? Lib. I Cap. 10 aliquot hiſtoriis eſt auctum. Scholia in *Mercatum* & *Mortonum*, quæ Lib. II Cap. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, calcibus erant ſubjecta, ſingulis nunc paragraphis interjecta leguntur: Lib. IV Cap. 4 plura adducit Autor, quibus probat, varias ſpecies febrium perniciofarum ope corticis Chinæ curandi inventionis gloriam ſibi eſſe relinquendam, novasque addit a D. *Ferrante Ferrario* communicatas hiſtorias. Lib. V Cap. 6 contra *Mortonum* disputat, hæmoptoen cortice Chinæ curandam eſſe aſſerentem, tandemque concludit, hanc methodum locum non habere, niſi in hæmoptyſi, quæ merum ſymptoma ſit febris alicujus, eo remedio curabilis. Eidem Capiti denique novam adjecit quæſtionem, an ex eo, quod cortex Chinæ ſit medicamentum ſuapte natura innocens, liceat eum tentandi gratia indiſcriminatim uſurpare in quibuslibet febribus & morbis, iis etiam, quibus communiter deprehendi ſolet inutilis, idque negat.

FEBRIUM CONTINUARUM, QUÆ ANNO 1729 Uratislaviæ graſſatæ ſunt, Recenſio, occaſione catarrhi febrilis per Europam Epidemici adornata a JOANNE GODOFREDO HAHN, Phil. & Med. D. Accedit Diſſertatio de aeris inſpirati in pulmones effectu.

Uratislaviæ & Lipſiæ, apud Michaelem Hubertum, 1731, 4. Plag. 16½.

NOn facile hominum memoria plures laceſſitæ ſimul unius ejusdemque ægritudinis injuria gentes ſunt, quam A. 1729 populari catarrho. Cujus longe lateque diffuſa epidemia anſam

ansam dedit Clariss. *Habnio* repetendi ea, quæ per illius anni decursum in praxi clinica annotavit. Sunt enim non pauca, quæ & ipse passim in diurnis Commentariis consignavit, historiam anni tot hominibus funesti declaratura, quæ ea, qua ipse sibi fide notaverat, publici hic juris facit, ut si non illustrari, saltem suo suffragio confirmari queant, quæ de natura & origine mali alii forte observarunt. Eam vero historiam morborum perficiendi tenuit methodum, quam *Hippocrates* primus servavit, & plures non infimi subsellii Medici secuti sunt, quatenus unius morbi decursum in distinctis numero ægris contemplatur, ex discrepante ejus in diversis hominibus facie germanam, qua gaudet, indolem melius exploraturus. Brevissimam scilicet, qua ad prudentiam medicam itur, viam esse cognovit historiarum unius affectionis in compluribus ægris consideratæ inter se comparationem, & fidam mortuorum cum restitutis æquationem, aut parallelismum. Hinc febris hujus epidemicæ congruentem cum re ipsa imaginem daturus Autor Clariss. omni studio cavit, ne alicubi alia, quam ipsissima ejus & sublestæ fidei coloribus non contaminata, facies depicta reperiatur. Selegit autem ex numerosiore ægrorum apparatu gravissimos, eosque vel morti proximos, vel defunctos, intermistis tamen aliquot mitius decumbentibus, ut, quantum a summo morbi gradu levissimus distet, pateat. Historicum vero agens, de symptomatum causis & rationibus, curæque indicationibus silet, partim ne eorum, quæ in ægrorum commemoratione suscepta fuere, recensione turbet relationum contextum, partim ne liberius judicando admissarum hujus vel illius sectæ opinionum suspicio culpiam oboriatur. Totam Recensionem juxta anni quadras in IV dispescit Status, in quorum singulis, declarata prius aeris constitutione, historiæ recensentur ægrorum. Sic in statu I exhibentur ægri 10, qui febre pleuritica lethali, aut sudore & diarrhœa, vel sputo & urina soluta, aut in empyema abeunte, febre catarrhali anginosa sine vel cum tumore, cum glandulis suppuratis, cum erysipelate periculoso, vel cum milio laborarunt. Status II Ægros 26 complectitur, febre miliari, maculosa, maligna, cum bubone inguinali,

nali, ardente maculosa, ardente maligna, carbunculosa, cholerica, vel lethali, vel milio soluta, detentos. In III sistuntur ægri 37, qui febre orgastica cum infarctu glandularum, vel cum rubore universali, vel cum maculis urticatoriis, vel cum vesiculis serosis, febre miliari, catarrhali maligna, rheumatica miliari, ardente, petechiali, miliari simplici & cum epilepsia, maculosa, putrida, cum carbunculo, catarrhali simplici & cum apostemate palati combinata fuerunt, detenti. In IV ægrorum numerus est 31, illorum scilicet, qui febri peripnevmonicæ, & alii cum hydrope & tabe, potissimum vero, qui epidemiæ catarrhi febrili fuerunt subjecti. Lusit autem hæc suam scenam vario modo; in aliis enim fuit simplicissima, in aliis maligna, vel miliaris, in aliis cum diarrhœa gravi, vel cum diarrhœa & milio, vel cum apostemate pulmonali, vel cum tabe combinata; solvebatur etiam vel hæmorrhoidibus, vel hæmorrhagia auris, vel favis, vel abscessu narium, vel vomitibus, vel diarrhœa. De qua epidemia simul annotat Clar. Autor, eam non tam mortuorum, quam morbosorum, numero fuisse notabilem, talemque genium habuisse: scilicet ex improviso doluisse præcordia, adfuisse tussim siccam primo & inanem, mox raucam & humidam, oris salsedinem, sternutationes, horrores cum calore alternantes, languores, punctorium pectoris & gravativum artuum dolorem, donec tertio vel quarto die sputa successerint; qui vero gravius decubuerint, delirio, vertigine, cordis palpitatione, artuum tremore, rigore, & animi deliquio fuisse prehensos.

In Dissertatione de aeris inspirati in pulmones effectu in eo est Clar. *Habnius*, ut, rejectis aliorum sententiis, existimet, primarium aeris inspiratione recepti usum esse, ut non solum sanguinis per pulmones trajectum promoveat, sed ut novum imprimat ipsi cordi post systolen sibi relicto motum ad circulum sanguinis absolvendum requisitum, id est, diastolen, a solis partium intra corpus contentarum viribus non expectandam. Cui alium addit usum, ut scilicet admistus sanguinis particulis hujus motum intestinum promoveat.

ELEMEN-

ELEMENTORUM MEDICINÆ PHYSICO-Mathematicorum Tomus I; Autore JOANNE FRIDERICO SCHREIBER, Regiomontano. Præfatus est CHRISTIANUS WOLFIUS.

Francofurti & Lipsiæ, in Bibliopolio Rengeriano, 1731, 8. Alph. 1 pl. 4.

Elementis Medicinæ Physico-Mathematicis præmittenda ante semestre separatim edita, & a nobis in his *Actis M. Januar.* hujus anni recensita, ipsa Physiologiæ mox secutura pollicebantur primordia. Atque eadem, duobus libris comprehensa, una cum modo nominatis Præmittendis, in hoc Tractatu continentur. Celeb. *Wolfius* in præmissa Operi Præfatione ostendit, Medicinam Mathematica methodo pertractari posse, ea scilicet ratione, qua idem fieri solet a Mathematicis in Mathesi applicata. Probat igitur in eo institutum Cl. Autoris, eumque, sperat, Mathematica evidentia Medicinam tradere incipientem, majorem certitudinem ac utilitatem Medicinæ invecturum esse. Præfationem *Wolfianam* excipit Præfatio Autoris, in qua ipse declarat, causam scribendi hos libros sibi fuisse solam hanc, quod hactenus non repererit ullum inter libros Medicos, ad quem, ubi propositione quadam egeret, recurrere posset, ut in Mathematicis nobis servit *Euclides.* Quo vero dicendorum normam haberet Autor, externa quoque methodo Mathematica usus est, licet certissimus, ea sola propositionibus certitudinem induci nullam. Operæ pretium est, duo momenta ex illa Præfatione adducere. In Præmittendis Medicinæ docuerat Autor, in explicandis corporeis effectibus ad animam provocandum non esse: idque scripsit inductus novo argumento, in Præfatione præsente contento. Probare scilicet conatur, quod uni enti simplici vis movendi competere nequeat: quo probato, sequitur, & vim movendi esse vim compositam, & animam humanam illa carere. Probationi ergo propositionis illius principis præmisit aliam propositionem, quod entia, vi movendi prædita, sibi mutuo resistant; quare & ens simplex, vi movendi, per ὑπόθεσιν, donatum, resi-

resistet aliis entibus, vi movendi præditis. Jam ens simplex, propter vis suæ unitatem, eodem tempore, saltim unum conatum habere potest, & tamen etiam idem poni debet conari secundum omnes plagas mundi, quod in notione plagæ nulla habeatur ratio, cur potius versus hanc, quam versus illam resistat. Unum ens simplex ergo, vim movendi habens, uno eodemque tempore plures, imo & oppositos, conatus habebit: quod propter principium contradictionis fieri nequit. Secundum in Præfatione memorabile est defensio definitionis, quam pro sanitate Autor dedit in cit. Præm. Vid. *Acta* nostra l. c. Nimirum putarunt quidam, illum *quendam* determinatum consentientium virium corporis humani gradum indeterminate ab Autore positum esse. Hic autem ostenditur, illum gradum determinari non posse, nisi omnia individua corpora adducantur. Sed in scientiis sola universalia proponuntur. Adeamus ipsa *Physiologia præmittenda:* quorum Cap. I *necessarias in* Physiologia *cautelas exponit.* In hoc asseritur, omnes cujusvis corporis humani status apparitiones in Physiologia annotandas esse: quibus sumtis, ex Anatome, adscitisque Philosophicis & Mathematicis principiis, cujusvis status corporis humani causa efficiens sufficiens detegi potest. In Cap. II *pulchritudo externa corporis humani* expenditur. Hanc obtinuit Deus 1) in anteriore parte C. H.; 2) per situm & parvitatem partium, excludentium feces, non obstante muco, ex naribus excreto; 3) per cutem, corpori superductam; 4) per εὐρυθμίαν; 5) per συμμετρίαν; quæ tamen non omni lite vacat, secundum Autorem. Nam & æger deformis est, συμμετρία tamen immutata, quæ in omni corpore est alia, alia in fœtu, alia in infante, alia in adulto. Ubi & notatur *Vitruvius*, qui voluit, ædificium debere exactam habere rationem ad membra bene figurati hominis. Posthæc sequuntur duo *Physiologiæ* libri. In Lib. I *generales solidorum & fluidorum C. H. affectiones* explicantur, inque Cap. I *solida C. H. in genere.* Primo agitur de elementis solidorum, quæ sunt minimæ particulæ, in quas solida C. H. ultima arte resolvi queunt. Hæc sunt terrestria: morbos pati nesciunt: unde morbus elementarius rejicitur:

&

& dupliciter inter se cohærere possunt: per gluten & per superficies. Atque ita adunata elementa faciunt fibram, simplicissimum post elementa solidum. Ex horum elementorum qualitatibus & combinatione deducitur firmitas & commoditas corporis humani. Sequuntur fibrarum varia prædicata. Robur illarum pendet a determinata quadam, id est, nec magna nimis, nec nimis parva, copia glutinis, elementa illa inter se nectentis. Eadem quoque elateris causa est. Ostenditur, corpus humanum, salva perfectione sua, ex fibris non rigidis componi. Laxitatis notio emendatur, redditur determinata fixaque, dum ostenditur, laxam fibram a motu, qui in C. H. contingit, elongari posse, sive cohæsio inter elementa ejus perstet, sive minuatur. Sequitur inter solida proxime membrana, quæ nascitur ex fibris, sibi juxta longitudinem applicatis. Docentur & hic membranarum qualitates & divisiones: ubi aliæ membranæ per superequitationem, aliæ per fibrarum contorsionem natæ, aliæ vero compositæ sunt. Ex membranis convolutis fiunt vasa minima; inde vasa vasculosa, primum, secundum, &c. Cap. II sistit *humores C. H. sensibiles*. Primus est cruor, qui heterogeneus liquor est, non ejusdem in omnibus corporibus gravitatis, cujus diversitas a diversitate & copia salium, aquæ sanguinis inexsistentium, pendet. Ubi tamen notandum, pondus sanguinis, per bilancem exploratum, tantum toleranter verum esse. Hic sanguis, ex *Leuwenhœckianis* observationibus, ex VI globulis flexilibus, ac elasticis constat, qui separati, serosi, & flavi sunt: quare in C. H. debet adesse vis, sex globulos serosos in unum rubrum compingens. Hic sanguis, nec acidus, nec alcalinus, stagnando putrescit. Quæ affectiones & sero sanguinis, in omnibus fere albumini ovi simili, competunt. Cap. III ex experimentis *Harvæanis circuitum sanguinis* proponit: cujus inventores Autor prædicat *Servetum* atque *Cæsalpinum*. Venimus ad Lib. II, qui inscribitur de *Vasis C. H. & quæ eo pertinent*. Cap. I agit *de arteriis sanguineis, & motu sanguinis per illas*. Arteriæ sensibiles ex cylindris inæqualibus componuntur, obliquis, inter se connatis, quorum maximus prope cor est, reliqui vero minores sunt, pro majore

a corde distantia. Habent ergo diametrum vel naturalem, id est, ab elatere suo solo pendentem, vel violentam, sive majorem, sive minorem naturali, quæ adest, elatere arteriæ quomodocunque impedito. Si vero diameter arteriæ naturalis fiat naturalis major: tum adest anevrisma verum, cujus duplex hic a priori probatur species, observationibus *Morgagnianis* convenienter. Atque hic locus fit Autori, de causa anevrismatis veri disserendi. Quo morbo misso, redit ad arterias, quæ tandem in continuatas sibi venas abeunt, ibidemque verosimillime tantum unum globulum sanguineum capiunt, cujus diameter & hic ex ultimis *Leuwenhœckianis* observationibus ad calculum determinatur. Non possumus autem silere duas meditationes Autoris, quas tradit in §. 86; alteram, quod arteriæ minimæ fiant propter parvitatem vis cordis, in tanta distantia illis ultra extendendis insufficientis, sicque arteria minima si fingatur in embryone applicari cordi tanquam principium aortæ, & hoc referri in locum arteriæ minimæ, tum foret illa in adulto tantæ capacitatis principium aortæ, quantæ nunc est: hoc vero foret arteria minima in adulto; alteram autem hanc, quod in intervallo a corde usque ad arterias minimas sanguineas æquales sint vi cordis resistentiæ. Jam attendamus resistentiis, sanguini, e corde ejecto, imminentibus. Quia arteriæ in sano corpore semper plenæ sanguinis; hic, replens arterias, primam resistentiam dat; secunda resistentia fit ab arteriis omnibus, vel ipsis vasis minimis. Supersunt vero alia, circa motum sanguinis ab Autore expensa. Namque determinat copiam particularum sanguinis, in arteriarum latera & flexum incidentium: ita ad magnam curvaturam aortæ copiosissimæ particulæ sanguinis velocissime impingunt, ob motum sanguinis prope axem arteriæ celerrimum. Et quamvis concedat Autor, sanguinem a corde ex angustiori spatio in amplius moveri; attamen probat, maximam resistentiam supermanere in minimis vasis. Ubi jam arteriæ a recepto sanguine tumuere, hæ, exspirante, ob resistentias plures hic præsentes, vi cordis, se contrahunt, ubique projiciunt sanguinem, majorem tamen copiam ejus cor versus, quam versus decre-

scen-

ſcentes arterias: per quem motum arteriæ tunicarum ſuarum arterias replent. Quo loco Autor quoque demonſtrat, cur arteriarum tunica cellulosa illum præciſe ſitum nanciſci debuerit, quem actu tenet. Cap. II tractat de *Vaſis non ſanguineis*. Qualia probat adeſſe intus & extus inhalantia ac exhalantia, id eſt, arterias atque venas, easque lymphaticas; quare lymphæ ponenda eſt circulatio. Rem omnem ita adſtruit Autor: arteriam ſanguineam minimam dare ramum, qui ferat ſerum ſanguinis, arteria ſeroſa dicendum, abeuntem in venam cognominem, ad cor referentem, præter ſanguinem, omnes humores reliquos, illamque eſſe illud vas, quod Anatomicis vas lymphaticum audit. Ex arteria ſeroſa minima naſcitur arteria lymphatica, donec fiat arteria ultimi generis ſive arteria minima, ferens humorem, qui nutriat, moveatque corpus ac ſentiat. Cap. III in *arteriarum pulſum* inquirit: cujus origine explanata, probatur, omnem arteriam in C. H. ſano pulſare, ac quidem arterias, per arteriarum tunicas diſſeminatas, pulſare, eo tempore, quo reliquæ arteriæ non pulſant; pulſum omnem in tempore fieri. Poſt, expoſitis pulſuum differentiis, pulſibus non fidendum eſſe Medico, aſſeritur. Finem tandem Operi imponunt propoſitiones quædam de vero anevriſmate, e. g. quod ex parvo cum tempore fiat magnum; quod arteria anevriſmatica in ſede morbi ſui plus teneat ſanguinis, quam quidem tenuit, ubi ſana fuit; quod pulſus anevriſmatis veri parvi ſit magnus, qui autem pro magnitudine anevriſmatis decreſcat. Quæ omnes, ut & reliquæ, obſervatis *Ruyſchianis* atque *Lanciſianis* convenientes eſſe a Cl. Autore probantur. In Epilogo tandem ipſe ſpem facit mox edendorum reliquorum Phyſiologiæ ſuæ librorum.

A COMPLEAT TREATISE OF PRACTICAL Navigation.

h. e.

TRACTATUS INTEGER DE NAVIGAtione practica, ex primis principiis demonſtrata, una

 cum

cum Tabulis necessariis. Adjiciuntur sub calcem Problemata de Geodæsia & Stereometria; Autore ARCHIBALDO PATOUN, Societatis Regiæ Sodali.

Londini, apud R. Willock, 1730, 8 chart. aug. Alph. 1 pl. 10, Tab. æn. 1.

PRæmittit Cl. Autor principia quædam Geometriæ elementaris, quibus in navigatione carere non possumus, ne quid præsupponat, quod artis hujus studioso demum aliunde sit addiscendum. Deinde explicat Trigonometriam planam, sine qua problemata in arte navigandi solvi nequeunt. Porro principia quædam Geographiæ & Astronomiæ tradit, sine quibus Ars navigandi intelligi nequit. Docet modos varios observandi latitudinem loci, quibus in navigatione maxime opus habemus. Exponit elementa Chronologiæ, quorum in conficiendis Diariis nauticis usus est. Tandem loxodromiam & pyxidem nauticam describit. Hisce igitur præmissis, ad varias navigandi methodos tradendas progreditur. Inter eas primo loco occurrit navigatio plana. Succedit secundo loco navigatio parallela, quando scilicet terminus a quo & terminus ad quem in eodem parallelo siti sunt. Hanc excipit navigatio, in qua termini a quo & ad quem in diversis parallelis siti sunt. Sequitur quarto loco navigatio *Mercatoris*, & loco denique ultimo navigatio obliqua. Ne vero quid desit, quod in praxi navigationis usui esse possit, errores quoque considerat, qui ex occulto maris motu in cursum navis irrepunt, &, quid hic fieri conveniat, ut illi evitentur, Geometrice demonstrat. Declarat insuper modum, ex amplitudinibus seu Azimuthis Solis observatis variationem acus magneticæ detegendi, nec non methodum, diarium nauticum conficiendi. Quænam ex Geometria practica colophonis loco adjiciantur, ex ipso titulo colligitur. De Tabulis ut dicamus, opus non est.

JOS. SENTENTIOLÆ VERZALIÆ, Cæsenatis, Solutiones expeditissimæ ac absolutissimæ insignium

um illorum Problematum, de quibus agitur in Suppl. Act. Erud. Tom. VIII Sect. IX &c.

Cesenæ, sumptibus Jo. Bapt. Stambazzi.

UNica absolvitur plagula hoc Opusculum, in forma Patenti (quod ajunt) & methodo fere inscriptionis perquam male impressum. Ac primo quidem Geometris, non sine magnis ambagibus, hæ solutiones, mirifice deprædicatæ, offeruntur. Deinde ipsæ formulæ, suo loco & tempore evolvendæ & explicandæ, his verbis proponuntur: *Pro infinitis curvis Algebraicis indefinite irrectificabilibus, quæ tamen tot, quot libuerit, habeant arcus [etiam infinitos] rectificabiles, constitutis axis portionibus respondentes, quarumque indefinita irrectificabilitas nitatur rectificabilitati & quadraturæ totidem curvarum Algebraicarum quadrabilium, & indefinite irrectificabilium, formula esto hac:* $y = X\overline{2p+3}:\overline{2p+2}+\overline{p.r}+\underline{XX+bx3X}$. *Quæ vero sequitur* $y = p:q\int dx\,V\,x.m.\,b.\,X + ccXX - fX.3.-1$ *erit pro curvis qualibuscunque Mechanicis, eodem modo rectificabilibus, quarum arcus rectificabiles habeant qualemcunque comparationem; quæ vero sic sequitur exposita* $y = x.m.\,b.X + cXX + qxp.X.3$, *æquationem infinitarum curvarum suppeditabit, inquadrabilium quidem, sed tot, quot voluerimus, spatia quadrabilia habentium, destinatis axis portionibus respondentia; quæ utramque conditionem tam quadrabilitatis, quam rectificabilitatis definitæ, sine ulla harum indefinita, pro singulis curvis numero infinitis complectetur, si sic exponatur:* $y = \int dx\,V\,\overline{ccx.m.b.\,X + ccXX - f}$ $X3-1$. *Quæ si in infinitas has Algebraicas vertatur,* $y = b.m+1 + \frac{q\,l\,ap.}{1+XX}\,\frac{X.m}{m\,r}$, *atque eo, quo opus est, artificio agantur, tandem ducet ad* $y = \int dx\,V\,\overline{4nnXXb.2m-2+4n\,l\,a.\,p.x}$ $\overline{m+1.\frac{qq\,l\,2.\,a.\,2p.x.2m}{r}-\frac{1}{2}}$. $PR.+TV-BX$, *qui est arcus non trium, ut postulabatur in Actis cit. §. 6 pag. 376. sed ejusdem curvæ indefinite irrectificabilis, habentis omnes alias proprie-*

 tates

tates infinities ampliatas, quas a nemine mortalium expectari posse, non semel asseruit Schediasmatis Autor. Quae sequitur formula: $y = A + X + XX + x.m.X + xpXX$, *est non unius (quam tam vehementer optavit* Newtonus, *ut ipse fatetur,) sed infinitarum curvarum, per tot, & qualia voluerimus, puncta transeuntium.*

FRANCISCI MARIANI, VITERBIENSIS, de Etruria Metropoli, quae Turrhenia, Tursenia, Tuscania, atque etiam Beterbon dicta est, in varias Autores Castigationes. Additur de Episcopis Viterbiensibus Parergon.

Romae, ex Typographia Hier. Mainardi, 1728, 4.
Alph. 1 pl. 17, Tabb. aen. 2.

CL. Autor vocat se Vaticanae Basilicae Benefic. & Bibliothecae scriptorem Graecum. In Praefatione conqueritur, Viterbiensium gloriae passim & multis in rebus derogari, unde ea excerpemus, quae ad literariam historiam, cui praecipue servimus, pertinent. "Irrident, inquit, Palaeologos Graecorum

p. 112. "Imperatores Viterbo oriundos: *Gotifridum*, qui *Pan-* "*theon*, atque alia literis mandavit, Vitembergensem, non

267. "Viterbiensem, volunt: Sanctissimam Virginem Rosam, "virtutum ac miraculorum gloria nulli secundam, utpo- "te quae triennis mortuum revocavit in vitam, Viturclanen- "sem faciunt: *Jacobum*, Archiepiscopum Neapolitanum, ac "S. Doctoris Aquinatis auditorem, & *Thomam Veltrium*, scri- "ptorem elegantissimum, atque Episcopum Castrensem, silen- "tio praetereunt: Magistrum *Jacobum*, ex inclyto ordine Prae- "dicatorum, Archiepiscopum Tarentinum, ad quem ejusdem "*S. Thomae* de emtione ad tempus liber scriptus est, Urbeveta- "num praedicant: *Aegidium*, Cardinalem doctissimum, antea "Augustinianorum Generalem, ex Canepina ortum, *Hier. Rus-* "*cellium* Venetum esse contendunt: *Paulum III*, quem Vi- "terbiensem paterna domus, plura sacerdotia, ac subinde Ar- "chipresbyteratus S. Sisti, cum multis subscriptionibus ac mo-

numen-

"numentis in nostris tabulariis, testantur, ut demonstravit *Pe-*
"*trus Corretinus* in Episcoporum Viterbiensium Chronologia,
"nostrum esse negant. Solum *Annium*, quem doctum qui-
"dem, sed mendacissimum faciunt, & *Latinum Latinium*, qui
"contra *Annium* & nostras antiquitates sæpissime in magna
"doctorum virorum frequentia Romæ declamabat, libenter
"concedunt. Pergit Cl. Autor. "Horum omnium causam in
"me recipere, non est animus. De Viterbi antiquitate atque
"Episcopis verba faciam, diligentia fretus, quam unice mihi
"subsidio comparavi; inveteratam atque insitam in animis ho-
"minum de Viterbiensium fabulis opinionem, Deo juvante,
"penitus evellam.„ Honesta etiam illa oratio. "Magnum
"*Philippi Cluverii* nomen, aliorumque autoritas diu me, fa-
"teor, transversum egerunt. Sed cum loca diligentius inspi-
"cerem, antiquas vias sæpe inquirerem, Inscriptiones omnes
"colligerem, *Livii*, *Plinii*, aliorumque testimonia conferrem,
"antiquarum vocum radices eruerem, Regum ac Pontificum
"Diplomata evolverem, ac præsertim adversariorum ineptas
"rationes dependerem; luce clarius cognovi, qui in aliqua
"urbe natus non sit, (hoc quidem omitti poterat, quin debe-
bat, nota enim est quorundam πατριδομανία,) in ea diutissi-
"me versatus, atque in excutiendis vetustis monumentis sum-
"mo studio usus, eum hisce de rebus ad scribendum minime
"esse idoneum." Honesta, inquam, oratio, quæ efficiet et-
iam, ut de tota causa judicium ferre tanto minus sustineamus, cum illud alioquin etiam ab instituti nostri ratione abhorreat. Ex Præfatione illud adhuc addimus, quod refert Autor, se tergiversatum, & vix satis habuisse animi, ad manum operi admovendam. "Sed cum Benedicti III Pont. Opt. suprema au-
"toritas accessisset, qui, postquam Archidiaconum, Archipres-
"byterum & nostræ Cathedralis Canonicos mitra, nostros ma-
"gistratus aurea toga, aliisque ornamentis decoravit, antiqui-
"tatem nostræ urbis præsertim verbo ac literis assertam vo-
"luit, atque hoc ipso A. 1727 sua præsentia ac solenni Archi-
"episc. Colon. Electoris S. Rom. Imperii, Clementis Augusti,
"consecratione, Canonicis ipsi cum mitra adstantibus, & ma-
gistratu

"gistratu cum aureis vestibus throno assidente, illustravit, vi-
"sum est beneficium hoc maximum, gravissimum judicium,
"ac verissimum oraculum, scripto exornare atque comple-
"cti, atque in gratissimi animi argumentum singulari præ-
"conio posteritati commendare." Ipsius Operis Capite
primo incipit ab indicandis erroribus *Operis Demsteriani de*
Etruria Regali, illoque primo, quod cum hunc titulum Operi
fecerit, neque, utrum reges habuisset, satis expenderit, neque,
si habuerit, sedes eorum definierit. Post plures decades enu-
p. 3. meratas, *alia complura*, inquit, *prætereo*. Deinde indignatur,
Annium ita male vulgo audire & tractari. "*Annii*, inquit, scri-
"pta, sint falsa, sint supposita, sint, si ita vis, dolo malo confi-
"cta: at quid monstri erit, si videbimus, multo veriora esse
"illius somnia, ac deliramenta, quam sani & vigilantis *Dem-*
4. "*steri* elucubrationes? Ego, quæ de Viterbo dixit, fere omnia
"verissima ac solidissima esse, ostendam ex probatissimis auto-
"ribus, ex Inscriptionibus antiquissimis, atque ex veterum
"nominum, adhuc exstantium, certissima etymologia. In hoc
"tantum peccasse, contendo, quod pauca scripserit, cum multo
"certiora ac gloriosiora proferre aut potuerit, aut debuerit."
Post quædam de etymologiis *Annianis*, ex Oriente petitis, &
9. veris, iterum profitetur, "se illius opis ad patriam defenden-
"dam neque esse cupidum, neque indigere, imo ei in multis
"adversari." Cap. II argumentum est, Etruriæ originem, a mul-
12. tis tentatam, male a Græcis petitam, ab Hebræis fluxisse. Ludi s.
Lydi, ut putat, Mæones ab *Homero* dicti, Mæones a *μαιόεσθαι*, ob-
13. stetricari, Ludi a ילך. Etruria autem est ab אתור, qui Chaldæis
idem est atque Ebræis אשור, quod magis indicat *Atura*, colo-
nia Etruscorum in Aremoricis. Assur s. Athur ille Ludi frater fuit.
Cap. III Turrheniam per aphæresin ab eodem Athur dictam, &
20. hinc *Tyrannos* Etruscos, de quibus egisse vult *Sostratum* in li-
bro *Tyrannicorum* apud *Stobæum* Serm. 185, quem eundem
Plutarchus Τυῤῥηνικῶν appellavit. Curetes, Corybantes, Ca-
biros Etruscos fuisse ex iis, qui, *Porphyrio* teste, Lemnon, Im-
bron & Scyron habitaverint. Hinc derivat, quod nomen *Lu-*
cumonum etiam pro *insanis* ponatur, scilicet ut κορυβαντιᾶν
insa-

insanire significat. Cap. IV significationes Etruriæ ac Turrheniæ distinguit, & totam Italiam hoc nomine venisse ostendit; tum provinciam a Tiberi ad Macram; ac demum civitatem Viterbiensem. Cum medio intellectu ponitur, tum scribi cum adspiratione, observat, qua scriptura & se usurum claritatis causa, profitetur. In specialissima significatione, cum de ea præsertim lis sit, maxime occupatur Cl. Autor cum hoc ipso Capite, tum proximis. Laudat *Stephani* Byzantini, *Marciani* Heracleotæ, *Hellanici* apud *Dionysium* Halicarnassensem loca, ubi Tyrrheniam civitatem commemorant; ostenditque passim ex *Livio*, *Etruscos* ab aliis populis Hetruriæ discretim commemorari. Inprimis multus est in illo *Liv. II, 28, Veientes ex Etruria accito exercitu*, quod nisi de Etruria civitate capias, æque, ait, esse absurdum, ac si dicas, *Florentini ex Hetruria accito exercitu*, cum *accire exercitum* sit ex uno loco traducere in alium. Ita accipit *Liv. II, 10, & IV, 29*, ubi, *frumentum Romam Tiberi ex Etruscis* venisse, narratur, cui quidem fluvio Etruria illa propria proxima fuit. Cumque obvertant Tuscanellenses hodierni, hoc a se factum, frumento mari ad Tiberis ostia delato; ille ostendit, de mari seorsim agi. Poterat, credimus, premere in posteriori loco verbum *devexit*, quod de secundo amne, non æque de adverso, dici posse videtur. Cap. VII, vicatim habitatam Etruriæ regionem, ostendit, usus argumento etiam illo, Athenas, a Turrhenis habitatas, ipsis Græcis autoribus, tetrapolin vocari ab *Euripide*, & κατὰ κώμας καὶ σποϱάδην cultam fuisse. Ita Etruriam *quatuor oppida & quindecim populos* habuisse, de quibus jam agit. Ac, quatuor quidem oppida hæc fuisse, haud cunctanter pronunciat, & probare deinde satagit *Fanum Volturnæ*, s. *Volturrenam*, *Longulam* s. *Paratussam*, *Vetuloniam* s. *Ituloniam*, *Arbanum* s. *Arbeam*. His XI alios populos adjungit *Cort-Enebram*, *Cort-nossam*, *Coritum*, *Assium*, *Aruntes Camillarios* s. *Aruntinos*, *Trossulum*, *Horchiam Maoniam*, *Dardanum*, *Florentiam*, atque *Arcem Iti*, qui & *Blascon*, unde *mons Blasconis*, qui nunc *Flasconis*. Cum XII populorum mentio fiat apud *Florum I, 5*, quos a *Tarquinio* subactos refert, itemque Cap. 17 in bello Etrusco, non XII urbes

Ccc majo-

p. 26.
28.
31.
39.
41.
45.

majores Etruriæ inter Tiberim & Macram intelligendas, sed *XV populos* minores Etruriæ propriæ legendos atque intelli-
p. 49. gendos. Pergit hanc significationem Etruriæ propriæ ostendere ex *Ciceronis* Miloniana sub finem, collato *Asconio*. Hic enim cum, *Annium* factum per adoptionem avi materni Milonem, referat, *Annios* autem in Etruria floruisse constet ex *Julio Capitolino*; hinc patere, cur *Etruriam vastatam & contemtam* a *Clodio* dicat *Cicero*, non profecto Etruriam, quam late illa patebat, quî enim hoc licuisset? sed hanc propriam Viterbiensium, quod ei tanto facilius fuerit, cum ex Philipp. XII, Clodium non longe ab illius agri finibus possessiones habuisse,
51. appareat. Concludit, *cum in Etruria aut ἐν Τυῤῥηνίᾳ apud veteres gestum aliquid legimus*, sæpe *noster ager; quam in Tuscis* semper *intelligendus est*. Cap. VIII de *Avernis* locis in Etruria agit. De his explicat *Lucret. VI*, 747, quem ita legit ex MS:
55. *Is locus est Cumas apud, Etruscos & montes. Aquæ Calidæ*, inquit, *quæ nunc Navis appellantur, sæpissime aves volantes halitu quodam inficiunt, ac perimunt.* Speciatim de Vadimonis lacu in Etruria agit Cap. IX, eumque patriæ suæ asserit.
59. *Non abs re*, inquit, *esset, explicare Vadimonem Deum Etruscorum fuisse, eundemque esse cum Vertumno* &c. *Amerina prædia*, quæ obstare videntur apud *Plinium* juniorem, ita removet, ut non ab *Ameria* illa nobili trans-Tiberina, sed *Amærina*, te-
113. stibus libris antiquis, ab oppido, cujus rudera hodieque *Amerelle* dicuntur, dicta velit. Cap. X impendit Autor, ut ostendat, *Thermas Cajas* esse apud *Tibullum* III, 5, 3, ubi vulgatum est *Bajas*, intelligit autem aquas, quæ vocantur *delle Donne*. *Caja* enim generatim *mulierem* hic notat, ex illo, *ubi tu Cajus, ego Caja.* Idem Cap. XI conatur demonstrare de loco *Strabonis*, de quo deinde, usus inprimis autoritate veteris editionis Venetæ A. 1472, (Latinam tantum esse apparet,) ubi *Gajas* scriptum est, quod in reliquis est *Bajas*. Cap XII ostendit, apud *Virgilium Æn.* VIII v. 480 *urbis Agyllinæ sedem* esse hanc Etruriam metropolin, contra vulgus interpretum, qui Cere intelligunt. Cap. XIII, quod *Varro Vertumnum Etruriæ Deum* vocat, illud de propria hac & metropoli Etruria intelligendum, usus

præ-

præsertim pavimento musivi operis elegantissimi, A. 1722 in-
vento, quod ad aliquam partem illius fani, in quo Concilia E-
truriæ fuisse, scribit *Livius*, pertinere, pro certo habet. Cap. XIV p. 86.
in locis *Livii* X, 7, & *Plin.* III, 5, pro *Volaterris* & *Volaterranis*,
Volturnam & *Volturrenos* vult substitui. Cap. XV & XVI *Cice-
ronis Cæcinam Volaterranum*, *Volturrenum* facit, *Mæcenatem-
que Licinium*, non *Cilnium*, fuisse, contendit. Cap. XVII–XX de
Vetulonia, Etruriæ urbe, agit, ut *Plinii*, *Silii*que loca simul re-
stituat, certe mutet. Cap. XXI de Longula Etruriæ & Cap. XXII de
Arbea, ejusdem urbe, agit, quam invenit apud *Sextum Pompejum*
in Luceres, ubi vulgati habent *Lucerum*, *Ardeæ Regem*; ita ex
Tiberino, *Rege Arbanorum*, a quo Tiberis nomen habeat, fa-
ctum esse, ait, apud eundem Grammaticum Regem *Albanorum*.
Concludit denique, *Fanum* (Vulturnæ) *Arbanum*, *Vetuloniam*, 132.
Longulam unam eandemque esse civitatem, Viterbum nempe,
quæ cum *Beterbon* dicta olim fuerit, videri idem significare, 133.
quod בית ארבע, posteriorem vocem forte etiam *Arbæ* no-
men dedisse, porro literas quatuor illorum oppidorum initia-
les esse vult illas antiquissimas in stemmate Viterbiensi F. A. V. 140–144.
L. quas Desiderius etiam, Longobardorum Rex, ut pecuniæ im- 172.
primerent, permisit. Quid, si his literis cognatio aliqua in-
tercedat cum *Faulæ* campo, inter Arbanum & Fanum Vultur-
næ sito, de quo Noster p. 130 ex *Lactantio* I, 20. Nimirum
Cap. XXIV nobile decretum Desiderii, quod etiam hic ex lapide
totum exhibetur, defenditur. Cap. XXV Atlas Italus Electræ pater 144.
docetur, Curetes autem progenitores Tuscorum, unde in Phry-
giam profecti sint cum Dardano. Cap. XXVI Cybeles apud Etru-
scos cultum ex statuis & monumentis, nuper effossis, ostendit;
obiter cognationem verbi *ἀθύρειν* & *ludere*, itemque Athuri, a 160.
quo Eturia s. Etruria, & *Ludorum*, ipsiusque professionis *ludio-
num* Etruscæ, tangit. Festinandum est ad Parergon de Episco-
pis Viterbiensibus, cujus illud inprimis argumentum est, ut o-
stendat Autor, contra Epistolas, quæ proferuntur, Pontificum, In-
nocentii III & Leonis IV, ante Cælestinum III Pont. civitatis
nomen habuisse Viterbum, & Regum, Imperatorum ac Pontifi- 222.
cum sedem extitisse; quod Tuscanellenses sibi prærogativam 240.

 hic

hic vindicent, inde esse, quod Episcopi temporum injuria Viterbo migrare coacti, Tuscanellum, quæ colonia illius esset, se contulerint, diuque habitarint. Ceterum Tuscanellam, longe recentiorem urbem, minime esse Tuscaniam s. Tyrrheniam.
p. 263. Claudit librum series Episcoporum Tuscanensium s. Viterbiensium. Hic A. C. 98 laudat *Ptolomæum*, Tuscaniæ Episcopum, ex vetusto MS. deinde A. 306 S. *Eutychium* ex actis SS. *Valentini* & *Hilarii*, Martyrum: tum 590, sed dubia admodum scriptura, ex Concilio Rom. sub S. *Gregorio* M. Urbanum, S. Tuscanensis Ecclesiæ Episcopum, (aliis *Virbonus* civit. Fuscan.) A. 649 *Maurum* S. Tuscanensis Eccl. Episcopum. Circa A. 890 Leo Sapiens Imp. in notitia Episcopatuum habet Ουιτερβητον. Ab A. 1140 videntur demum Viterbienses Episcopi extra controversiam dicti. Quid effecerit Cl. Autor, certe utrum, quod instituit, perfecerit, tanto minus judicium nostrum interponimus, cum externos, quod ante vidimus, ab hoc arbitrio removerit, non sane sine causa. Illud vellemus, ne de ordine & methodo dicamus, (quam satis defendere titulus Operis videtur,) ut in laudandis autoribus & interpretandis plus paullo diligentiæ esset adhibitum, quam sæpiuscule non injuria desideres. Unum alterumque bona ipsius doctissimi Autoris cum venia
14. notare liceat. Ex Num. 24 v. 24 laudat צים מיד כתים & , ne putes erratum Typographi, apponit lectionem, *si etsim miad Citthim*, &, ne quid desit, vulgatam, *venient in trieteri-*
44. *bus* &c. Ad locum *Valer. Max.* 4, *Sext. Spurinnæ Etrusci. Quod sequitur externis adnectam, quia antea gestum est, quam Etruriæ civitas daretur. Excellentis in ea regione pulchritudinis adolescens* &c. *Hic vides*, inquit, *quam bene civitatem datam, non tamen urbem, sed regionem, commemoret?* &c. Quæ verba indicant, illum plane non attendisse *Valerium Maximum* loqui de *civitate Rom.* h. e. jure civitatis, quod nondum datum erat Etruriæ, cum Spurinna viveret, quo nomine inter ex-
71. terna illius exemplum refert. *Stratonem* Geographum affectat nominare, quem *Strabonem* esse vocandum nemo, credo, post *Casauboni* & *Fabricii* observationes dubitat, & in loco illius interpretando non minus, quam versio, a *Casaubono* reten-

ta,

ta (qui tamen Vir fummus nunquam eam præſtare voluit,) aberrat. Locus eſt p. 227 (*Almel.* 347, A,) Πολλὴ δὲ καὶ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀφθονία κατὰ τὴν Τυῤῥηνίαν. Τῷ δὲ πλησίον εἶναι τῆς Ῥώμης οὐχ ἧττον ἐνανδρεῖ τῶν ἐν Βαΐαις, ἃ διωνόμασαι πολὺ πάντων μάλιστα. Ita Græca exhibet, niſi quod Βαΐαις in Γαΐαις mutat, & pro τῶν, neſcio qua fide aut quo caſu, legit τοῖς, quæ ita vertit: *Multa vero calidarum aquarum abundantia in Tuſcis: cum ſint autem prope Romam, non minus abundant hominibus in Cajis, quæ maxime omnium celebrantur.* Sed quis non videt, Etruſcas thermas comparari cum aliis non Etruſcis? *aquæ calidæ Tyrrheniæ propter urbis viciniam non minus frequentantur, quam Bajanæ illæ omnium nobiliſſimæ.* Neque enim, ſpero, Romæ ipſius celebritatem cum aquis Cajis comparari, Cl. Autor exiſtimabit. Divinatione opus eſt, ut aſſequamur, *Volfangum* Libro XII de Migrat. gent. p. 164.
eſſe *Wolfgangum Lazium.* Et nimis ipſe divinator videtur, 194.
cum apud *Livium* IX, 23, in verbis, *novus exercitus, domo accitus, Etruſcis venit*, illi videtur ad etymon reſpicere Viterbi, בית־תרבון. Sed manum de tabula.

RELATION HISTORIQUE ET APOLOGETIQUE &c.
hoc eſt,

HISTORIA APOLOGETICA CONTROverſiæ, quam P. COURAYERIO excitavit ſua de validitate Ordinationum Eccleſiæ Anglicanæ Diſſertatio.

Tomi II.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1729, 12 maj.
Alph. 1 pl. 12.

JAm dudum fama nobis fuit nuntia malorum, quæ Reverendo Viro, *Petro Franciſco Courayerio*, Abbatiæ S. Genovefæ Pariſ. Canonico Regulari, attulit, quod publico ſcripto ſuſceperat, Ordinationum Eccleſiæ Anglicæ patrocinium. Nunc ipſemet, curioſitati eorum, qui meram & perfectam conſectantur veritatem, ſatisfacturus, ordine expoſuit omnem ejus rei hiſtoriam,

ſtoriam. Etſi vero hæc eſt de fato hominis privati narratio; tamen ea non videtur nobis prorſus prætereunda, futura quippe olim pars aliqua hiſtoriæ Galliæ Eccleſiaſticæ. Paucis igitur potiſſima hujus relationis exhibebimus capita. Scilicet ediderat Abbas *Renaudotus* Diſſertationem, in qua, ſacras Angliçæ Eccleſiæ Ordinationes invalidas eſſe, pronuntiarat. Noſter, offenſus argumentorum imbecillitate, conſcripſit Diſſertationem in ſententiam contrariam, quam & cenſor publicus ſua comprobatione, imo applauſu ſuo, munivit. Nec tamen a Cancellario potuit impetrare facultatem edendi eam in publicum, cauſato, Cardinalis *Noallii* conſenſu opus eſſe. Hic vero librum imprimi noluit, indignatus, defendi ab homine Catholico Eccleſiam hæreticam. Paullo poſt etiam Jeſuitæ ſe adverſarios præbuerunt iſti Diſſertationi, eamque negarunt emitti debere in lucem publicam. At Noſter, cum interea libellum ſuum magis expoliviſſet, nactus ex Anglia, & quidem ab *ipſo* Archiepiſcopo Cantuarienſi, monumenta egregia, A. 1723 librum hunc exire paſſus eſt. Tum vero eruditiſſimus quisque magnopere eum collaudavit. At nec defuerunt Antagoniſtæ, quos inter *Harduinus* ob deliria ſua valde a Noſtro contemnitur. Ceteri erant Abbas *Gervaſius*, *P. le Quien*, *P. le Blanc*, & Coadjutor Aurelianenſis. Id quod expreſſit Noſtro Defenſionem ſententiæ ſuæ, quam, a publico cenſore approbatam, licet Jeſuitæ eam edi vehementer nollent, A. 1726 edidit, ſecuta doctiſſimi cujusque aſſenſione. Tum vero alii ſurrexerunt Antagoniſtæ, potiſſimum Jeſuitæ, & publicis ſcriptis eam accuſarunt hæreſeos. Epiſcopus Maſſilienſis A. 1727 plures Noſtri propoſitiones publicis damnavit literis. Imo Cardinalis de *Biſſy* in Fano S. Germani Synodum habuit ad Noſtrum condemnandum, ac ſimul permovit Card. *Noallium*, ut & ipſe ſuam publicaret cenſuram. Paruit *Noallius*, juſſusque tum Noſter eſt obedientiam præſtare ejus mandatis. Poſt *Noallianas* literas & *Biſſyana* Synodi & aliorum aliquot Epiſcoporum gravis cenſura prodiit. At Noſter nec librum ſuum damnari, nec ſe hæreſeos reum fieri, pati potuit, adeoque imperata facere conſtanter renuit. Accidit vero hoc tempore, ut Oxonienſis

niensis Academia, præmium velut Nostro tributura, quod defendisset Ordinationes Ecclesiæ Anglicanæ, ei impertiret titulum Doctoris Theologiæ & Professoris honorarii. Jam cum insolita res esset, id honoris homini Catholico tribui ab Academia Reformata, itemque, accipi eum honorem a diversæ religionis Professore, plurimos id offendit majorem in modum. Noster igitur id factum laudat, ostendens, non esse necesse, ut in religione de omnibus eandem teneamus sententiam. Catholicismum quippe in eo consistere, ut de essentialibus religionis articulis veram habeamus sententiam, hoc est, de iis, qui clare proponuntur in sacro Codice, & ab omnibus ubique & semper in Ecclesia fuerunt traditi: de ceteris doctrinis liberum esse debere suum cuique judicium. Tandem intelligens Noster suum *Noallianæ* censuræ simpliciter subscribere perpetuo recusantis periculum, aufugit in Angliam. Quam fugam non solum hic defendit, sed etiam, quid postea in Gallia inimici sui egerint, exponit. Historiæ huic, *Tomo priore* copiose & accurate perscriptæ, adjicit, quæ *posteriori Tomo* continentur, monumenta sive documenta, hoc est, materiam veluti primam, ex qua suam composuit historiam, & ex qua cognoscere lectores possunt suæ narrationis veritatem exactissimam. Non solum igitur hic exhibentur literæ a *Courayerio* ad Cardinales *Noallium* & *Bissyum*, ad Episcopum Massiliensem, ad alios, missæ, sed alia etiam huc pertinentia, e. g. *p. 1 Arnaldini*, Doctoris Sorbonici, & censoris librorum Regii, approbatio Dissertationis *Courayerianæ; p. 70* Abbatis *Villierii*, censoris Regii, approbatio Apologiæ, a Nostro conscriptæ; *p. 183* Diploma Academiæ Oxoniensis, quo Noster creatur Doctor Theologiæ; *p. 326* sententia, qua Noster post fugam & ob fugam in Abbatia S. Genovefæ condemnatus est. Ex Diplomate illo Academico nonnihil libet excerpere. *Cum*, inquit, — — *Courayerus*, — — *sacras Episcoporum nostrorum Ordinationes tam strenue docteque defenderit; cum nostram de gravissimis controversiis sententiam sic fere exposuerit, ut ejus scripta* [illegible] *e Professoribus nostris quempiam in manibus hab*[illegible] *nique summum i*[illegible]

conjunctum, eximius animi candor, & non fictum universas Christi Ecclesias ad concordiam reducendi studium eluceant; sciatis, nos— —virum tot tantisque meritis illustrem,— —unanimi suffragio Doctorem in S. S. Theologia constituisse & renuntiasse.

BURCH. GOTTH. STRUVII INTRODUCtio in Notitiam rei Literariæ. Editio quinta.

Francofurti & Lipsiæ, apud E. C. Baillar, 1729, 8. Alph. 3.

QUinta hac utilissimi & exteris quoque probati libri editione quid præstitum sit, paucis docebimus. Nempe ante omnia ipse Autoris textus, quem vocant, sine ulla servatus est immutatione, ita tamen, ut ab erroribus typographicis, quibus priores fœdatæ erant editiones, multa cura liberaretur. Hinc Supplementa ejusdem Cel. Autoris non, uti antea factum, separatim adjuncta, sed sub finem §§. quibus illustrandis destinata erant, subnexa sunt. Eundem in modum quoque Cel. *Coleri* Analecta hic denuo excusa sunt, sed multis modis perpolita, novisque rei literariæ momentis adaucta, ut adeo potiorem partem constituant, qua nova hæc præcellit editio. Tandem & Cl. *Lilienthalii* Observationes, sed ad Caput tantum primum, alterumque, simili ratione nunc primum accesserunt. Constitutum est autem Bibliopolæ, uti ex præmissa Præfatione conspicimus, alterum Volumen subjungere, eoque & reliquas *Lilienthalii* observationes, & *Menckenii* nostri nondum edita Hypomnemata, itemque *Struvii* Differt. de doctis Impostoribus, ac Orat. de meritis Germanorum in Historiam, nec non *Coleri* Differt. de præsenti rei literariæ statu, quibus jam priores editiones instructæ fuerunt, complecti. Curam hujus editionis gessit Cl. M. *Kæcherus*, qui omnia in bonum redegit ordinem, & Indices etiam non uno modo emendavit, ac locupletavit: præterea quoque hinc inde notulas quasdam, maxime circa Capita priora, adspersit. Nos minime dubitamus, novam hanc editionem a rei literariæ studiosis multa cum gratia, plausuque nón minori, quam fructu, exceptum iri.

No. IX.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCXXXI.

HISTOIRE LITTERAIRE DE LA VILLE de Lyon.

h. e.

HISTORIA LITERARIA CIVITATIS Lugdunensis, una cum Bibliotheca Autorum Lugdunensium, tam sacrorum, quam profanorum; Autore P. DE COLONIA, e Soc. Jesu. Pars altera, seu posterior.

Lugduni in Gallia, apud Franc. Rigolletum, 1730, 4 maj. Alph. 4 pl. 16, Tab. æn. 1.

CUm in *Actis* anni superioris *M. Aug. p. 361 sq.* de priori hujus Operis Tomo dictum sit; nunc etiam de posteriori nonnihil nobis dicendum restat. Cum vero a seculo VII hanc Partem auspicetur Autor, quod, æque ac sequens, raros produxit eruditos; hinc in alia omnia digreditur, & Episcopos celebriores, templa vetusta eorumque inscriptiones, & alia, quæ quocunque modo literariam historiam juvant, considerat, Criticum ubique agens, & historiam a fabulis sedulo purgans. Memorat ergo hic S. Gregorii M. Pontif. cum Ætherio Archi-Episc. Lugdunensi commercium; Austregisillum, Mapparium primo Regis Guntrani, h. e. qui Regi, postquam manus lavisset, mappam seu linteum porrigebat, postea primum Abbatem Ecclesiæ S. Nizerii; Athanacum seu Athanatum, *Aisnay*, Abbatiam sub auspicio seculi IV Lugduni fundatam, & a Brunechilde Regina instauratam, rursusque, cum p. 19.

 Sara-

Saracenorum barbarie destructa esset, sub auspicium seculi XII pristino honori redditam, & ab ipso Pontifice Paschali II consecratam; S. Aridium, Archiep. Lugd. falso cædis S. Desiderii Viennæ a Fredegario accusatum; Ecclesias S. Stephani & S. Crucis, earumque fata; metropolitanam item S. Joh. Bapt. ubi inter alia observat, sacerdotes sex, qui Archiepiscopo, missam illic celebranti, assistunt, a longo tempore vulgo sex Musas dici, errore ex vo-
p. 68. ce *Symmysta* orto, ex qua *six Muses* fecerint vocis illius ignari. Seculi IX initio & Ecclesia, cujus reditus barbaris illis temporibus belli Ducibus in præmium virtutis concessi, & ab his liberis suis in dotem traditi fuerant, & literæ reflorescere cœ-
74. perunt. Itaque Noster observat, quantum lucis reliquæ Galliæ Alcuinus, ex Anglia, & Theodulphus, ex Italia a Carolo M. advocatus, attulerit, tantundem Lugduno, cui Episcopus præerat, Leydradum, Bibliothecarii simul munere apud ipsum functum, attulisse; cui jungit S. Agobardum, ejusdem successorem in Episcopatu Lugdunensi, de libris ejus omnibus accurate commen-
125. tatus. Qua occasione memorat etiam Codicem Evangeliorum, ab Agobardo ad aram S. Stephani depositum, & hodieque in Collegio majori Lugdunensi exstantem, Carolovingicis ac partim uncialibus literis ab ipso, ut creditur, Agobardo descriptum. Mittimus Florum, Diaconum Lugd. S. Remigium, Archiepisc. Lugd. alios, de quibus non minus erudite differit Autor. E seculo X, plerisque ferreo aut plumbeo, & inopia scriptorum obscuro, nihil fere ad ornandam hanc Historiam affert, nisi quod celebrat Aurelianum, Lugdun. Archiepisc. qui Bosonem ejusque filium Ludovicum, suum quondam discipulum, Provinciæ & Arelati Reges coronavit, multisque Conciliis præsedit, ab
176 sq. eruditis nonnullis cum S. Aureliano, Archiepisc. Arelatensi, qui plus quam tribus post seculis vixit, confusus. Paulo plura Nostro seculum XI, ejusque scriptor fide dignus, *Hugo*, monachus primo Verdunensis, post Abbas Flaviniacensis, in Chronico Verdunensi vel Flaviniacensi, quod *Labbeus* in Biblioth. nova MSS. nobis servavit, suppeditarunt, quanquam hic quoque ecclesiastica magis, quam literaria historia illustratur, productis Halinardi, Humberti, Hugonis & S. Jubini, Archiepiscoporum Lugdun.

Lugdun. gestis, qui in frequentibus Conciliis de Simonia coercenda plurimum laborarunt. Inprimis vero hic de S. Anselmo, Archiep. Cantuariensi, qui exul diu Lugduni vixit, sumtibus Hugonis, ibique Opera erudita scripsit, fuse agit. Pari modo seculo XII non nisi Epistolam S. Bernardi ad Canonicos Lugdunenses de novo Festo immaculatæ conceptionis B. Mariæ considerat, & de Secta *Pauperum de Lugduno*, seu Vallensium, ab Albigensium doctrina valde diversa, disserit. Ad seculum deinde XIII & XIV una progressus, de duobus Conciliis generalibus, Lugduni A. 1245 & 1274 celebratis, agit, quorum primum ob sententiam, contra Fridericum II Imp. latam, alterum ob Ecclesiæ Græcæ cum Romana reconciliationem illustre fuit, qua occasione doctos viros commemorat, *Petrum Burgundum*, Archiep. Lugdun. *Guil. Durandum*, *S. Beneventuram* & *Guil. Peraltum*, de quo observat, plerosque ejus libros aliis autoribus fuisse adscriptos, ut *Summam de vitiis & virtutibus*, *Guilielmo de Brocia*, Episc. Senon. *Conciones de sanctis* & *supra Evangelia*, *Guilielmo de Alvernia*, Ep. Paris. quorum uterque *Peralto* coævus fuit, *Expositionem regulæ S. Benedicti* cuidam ficti nominis *Guilielmo de Pictavia*, *Officium Principum*, *Thomæ Aquinati*, & *Instructionem Religiosorum*, *Humberto de Romanis*; contra librum *Nicolai de Hunaps de exemplis virtutum & vitiorum*, *e V. & N. T. deprômptis*, non semel sub *Peralti* nostri nomine prodiisse. Mittimus, quæ de Clemente V, Lugduni Papa coronato, & de Johanne XXII, ibidem ad sacrum sedis Papalis fastigium evecto, singularia annotavit Autor. Mox deinde ingressus seculum XV, sigillatim agit de *Guidone Papa*, Lugdunensi, JCto, & de *Joanne Gersono*, qui, etsi Lugduni non natus, diu tamen ibi vixit, ac notat, quanta eodem seculo incrementa ceperit Lugduni Poesis Latina. Atque ita delatus ad seculum XVI & XVII, messem instituit longe majorem, observatque, primis annis Regis Ludovici XII Viros quosdam omnis ordinis Lugduni in Societatem eruditam, seu Academiam, coiisse, quam primam totius Galliæ dixeris, typographos quoque optimos eo mature devenisse, Bibliothecas magna cura colligi illic cœpisse, & Collegium Trinitatis, ibidem a Francisco I, qui ipse de disciplina militari

p. 210-230.
325.
425.
426.

Commentarium reliquit, fundatum, floruisse Viris doctissimis;
denique longa & frequenti Regum, expeditiones maxime in
Italiam instruentium, & Reginarum Lugduni commoratione
p. 435. literas multum ibi promotas esse. Producit hic Cl. Autor *Jo-
annem* quendam Italum, qui *novus Apollonius*, seu *novus Mer-
curius*, dici voluit, hominem fere universalem, A. 1501 Lugdu-
num delatum, cujus miram fuisse rerum inprimis naturalium
& magiæ naturalis scientiam asserit, & *Joannem le Maire*, Bel-
439. gam, circa eadem tempora Lugduni comparentem, qui tum
aliis scriptis, tum inprimis libro, quem *les Illustrations des
Gaules* inscripsit, persuadere Gallis conatus est, ipsos ex colo-
nia Trajanorum oriundos, & Reges Franciæ a Franco quodam,
Hectoris filio vel nepote, recta linea descendere. Quæ fabula
440. ita placuit Ludovico XII, ut signis suis militaribus verba inscri-
beret VLTVS AVOS TROIAE. Memorat inde No-
ster, post *Georgium Ambosium*, Card. Lugduni A. 1510 d. 25 Maji
mortuum, & nobile Pazziorum epitaphium ibidem jussu Ma-
riæ Mediceæ destructum, novam Academiam Literariam *de
466. Fourviere*, seu Angelicam a Præside *de l'Ange*, qui ædes suas
Societati commodabat, dictam, sub initio seculi XVI floren-
tem, cui etiam Medici quidam adscripti fuere. Sigillatim de-
inde de *Symphoriano Campierio*, *Clemente Maroto*, *Mauritio
Scæva*, *Jo. Vultejo*, *Guil. du Choul*, *Philib. Girincto*, aliisque
585. utriusque generis Lugdunensibus eruditis, agit, ac postea typo-
graphicæ Lugdunensis historiam, correctores & typographos
illustres, expendit, inter alia notans, *Servetum* Lugduni *Libros
VII de Trinitatis erroribus* edidisse, ideoque captum, sed post
revocationem dimissum, Viennam Galliæ pervenisse, ibique
librum sine loco, typographo & autore edidisse pestilentissi-
mum & rarissimum sub titulo *Christianismi restitutio*, qui ibi-
616. dem cum effigie autoris combustus sit. Unde etiam disci-
mus, *Jacobum Sponium* non gravatum fuisse *Cangiani* Glossa-
rii Græci corrigendi, dum Parisiis imprimeretur, curam in se
suscipere, quo in labore illi, Parisiis decedenti, ipse Autor no-
ster successit, operas cum Anissonio, typographo, Græce docto,
621. partitus. Nec omittendum, quod narrat, Sorbonicos Docto-

res

res Regi Francisco I, Lugduni tum commoranti, literis supplicibus suasores exstitisse, ut universam rem typographicam in Gallia opprimeret, quod per illam nimium disseminentur Lutheranorum errores, quorum tamen consilium, cum jam executioni mandandum esset, feliciter everterint *Guil. Buddeus* & *Jo. Bellajus*, docentes, quantum ars illa ad refutandos errores illos conferat. Quæ plura deinde Autor refert de Lugduno A. 1562 a Protestantibus capto, scriptis nonnullis documentis illustrata, consulto prætermittimus; nec moramur, quæ de Collegio SS. Trinitatis veteri, quod favit Calvinismo, & novo, quod repurgatum est, & utriusque Viris doctis, annotavit, nisi quod observamus, Nostrum infamiam Magiæ a *Cornelio Agrippa*, qui triennio Lugduni vixit, contra *P. Jovii* 714.
mendacia abstergere, & tum quartum librum, qui Philosophiæ ejus occultæ accesserit, tum librum MS. de invocatione dæmonum, qui sub ejus nomine circumfertur, ei penitus abjudicare, *Joannem* vero de *Bussieres*, e S. J. mediocrem vocare 717.
Historicum, si ea excipias, quæ ad Ludovicum S. spectant, sed meliorem Poetam Latinum. Digniora tamen lectu sunt, quæ de *Claudio Franc. Menetrerio*, nato Lugduni A. 1631, & mortuo A. 728.
1705, commemorat; qua occasione simul de plerisque Historicis urbis hujus liberum fert judicium, de *Claudio* item *Franc. Millet-De-Chales*, *Claudio Rabuele*, *Honorato Fabri*, qui in variis scriptis 739.
Vendrockii, *Bernardi Stubrockii*, *Brunonis Neustrii*, *Antinoi Farbii*, *Herm. Conringii*, *Conigii* item & *Petri Mousner* nomina adscivit, *Caspare Bubon*, A. 1726 d. 5 Jun. Lugduni mortuo, & multis aliis, quibus & adduntur adhuc viventes, edisseruit. Demum Bibliothecam Lugdun. ingressus, rariores libros, tum im- 757.
pressos, tum manu scriptos, producit, quos inter eminet *Historia generalis Chinensis*, a ministro quodam status Imperatoris 763.
Chinensis, *Kin-Tson*, adhibitis Tartarorum & Chinensium annalibus, conscripta, & XXX Voluminibus, quorum quodque 14 pollices longum & septem latum est, Pezini pulchro charactere nec minus compta charta impressa, qua res Chinenses inde a *Fo-hi*, Imperii Chinensis fundatore, qui 2952 annis ante Christum vixit, ad nostra usque tempora deducuntur. Hanc

cum Gallico sermone excerptam, quatuor circiter Voluminibus in fol. dederit de *Miria-de-Mailla*, Missionarius Chinensis, qui etiam tabulam Geogr. Regni Chinensis, ope alterius Missionarii Regis, ac jussu Imp. Chinensis, incredibili labore confectam, præmisit; spem esse, testatur Noster, ejus mox typis subjiciendæ. Pari modo Musæum antiquarium & nummarium perlustrat, ac denique ultimo loco claros Lugdunenses recenset, qui Collegio Trinitatis non adscripti dicuntur, in quibus eminent *Claud. Bellevrius*, *Jo. Grollierius*, *Antonius*, ejusque filius *Claudius*, *Verderii*, *Perrettus du Guillet*, *Ludovica*
p.788. *Saracena*, quæ anno ætatis octavo linguas, Latinam, Græcam
821. & Hebraicam, probe callebat, *Jac. Vergerius*, Poeta elegans, sed lascivus, A.1720 d. 3 Aug. vesperi in platea interfectus Parisiis, *Barthol. Jos. Bretonnier*, Parisiis A. 1727 defunctus, cujus notat Noster insignem errorem, quod in Præfatione Collectionis præcipuarum Quæstionum Juris ad Autorem provocat, *Capella Tolosana* dictum, qui quidem error inde ortus, quod olim in Capella Archiepisc. Tolosani difficiles juris, maxime Ecclesiastici, quæstiones decidi sueverint; & multi alii, Collegii inprimis Medici Lugdun. Socii, quos brevitatis causa omittimus. Passim
111. etiam singularia quædam observat, nempe Lugduni Latinæ linguæ usum publicum ad medium fere seculi IX perstitisse,
174. quo demum Gallicæ vocum terminationes invaluerint; Archiepiscopi dignitatem non semper adhæsisse Metropolitanis, sed sub finem demum ejusdem seculi titulum illum ipsis perpe-
187. tuum esse cœpisse; cognominum usum ante A. 987 nullum observari in Actis publicis, eaque postea demum a Gallis nobilibus primum a terris, quibus præerant, a reliquis postea ali-
216. unde petita esse; tabulas ceratas adhuc seculo XI fuisse usita-
589. tas; & prænominum gentilium usum usque ad Concilium Tridentinum fuisse integrum.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE &c.

h. e.

COMMENTARII HISTORIÆ CELEBERrimorum in Rep. Literaria Virorum inservientes. Accedunt

cedunt Catalogi librorum a singulis scriptorum, de iisque judicia.

Tomus X, XI, XII & XIII.

Lutetiæ Parisf. apud Briassonium, 1730, 8.
Alph. 4 pl. 14.

CUm Tomus X Operis hujus *Niceroniani* non nisi Supplementa & emendationes priorum Voluminum, a summis in Rep. literaria Viris communicatas, ac triplicem Indicem in decem hæc Volumina, & quidem primo librorum hic memoratorum, deinde Autorum, ac denique Necrologicum, secundum secula dispositum, contineat, non est, ut de eo plura dicamus.

Pergit vero Autor *Tomo XI* ad alios eruditos more suo, atque adeo vitas exponit *Joannis Annii Viterbiensis*, mortui A. 1502 d. 13 Nov. *Jo. Caji*, Angli, m. 1573, *Henr. Spondani*, m. 1647 d. 18 Maj. *Jo. Cheekii*, m. 1557 d. 13 Sept. *Sertorii Quattromani*, *Philippi Limborgii*, m. 1712 d. 30 Apr. *Antonii Parent*, m. 1716 d. 26 Sept. *Petri Petiti*, m. 1687 d. 12 Dec. *Matthæi Palmerii*, m. 1475, *Matthiæ Palmerii*, m. 1483 d. 19 Sept. *Francisci Belleforesti*, m. 1583 Cal. Januarii, *Franc. Hottomanni*, m. 1590 d. 12 Febr. *Augustini Torniellii*, m. 1622 d. 10 Jun. *Petri le Brun*. m. 1729 d. 6 Jan. *Antonii Galatei*, m. 1517 d. 12 Nov. *Petri Varignonii*, m. 1722 d. 22 Dec. *Prosperi Alpini*, m. 1617 d. 5 Febr. *Francisci Combefisii*, m. 1679 d. 23 Mart. *Abr. Cowlaji*, m. 1667 d. 28 Jul. *Hier. Osorii*, m. 1680 d. 20 Aug. *Lud. Bulteau*, m. 1693 d. 21 Apr. *Jo. Raulini*, m. 1514 d. 6 Febr. *Mich. Serveti*, m. 1553 d. 29 Oct. ubi tamen non consultam observavimus *Jo. Laur. Moshemii* Historiam *Mich. Serveti*, a nobis memoratam in *Actis* anni superioris *M. Jan. p. 19 sq. Danielis le Clerc*, m. A. 1728 d. 8 Jun. *Jo. Baptistæ Nani*, m. 1678 d. 5 Nov. *Franc. Poupart*, m. 1709 M. Oct. *Claudii de Ferriere*, m. 1715 d. 11 Maj. *Pauli Paruta*, m. 1598 d. 6 Dec. *Jo. Schilteri*, m. 1705 d. 14 Maj. *Claudii de Vert*, m. 1708 Cal. Maj. *Jo. Deslyons*, m. 1700 d. 26 Mart. *Urbani Chevreau*, m. 1701 d. 15 Febr. *Petri Bembi*, m. 1547 d. 20 Jan. *Jo. Jac. Wepferi*, m. 1695 d. 28 Jan.

Jan. *Mathurini Regnier*, m. 1613 d. 22 Oct. *Angeli di Costanzi*, & *Augustini Inveges*, m. 1677 M. Apr.

Tomo XII exstant vitæ *Nicolai Henrion*, m. 1720 d. 24 Jun. *Hier Columnæ*, m. 1586 d. 3 Apr. *Andreæ Mauroceni*, m. 1618 d. 29 Jun. *Eusebii Renaudot*, m. 1720 Cal. Sept. *Jo. Guinterii*, m. 1574 d. 4 Oct. *Wilhelmi Massieu*, m. 1722 d. 26 Sept. *Jo. Guidiccione*, m. 1541 M. Aug. *Is. Peyrerii*, m. 1677, *Ge. Matthiæ Kœnigii*, m. 1699 d. 29 Dec. *Jo. de Barros*, m. 1570 d. 20 Oct. *Didaci de Conto*, m. 1616 d. 10 Dec. *Lud. Morini*, m. 1715 Cal. Mart. *Jo. Casæ*, m. 1556 d. 14 Nov. *Jac. Boileau*, m. 1716 Cal. Aug. *M. Ant. Coccii Sabellici*, m. 1606 d. 18 Apr. *Franc. Bosqueti*, m. 1676 d. 24 Jun. *Petri Pavii*, m. 1617 Cal. Aug. *Jo. Meursii*, m. 1639 d. 20 Sept. *Jo. Baudoini*, m. 1650, *Jo. Devaux*, m. 1729 d. 2 Mart. *Steph. Morini*, m. 1700 d. 5 Maj. *Petri Francii*, m. 1704 d. 19 Aug. *Rogerii de Piles*, m. 1709 d. 5 Apr. *Bened. Bacchini*, m. 1721 Cal. Sept. *Car. Cas. Bandelotii*, m. 1722 d. 27 Jun. *Dan. Guil. Molleri*, m. 1712 d. 25 Febr. *Lud. Nogarolæ*, m. 1559, *Ad. Fumani*, m. 1587, *Petri de Marca*, m. 1662 d. 29 Jun. *Jo. Mariæ Lancisii*, m. 1720 d. 21 Jan. *Mart. Schookii*, m. 1685, *Mich. Foscarini*, m. 1692 d. 31 Maj. *Jo. Franc. Simonis*, m. 1719 d. 10 Dec. & *Mich. Angeli Fardellæ*, m. 1718 d. 2 Jan.

Tomo XIII sistuntur vitæ *Jo. Corasii*, m. 1572 d. 4 Oct. *Roberti Titi*, m. 1609, *Jos. Pompeji Sacci*, m. 1718 d. 23 Febr. *Bened. Spinosæ*, m. 1677 d. 21 Maj. *Lud. Alamanni*, m. 1556 d. 18 Apr. *Steph. le Moyne*, m. 1689 d. 3 Apr. *Melch. Guilandini*, m. 1589 d. 25 Dec. *Gerh. Jo. Vossii*, m. 1649, *Gerhardi Vossii*, m. 1609 d. 25 Mart. *Guil. Temple*, m. 1698 M. Jan. *Sertorii Ursati*, m. 1678 d. 3 Jul. *Ge. Abr. Merklini*, m. 1702 d. 19 Apr. *Claudii Espencæi*, m. 1671 d. 8 Oct. *Nic. Samson*, m. 1667 d. 7 Jul. *Jo. Oricellarii*, (*Rucellai*) *Andr. Chrysostomi Zaluski*, m. 1711 Cal. Maj. *Petri Rami*, m. 1572 d. 25 Aug. *Antonii Aubery*, m. 1695 d. 29 Jan. *Jo. Barbier d'Aucour*, m. 1694 d. 13 Sept. *Conr. Peutingeri*, m. 1547 d. 28 Dec. *Guilielmi Amontons*, m. 1705 d. 11. Oct. *Bernardi Neuwentyt*, m. 1718 d. 30 Maj. *Andr. Naugerii*, m. 1529 d. 8 Maj. *Jo. Boscani*, m. ante A. 1543, *Garcilassi de la Vega*, m. 1536, *Petri de Boissat*, m. 1662 d. 28 Mart. & *Bernardi* Tre-

Trevisani, m. 1720 d. 31 Jan. Ne specimen nobis desit, lubet ea repetere, quæ Vir Cl. *d'Aubery*, Parlam. Tolosani Advocatus, qui & Supplementa non una ad priores Tomos dedit, Nostro suppeditavit de *Joanne Corasio.* Fuit is natus Tolosæ circa A. 1513 patre Joanne & matre nobili; cumque mature Juri operam dedisset, non modo admodum juvenis Tolosæ, verum mox anno ætatis decimo octavo Anversæ & paulo post Aureliani ac Lutetiæ Jura publice exposuit, moxque, relicta Gallia, Patavii anno ætatis 21 incredibili plausu centum theses defendit. Tolosam post triennium regressus, Professionem illic Juris obtinuit A. 1544, &, quamvis eam cum Ferrariensi ad tempus commutaret, rediit tamen Tolosam, ubi auditores habuisse dicitur quater mille. Cum interea ejus fama cresceret, a Regina Navarræ Cancellarius, & a Rege Galliæ Henrico II Consiliarius Parliamenti Tolosani constitutus est, ubi cum examen consuetum subire cogeretur, factum non sine stupore præsentium, ut hæsitarit primo quasi attonitus, inde vero, postquam se recollegisset, examinatoribus ex asse satisfecerit. Postquam religionem reformatam amplexus esset, eam mascule defendit, adeo, ut conspirationis, quæ Tolosam prodere Condæo parabat, conscius crederetur, &, quamvis criminis hujus convinci non posset, tamen, cum de nuptiis Parisiensibus nuntius Tolosam pervenisset, ipse cum aliis Reformatis in carcerem detrudebatur. Hoc vero a conjuratis nonnullis d. 4 Oct. A. 1572 primo mane effracto, *Corasius* & reliqui primi ordinis misere cæsi, & nox, togis suis induti, e furca suspensi sunt.

FELICIS EVELII DE MINERVA SAPIentiæ olim Præside Syntagma Mythologico-Historicum.

Lovanii, typis Martini van Overbeke, 1730, 12.

Plag. 11.

NObilissimus Autor, qui se juvenem passim profitetur, *studiis, industria, fide ætatem & annos* (verba Dedicationis legis ad Sereniss. Bavariæ Electorem,) *antevertere conatus*, hoc

Opusculum, primitias docti laboris, edidit in Lovaniensi Academia, ubi, absoluto pene hoc libello, Bibliothecæ nationis Germanicæ custodia illi commissa erat; ad majorem paulo post, quod nobis constat, evocatus curandam, Palatinam nimirum Sereniss. Electoris Bavariæ. Caput primum libelli Præfationis instar est, argumentum & ordinem cum ἀποστροφῇ ad Lectorem complexum, ubi excusat juventutem, literarum Orientalium ignorantiam, inopiam librorum, qua eo tempore conflictatus sit, cum opus aggrederetur. Cap. II de nominibus Deæ agit, Cap. III & de ortu illius, & quæ conjuncta ei fuere, Cap. IV de loco & tempore, Cap. V & VI de forma & habitu corporis, C. VII de dotibus animi, C. VIII de variis Minervis, an una? disputat. Cap. IX originem cultus Minervæ a Libycis, Ægyptiis & Phœnicibus ad Græcos, Romanos & Barbaros propagatam declarat, C. X autem sacra Deæ describit, quod argumentum C. XI continuatur, C. XII de Palladio, cultoribus, contemtoribus Minervæ, fineque & interitu cultus illius, tractat. De his capitibus ita agit Autor noster, ut, quæ ab aliis de Minerva dicta sunt, ea concinno ordine, stiloque facili ac puro exponat: ut nihil temere desiderandum sit, nisi quod passim apparet, fontes Græcos & Latinos, cum ista scriberet, ad manus non fuisse Ampliss. Viro, ita vitiose expressa plerumque Græca, ita parum accurate laudati autores. Quod quidem, incivile fuerit, illi exprobrare, cum ipse passim fateatur. Laudandum potius ingenium & diligentia, quæ tantis difficultatibus non succubuerint: &, cum nunc eo loco illius res sint, ut libros quoscunque facile queat nancisci, speramus futurum, ut mox majora & illustriora ipsi orbis eruditus debeat, novaque per ipsum suæ lux Bavariæ inferatur, & ipse, quod haud obscure præ se fert in προσφωνήσει ad Viri magni manes, *Lipsiani* nominis gloriam, ad quam magnis passibus contendit, consequatur.

S. JULII FRONTINI LIBRI IV STRAtegematicon, cum Notis integris FRANC. MODII, GODES. STERRECHII, PET. SCRIVERII,

&

& SAM. TENNULII. His accedunt, cum PET. SCRIVERII, tum aliorum doctorum inedita Observationes, curante FRANC. OUDENDORPIO, qui & suas annotationes, variasque MStorum lectiones adjecit.

Lugdun. Batav. apud Sam. Luchtmans, 1731, 8 maj. Alph. 1 pl. 22.

OMiſſas a ſe ait in Præfat. Cl. Editor Notas *Ro. Keucbenii*, tum quod ubique venales ſint, tum quod vel aliis ſubreptæ, vel leves atque indoctæ. Excerpſit tamen inde variantes MSti *Arceriani*, & ſi quid præterea bonæ frugis reperiret: itemque epiſtolam *J. F. Gronovii.* Emendationum fontes habuiſſe ſe ait tum collationem Hiſtoricorum, tum MStos libros, vel excerptas inde lectiones, quo in genere felicem fuiſſe virum Cl. & magnam vim earum deliciarum congeſſiſſe apparet, quas, & quibus debeat, copioſe refert. Adjecit etiam, quarum in titulo mentio nulla fit, *Conjecturas Lipſii* & *J. Frid. Gronovii.* Frontem libri ornat nummi ectypon, in quo *Frontini* nomen legitur, quale illud Nob. *Polenus* libro de Aquæductibus adjecerat: ſed adjecit Cl. *Oudendorpius* etiam aliud, veram nummi & magnitudinem & formam exhibens, in quo non ΦΡΟΝΤΕΙΝΟΣ recto caſu, ſed ΦΡΟΝΤΕΙΝΩ aperte legitur, quo facilius terminari ait Vir Cl. liticulam virorum doctorum, diſputantium, caputne *Frontini* noſtri ſit, an Jovis, quod *Gallandio* videbatur, cum *Cuperus* caſum rectum illi ſententiæ obſtare putaret. Noſter Herculis, apud Smyrnæos, quorum eſt nummus, culti, caput eſſe aſſeverat. Præter excerpta Præfationum ſuperiorum præmiſſa eſt vita *Frontini* a laudato modo *Poleno* ſcripta. Speciminis cauſa ponamus emendationes L. II C. VII, in quod ſortilegio quaſi quodam, aperientes librum, incidimus. Exemplo I: *Tullus Hoſtilius—cum Albani, deſerto exercitu Rom.—peterent tumulos—pronunciavit, juſſu ſuo Albanos id feciſſe, ut hoſtem circumveniret.* Hic poſſe defendi ait *circumveniret*, voce ad Ducem relata, ſed non poſtponendam Codicum Mediceorum lectionem, *circumvenirent.*

Exemplo IV in illo *dimisit* propere *legatos*; pro qua voce monstra quædam erant in aliis MSS. confirmat ex Codice Angl. conjecturam doctorum virorum, qui ita legendum censuerant. Ibidem *arcessiretur* defendit ex MSS. & locis aliorum. Exempl. VII: *Hannibalem venientem in Italiam tria millia Carpetanorum reliquerunt, quos ille, exemplo ne & ceteri moverentur, edixit ab se esse dimissos* &c. Legebatur, *quos ille extemplo, ne &* &c. Quod exemplo XIV pro *asseveratione*, qua hostem terruit Cato, *assimulatione* legi malit, & conferri jubet 2, 11, 4, ratio eum videtur fugere. *Asseveratio* utroque loco est simulata quædam constantia: ubi quasi certus & securus rerum suarum metum justum vir prudens ac fortis opprimit. Loco, quem modo indicavimus, vexata lectio est, principio exempli: *Antipater conspecto priore Neciorum exercitu;* quam nemo ita vel interpretatus est, vel immutavit, ut viris doctis satisfaceret. Profert Cl. Editor, præter cetera, conjecturam Cl. *Wesselingi*, qui legi volebat *Bessorum*; sed, cum vox *priore* adhuc molesta sit, subjicit aliam Cl. *Wassei*, *conspecto* Tetrachoritarum *exercitu*. Uterque Thraciæ populus, Macedoniæ vicinus. Utrum aliquid veri subsit, definire certo non licet.

A. R. PATRIS PETRI FRANCISCI A CONceptione B. Virg. Bononiensis, Scholarum piarum Ex-Generalis, Polygraphia sacra; seu Elucidarium Biblicum Historico-Mysticum, in quo omnes & singulæ divinarum scripturarum voces, secundum sensum literalem, anagogicum & moralem, ordine Alphabetico ex fontibus, tum Hebraicis, tum Græcis ac Latinis, ex optimisque sacræ paginæ Interpretibus sic explicantur & enarrantur, ut quilibet verbi divini studiosus hic facillimo negotio reperiat, quicquid in aliis prope innumeris & vastissimis hujus generis Voluminibus non sine magnis sumptibus & laboribus inquirere hactenus consueverit.

Volumina IV.

Augustæ

Augustæ Vindel. & Græcii, sumtibus Philippi, Martini & Joan. Veith, Fratrum, 1724 & 1725, fol.
Alph. 47 pl. 17.

ETsi gratiam novitatis pæne exuerit Opus hoc, noluimus tamen vel titulum tam prolixi Operis omittere, cujus in eo ratio consistit, ut, quicquid explicatione dignum videatur in sacris literis, notis tum Historicis tum mysticis, quibus sensus mysticus versatur, illustretur ingenue. Nimirum ordinem alphabeticum Concordantiarum Biblicarum secutus Autor doctissimus, voces & dictiones omnes, quæ in vulgata occurrunt, (occurrunt autem, judice Nostro, earum decem millia & ultra,) nomina scilicet, tum propria, tum appellativa, tum substantiva, tum adjectiva, diligenter excussit. Simul & voces Græcæ, Chaldaicæ, Hebraicæ sive Syriacæ originis magna cura explicat; nec mystici sensus, si quem in S. Patribus & Ecclesiæ Doctoribus reperit, quorum loca in margine citantur, obliviscitur. Cum vero sacræ literæ Encyclopædiam quasi quandam desiderent; hinc facile conjectes, quantum profanæ eruditionis ubique sectetur Autor, serie rerum Chronologica ubique expensa, dubiisque excitatis ac solutis, & difficultatibus fere innumeris superatis. Nonnullis locis totas sæpe Dissertationes inseruit, lectu non injucundas, ut cum sub Lit. C Conciliorum omnium generalium compendium sistit, Lit. H Historiæ sacræ Commentarium, cum Historiæ profanæ correspondentibus notis per secula digestum, Lit. I antiquæ Judæorum Reipubl. legumque notitiam, Lit. N exactissimum de nummis Tractatum, Lit. S Scripturæ S. quoad ejus essentiam, autorem, textus sensum, intelligentiam, interpretationem &c. cognitionem generalem, addito ejusdem phrasario, Lit. V vitæ politico-christianæ formulam seu ideam, ad normam Libri tum Proverbiorum, tum Ecclesiastici, accommodatam; ut taceamus tot alias Autoris mantissas, quibus Pontificum Regumque series, variarumque rerum catalogi continentur, quorum in Indice copiosissimo, qui sub finem accessit, factum est indicium. Quantum itaque sacræ pariter & profanæ eruditionis in hoc Opere congestum sit, non est, ut pluribus Lectorem nostrum edoceamus,

mus, cupientes potius, ut ex ipso libro cetera intelligat. Unum addimus, omnia prodiisse cum Censura Romana, neque adeo quicquam hic reperiri, quod Censoribus illis minus placuit.

Allgemeines Biblisches Lexicon.

h. e.

LEXICON BIBLICUM UNIVERSALE;

Autore DANIELE SCHNEIDERO, *Ecclesiarum Comitatus Erbacensis Superintendente, ut & Consistoriali & Pastore Michaelstadensi.*

Tomus III.

Francofurti ad Mœnum, apud Frid. Dan. Knoch, 1731, fol. Alph. 9 pl. 18, Tabb. æn. 5.

LOcus hic est, ut tertii seu ultimi Tomi hujus Lexici mentionem aliquam faciamus, postquam de primo in *Actis A. 1729 p. 9*, & de secundo *A. 1730 p. 475*, commemoravimus. Etsi vero utriusque libri, tam hujus, quam illius, quem modo recensuimus, eadem fere ratio videatur; ille tamen Pontificiis, hic Protestantibus, iisque, qui & doctas quasque in sacras literas observationes Germanico idiomate expressas cupiunt, magis arridebit. Id interim ex Nostro nunc observamus, eum minime omnia sua facere, quæ hic ex mente eorum, quorum sententiam allegavit, produxit. Cumque hic passim inspersérit, quæ suo loco in Lexico non occurrunt, & præterea Supplementum dederit maxime vocum omissarum; hinc optime consuluit Lectori, addito primo loco Indice omnium materiarum, quæ toto Opere exstant, cui subjicitur alter Index omnium Scripturæ S. locorum, quorum in eodem explicatio occurrit, ac tandem Index Autorum, qui passim in Opere ipso allegantur.

JOANNIS PHILIPPI BREYNII, M. D. Academ. Imperial. Nat. Curios. & Societ. Reg. Lond. Sodalis,

dalis, Historia Naturalis Cocci Radicum Tinctorii, quod Polonicum vulgo audit.

Gedani, apud Cornelium a Beughem, 1731, 4.

Plag. 4½, cum figurarum, coloribus nativis pictarum, Tabula I.

MAgna sunt merita, præclaraque scripta de Insectorum Historia Naturali, *Mouseti*, *Aldrovandi*, *Swammerdamii*, *Malpighii*, *Goedartii*, *Rhedii*, *Raji*, *Listeri*, ceterorumque, quibus præsertim ex recentissimis *Vallisnerius*, oculatissimus generationis & metamorphoseos insectorum indagator; *Meriana* vero & *Albinus* figurarum elegantia inprimis laudandi addantur. Quemadmodum autem pauca sunt, quæ scimus in rerum naturalium historia, imo multa, quæ pro veris nobis traduntur, & pro certis obtruduntur, ea non esse, sed dubia sæpe & haud raro plane falsa, deprehendimus; ita negari non potest, multum adhuc abesse, ut historia insectorum condi possit universalis, quæ Philosopho aliquo modo satisfacere queat. Fieri autem hoc poterit, si libri sedulo prius excutiantur, vera ubivis a falsis secernantur, innumeræ insectorum species conquirantur, examinentur, describantur, eorumque generationes, metamorphoses, actiones & usus diligenter observentur, literis mandentur, ac insecta ad certa genera & in facilem & naturalem methodum reducantur. Ut itaque Clariss. *Breynius* aliquam symbolam ad hunc scopum attingendum afferret, insectum selegit, quod tam ratione metamorphoseos, quæ plane singularis est, quam utilitatis, quæ ex eo redundare posset, attentionem non minus, quam inquisitionem & descriptionem, meretur. Est vero illud Coccum, quod in radicibus Polygoni, humilis, nec ullius alius usus herbulæ reperitur, & Coccus seu Coccum Polonicum salutari solet. Postquam enim tres hodie grani tinctorii species numerantur, videlicet 1) Coccum ex ilice, Coccus baphica seu tinctoria *Dioscoridi* dictum, 2) Americanum seu cochinilla, & 3) Coccum radicum, seu Polonicum; in hoc ultimum curatius inquirere consultum duxit Autor Clariss. non quod post Americanum demum innotuerit, sed quod minus cognitum, minusque cete-

ris

ris in usu, a se autem plurimis annis diligenter observatum, & oculo tam nudo, quam armato, diversis plane temporibus examinatum fuerit. Ex sedula igitur investigatione observavit, Coccum Radicum esse insectum, alis destitutum hexapedum, sexu, prout apparet, non distinctum, quod dein Polygoni summis radicibus se affigens, motu locali & sensu privatum, sub specie grani sphærici vegetabilium indolem acquirere videtur, & mole augetur; ex quo post determinatum tempus iterum excluditur vermis, a priore diversus, quamvis eidem multis proprietatibus similis, qui neque nutritur, neque augetur, nec sexu diversus apparet, ova tamen in se ipso perficit fœcunda, & post determinatum tempus lanugine texitur, iterumque, motu locali destitutus, contrahitur, & semina seu ova expellit, ex quibus post aliud iterum determinatum tempus ope caloris solaris vermiculi excluduntur, primo similes. Indeque concludit, Coccum Radicum a Cocco ex ilice in eo tantum potissimum differre, quod illud duplicem subeat metamorphosin, dum vermiculus, ex ovo exclusus, nutriendus abeat in Coccum stricte dictum, ex Cocco dein prodeat vermis alius in statu perfectionis, non indigens alimento, cujus officium est ova perficere & parere, quibus peractis moriatur; hoc vero fiat ex vermiculo, qui præterea nullam patiatur metamorphosin, sed sub specie Cocci sive grani pariat ova, eademque in sinu suo excludat, dum ipse moritur. Coccum autem Americanum idem esse cum Cocco radicum insectum, patria tantummodo & nutrimento diversum, vel ad minimum parum ab eo differre, existimat, uti ex collatione figurarum Cocci Radicum cum figuris Cocci Americani, ex *Melchioris de Ruuscher* Tractatu de Cochenilla desumtis, apparet. Quod vero Americani generatio nondum adeo clare innotuerit, Hispanorum, in America degentium, minori in rebus physicis curiositati adscribendum esse retur. Specialia de examine ejus Chymico, ut & usu Medico, & tinctorio, alii tempori reservat Clariss. *Breynius*, qui & Dissertationem de Conchyliis seu Testaceis polythalamiis meditatur, ad quam feliciter perficiendam sanitatem ac vitam eidem apprecamur.

EXPLI-

TAB. II ad A. 1731.

4 5 2

12 6 7

11



15

14

18

17

EXPLICATIO FIGURARUM TABULÆ II.

Fig. 1. Polygonum Cocciferum, Polonicum, cum adhærentibus Coccis majoribus, minoribusque. TAB. II.
2. Ova, ex quibus vermiculi excluduntur, qui deinde in Cocca abeunt.
3. Eadem microſcopio viſa.
4. Vermiculi ex modo memoratis ovis excluſi.
5. Horum unus cum exuviis, adhuc hærentibus, lentis ope magnitudine auctus.
6. Idem depoſitis jam exuviis.
7. Coccum cum calyce.
8. Idem magnitudine auctum.
9. Coccum a calyce liberatum.
10. Idem magnitudine auctum.
11. Vermis ſecundi ordinis, ex Cocco excluſus.
12. Idem magnitudine auctus.
13. Idem ſupinus.
14. Idem, prouti contractus apparet a tergo conſpicuus, naturali dimenſione.
15. Idem magnitudine auctus.
16. Exuviæ Cocci poſt vermem excluſum.
17. Vermis lanugine tectus candidiſſima.
18. Idem magnitudine auctus.
19. Idem lanugine magis efflorescente & diffuſa cum ovis, qualia fig. 3 exhibet, apparentibus, pariter magnitudine auctus.

a. Muſca exigua, quæ ſubinde inter Cocca & circa Polygonum Cocciferum reperitur, naturali paulo major.
b. Eadem microſcopio, quo ceteræ figuræ, viſa. Hæc ſuam a Cocco non ducit originem, ut multi putarunt, ſed ab alio verme, & quidem, ut Autor opinatur, ab
c. expreſſis vermiculis.
d. Horum unus lentis ope auctus opticæ.

A. Cochenilla aceto macerata, nudo oculo viſa, ſupina. Conferatur cum fig. 11 & 14.

B. Eadem microſcopio viſa, ubi quinque crurum reliquiæ cum ſexto adhuc integro ſpectantur. Confer. cum fig. 13.

C. Eadem a tergo pariter lentis ope viſa, conferenda cum fig. 12 & 15.

THE POSTHUMOUS WORKS OF MR. JOHN WARD.

hoc eſt,

OPERA POSTHUMA JOHANNIS WARDI, in duas Partes diſtributa, ex MSC. originali publicata & reviſa a GEORGIO GORDONIO, Mathematico Londinenſi.

Londini, apud A. Bettesworth, 1730, 8 chart. aug. Alph. 1 pl. 9.

IN Parte prima horum Operum primo loco comparet Compendium Geometriæ practicæ, in quo communia Geometriæ planæ Problemata perſpicue explicantur. Succedit Compendium Geometriæ ſpeculativæ, in quo palmaria Geometriæ planæ Theoremata demonſtrantur, quorum in demonſtrando frequentiſſimus uſus eſt. Sequitur Compendium Trigonometriæ planæ, in quo facillima traditur methodus computandi tabulas ſinuum atque tangentium & Theoremata demonſtrantur, quæ triangulorum ſolutioni in omni caſu ſufficiunt. Subjungit Autor compendia Trigonometriæ rectangulæ & obliquangulæ, quam vocat, quorum illo omnes caſus triangulorum obliquangulorum ſolvit, atque exemplis illuſtrat. Applicat deinde Trigonometriam planam ad altitudines & diſtantias dimetiendas, ubi de diſtantiis ſingularia quædam occurrunt. Quæ jam ſequuntur, praxin navigandi declarant, ut adeo appareat, Autorem ejus potiſſimum gratia cetera præmiſiſſe. Comparet hic primo loco compendium navigationis planæ; ſecundo Compendium navigationis currentis, quam vocat, hoc eſt, eo in caſu, quo navis a vento & aqua currente ſecundum diverſas directiones impellitur; tertio Compendi-

um

um navigationis per mediam latitudinem, quæ eſt ſemiſumma latitudinum termini a quo & termini ad quem; quarto Compendium navigationis *Mercatoris*, & tandem quinto Compendium navigandi per partes parallelas. Hanc ultimam navigandi methodum invenit Autor, quæ nunc primum in lucem publicam prodit. Nititur ea differentia milliarium in diverſis parallelis, quem in finem conſtruxit tabulam, ut ejus ope Problemata nautica in hac nova navigandi methodo ſolvi poſſint: quorum ſingulorum ſolutionem eidem ſubjicit. Enimvero, ne quid deſit, quod in arte navigandi uſui eſſe poſſit, ultimo loco Partis primæ Compendium de variatione acus magneticæ exhibet.

Pars ſecunda Trigonometriæ ſphæricæ elementis tradendis impenditur. Dimidia pars horum elementorum de projectione ſphæræ; altera pars dimidia de ſolutione triangulorum ſphæricorum agit. Demonſtrat in illa Autor tum quæ ad projectionem ſphæræ orthographicam, tum quæ ad ſtereographicam ſpectant, & Problemata ſtereographica ſolvit. Projectionibus iſtis utitur in ſolvendis triangulis ſphæricis, tam rectangulis, quam obliquangulis. In demonſtrandis Theorematis Trigonometriæ ſphæricæ nova quadam ratione ſchemata conſtruxit, ut caſus ſinguli in ſolido repræſentari poſſint: quo ſane ſubſidio, dici vix poteſt, quantum imaginatio in negotio hoc admodum perplexo juvetur, ſtudiumque, difficile alias, facilitetur.

JURA DE PACTO HEREDITARIO RENUNCIATIVO filiæ nobilis a diſſenſu Doctorum liberata, & methodo demonſtrativa in concordiam reducta a JOHANNE ULRICO CRAMERO, J. U. & Phil. D. cum Præfatione CHRISTIANI WOLFII.

Marburgi Cattorum, typis & ſumtibus Phil. Caſimiri Mülleri, 1731, 4.

Plag. 11.

EQuidem plures fuere, qui demonſtrationes in Jure dare conati

nati ſunt,ſed non felicem ſatis illius rei ſucceſſum experti ſunt. Faventiori Minerva eundem laborem aggreſſus eſt Cl. Autor, cujus ſpecimen Juris Naturalis ſingulare, de æquitate in probabilibus, nuper commendavimus in his *Actis Menſe Majo p. 237.* Specimen demonſtrationum in Jure daturus, tale ſelegit argumentum, in quo maximus deprehenditur Doctorum diſſenſus. Ingens eſt caſuum diverſorum, in hoc negotio occurrentium,numerus: ſed vix unum nominaveris, in quo decidendo in diverſas ſententias non abeant Doctores, cum tamen ex intentione Divi Principis *Juſtiniani* una in Jure eſſe debeat concordia, una conſequentia, adverſario nemine conſtituto. Dum igitur beneficio methodi demonſtrativæ diſcrevit propoſitiones, ſibi invicem conſonas, ab iis, quæ ſibi invicem repugnant, easdemque juribus ceteris, unde easdem demonſtravit, conſentientes oſtendit; utilitatem inſignem mehodi demonſtrativæ ad Jura applicatæ *ipſo facto* comprobavit, ne quis inanem operam ſumere dici poſſit, qui methodum demonſtrativam ad Jura transferre nititur. Pactum hereditarium renunciativum non alio fine ad filiam nobilem adſtringit, quam quod pactum iſtud in Nobilium familiis potiſſimum frequens ſit; per ſe enim multo latius patet, cum ſit illud pactum, quo quis promittit, ſe velle abſtinere ab hereditate futura, ubi ſibi fuerit delata. Inquirit autem primo loco in originem hujus pacti,ejusque in Germania validitatem: deinde docet, quid circa illud juſtum ſit: tandem tradit ea,quæ in pactis iſtiusmodi interpretandis obſervanda ſunt. Pacta hæc in familiis nobilibus Germaniæ hodie uſitatiſſima ſunt, etſi Jure Germanorum antiquo ſuperflua eſſent, quo filiæ, extantibus maſculis, ab hereditate tam patris, quam matris, excludebantur; Jure vero Civili Romano prorſus prohibeantur. Non abs re igitur in originem horum pactorum inquirit Cl. Autor. Sed prægnantior adhuc ſuberat ratio, cur hoc faceret, cum origo in ipſo Jure momentum trahat, quando nempe quæritur, utrum pactum iſtiusmodi renunciativum juramento confirmari debeat, nec ne. Poſtquam igitur docuit, quo jure olim uſi fuerint Germani in ſucceſſione, & quomodo non publico decreto,ſed uſu Jus Civile ac Canonicum in foris Germa-

niæ

niæ introductum fuerit; originem pacti renunciativi filiarum hanc tradit. Per leges patrias, quemadmodum modo diximus, filiæ ab omni successione, extantibus masculis, excludebantur, ut adeo, eas pacto renunciativo ab illa arceri, opus minime esset. Juris Civilis autoritate filiæ cum filiis æquo jure ad successionem admittuntur. Quare, cum idem in foris Germaniæ invalesceret, filii ad conservandum jus suum antiquum, quo sorores earumque liberos ab hereditate paterna ac materna arcebant, remedio aliquo habebant opus. Erat tale pactum renunciativum: sed Juris Civilis autoritate improbatur, ut, stante eodem, admitti non possit, imo juramento firmari prohibetur, ut invalidum maneat, etiamsi hoc superaccedat. Enimvero, secundum famosam Decretalem *Bonifacii VIII*, si accesserit juramentum, jurans illud servare tenetur. Pacta igitur hereditaria renunciativa, tanquam remedium conservandi jus patrium antiquum, adversus vim Juris Romani, judice Nostro, introducta. Non diffitetur, seculis XIV & XV in Suevia pacta istiusmodi absque juramento valida perstitisse; sed rationem hanc reddit Noster, quod illo tempore, quemadmodum monumentis historicis fide dignis probat, sola fides Germanos juramento fortius obstrinxerit, & verba dextraque pro juramento habita fuerint; ut adeo non modo superfluum, sed prorsus ignominiosum haberetur antiquis Germanorum moribus, pactum aliquod demum juramento firmari. Ostendit autem porro seculo XVI Germanos a pristinis moribus defecisse, nec fidei servandæ amplius adeo tenaces fuisse, atque tum pacta renunciativa in eadem familia juramento firmari cœpisse, in qua antea absque juramento valebant. Hinc vero concludit, pacta ista renunciativa, tanquam autoritate Juris Canonici introducta, nequaquam vero moribus recepta, hodienum juramento firmari debere, nisi contrarium expressa lege fuerit sancitum, vel diuturna consuetudine introductum, & quidem adhibita præcise formula, ita me Deus adjuvet! nec paciscentes sibi necessitatem jurandi per conventionem remittere posse. Reperies etiam in Parte historica propositiones determinatas, factis quidem stabilitas, utpote quæ principiorum vice in de-

monſtrationibus funguntur. Methodi autem beneficio facta parum concordia diſcernit,& certis concordantia eligit, dubia claritati reſtituit, quaſi aliud agendo. Expoſiturus jam porro ea, quæ circa hoc pactum juſta ſunt, caſus, qui in foro ultra ſeculum occurrerunt, & de quibus diſputant Autores, ex ſummorum JCtorum Voluminibus ſelegit, eorumque deciſiones ad propoſitiones determinatas reduxit,hoc eſt, tales, in quibus ex circumſtantiis, per quas determinatur caſus, deciſio fluat vigore legum in foro uſitatarum, ſententiarum Doctorum minime controverſarum, uſuque fori comprobatarum, principiorum inſitorum de hoc pacto in anterioribus evictorum, ac ſubinde principiorum quorundam Philoſophicorum,a Cel. *Wolfio* inprimis evolutorum. Atque ita accidit, ut nihil dixerit, quod non citaret ex aliis, & communem morem ſequi videatur, ubi agit,quod ab eo toto cœlo diverſum eſt. Prolixum nimis foret,ſingulos referre caſus, quos Noſter expendit: ut tamen appareat, quomodo deciſiones caſuum ad propoſitiones determinatas reducat, unicum in medium afferre lubet exemplum. Quæritur, quid juſtum ſit in caſu, quo, filia renunciante, non niſi filius legitimatus patri ſuperſtes fuerit? Reſponſurus, hanc propoſitionem condit: Si pater moriens tantummodo relinquat filium legitimatum, fuerit autem filius per ſubſequens matrimonium legitimatus; filia renuncians ad hereditatem non admittitur. Quodſi vero filius per reſcriptum Principis, ſive immediate, ſive mediate per Comitem *Palatinum*, legitimatus fuerit; filia renuncians ad hereditatem paternam admittitur. Denique ſi legitimatio per reſcriptum Principis,patre petente,facta fuerit,ad effectum ſuccedendi cum legitimis; filia ad capiendam legitimam admittitur. Eodem modo caſibus ceteris, accurate determinatis, deciſionem per modum prædicati adjicit. Quod formam demonſtrandi attinet, ex circumſtantiis caſus, tanquam aſſumtis, beneficio principiorum, antea commemoratorum,colligit deciſionem. Ita ex eo, quod filius per reſcriptum Principis legitimatus fuerit, concatenato ratiociniorum legalium nexu infert, filiam ad hereditatem,patre mortuo, non admitti. Atque, hanc eſſe genuinam formam de-

demonſtrandi,non ignorant, qui eandem perſpectam habent. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, hac ratione a Noſtro rejici rationes decidendi, a Doctoribus allatas. Reperies enim, demonſtrationibus eas ineſſe, quæ apud probatos Autores leguntur, hoc ſaltem diſcrimine, ut decenter evolutæ, majorem evidentiam fuerint ſortitæ, & firmiter concludant etiam illæ, quibus,ſubinde communi more prolatis, nulla vis concludendi ineſſe videtur. Quoniam vero rationes decidendi omnes, quæ a diverſis præſertim Autoribus afferuntur, non ſunt ejusdem ponderis; ſi quis morem Autoris ſequatur, genuinas a ſpuriis infallibiliter ſecernet. Ubi tandem de interpretatione pacti hereditarii renunciativi agit, regulas interpretandi ſpeciales ad formam propoſitionum determinatarum itidem reducit,& eodem modo, quo propoſitiones anteriores de eo, quod juſtum eſt circa hoc pactum, demonſtrat. Ita oſtendit, pacta hereditaria renunciativa eſſe ſtricte interpretanda, nec in interpretatione admittendum, niſi quod verba inſinuant, ſive in ſpecie fuit expreſſum. Hinc porro deducit,admittenda eſſe, quæ ex fine firmo ratiocinio colliguntur, veluti ſi alio fine, quam familiæ conſervandæ gratia, puta, propter dotem largiorem acceptam, renunciavit filia, eam non admitti ad ſucceſſionem, licet maſculi mortui fuerint. A regulis generalibus progreditur ad ſpeciales. Tales ſunt, quod renunciatio, facta uni perſonæ vel de una re,non debeat extendi ad aliam; unde multa ſpecialia tanquam ex largiſſimo fonte fluunt: quod filia, ſi renunciavit hereditati paternæ vel maternæ, & in hereditate fraterna nihil contineatur, quod non ſit ex bonis patris vel matris, per illam renunciationem ab hereditate fraterna non excludatur: quod, ſi hereditati futuræ renunciatur, bonis etiam poſt renunciationem acquiſitis renunciatur; aliæque complures. Quoniam egregium hoc demonſtrationum in Jure ſpecimen inſtar ideæ exemplaris inſervire poteſt aliis,qui poſthac in eadem palæſtra ingenii ſui vires periclitari conſtituent; Cel. *Wolfius* in Præfatione,quam præmiſit,Lectorem docuit, quænam ſint methodi artificia a Noſtro feliciter adhibita, quæ imitari debeat.

NOVA

NOVA SCRIPTORUM AC MONUMENTOrum, partim rarissimorum, partim ineditorum, Collectio. Opus ad illustrandam Hist. Civilem, Ecclesiasticam, Literariam, nec non Jurisprudentiam publicam & privatam cum maxime comparatum. Tomus I, præter alia Seculi XVI monumenta SAM. GUICHENONI Bibliothecam Sebusianam & PARIDIS DE CRASSIS Diarium Cur. Rom. complexus. Recensuit CHRIST. GODOFR. HOFFMANNUS, JCt. Reg. Bor. Maj. Consil. intimus, & Ordinis JCtor. Francof. Ordinarius.

Lipsiæ, apud hæredes Lanckisianos, 1731, 4.
Alph. 3 pl. 16.

SElecta præteriti ævi monumenta colligere, conjunctimque publicare, id vero institutum nulla eget amplius commendatione, quippe peritis æstimatoribus pridem comprobatum. Grate ac libenter ab Ill. *Hoffmanno*, sicut omnia, ita hujus etiam Collectionis exordium accipimus, neque dubitamus, successum Operis fore publice gratum, publice utilissimum. Hanc enim sibi legem statuit Cel. Editor, ne admitteret alia, quam quæ historiæ tam profanæ, quam Ecclesiasticæ, imo interdum & literariæ, præterea Juri publico pariter ac privato inserviunt. Itaque non tantum scripta historica, Diplomata, aliaque veteris inprimis ævi monumenta, verum etiam antiqui Juris patrii reliquias, doctorumque in illas virorum Commentationes exhibebit, quibus literæ Clar. Virorum, ac de illorum vita & gestis relationes varietatis gratia miscebuntur, adjunctis Indicibus necessariis. Potior ei quidem cura erit in eruendis ineditis, quorum aliquam possidet copiam, ut inde formare aliquot fasciculos liceat; inserere tamen constituit nonnunquam Opuscula edita pridem, sed rariora, & utilitate ac præstantia multis sæpe Codicibus anteferenda.

Frontem certe totius Operis ornat *Guichenoni Bibliotheca Sebusiana*, quæ Centuriis duabus eximium apparatum continet

net antiquissimorum Diplomatum, a Pontificibus, Imperatoribus ac Regibus concessorum: Opus ad illustrationem veteris Burgundici Italicique regni summe necessarium, sed in his terris rarissime visum, & vix auro venale. Prodiit primum Lugduni A. 1660, 4, cum brevibus, sed accuratis, *Guichenoni* notis. Longe fines agri Sebusiani egreditur; multa enim offert de rebus Sabaudiæ, Pedemontii, Montisferrati, Delphinatus, Provinciæ, &c. In præmissa Differt. de vita & scriptis *Guichenoni* ostendit Cel. *Hoffmannus* utilitatem hujus Opusculi in Genealogia, Historia & Jure, tam publico, quam privato, in Jure Feudali & Canonico, item in instruendo Juris antiqui Glossario. Ex tot rebus memorandis notamus exemplum *Ostatici* sive *Obstagii*, quod in literis Procerum Provinciæ A. 1156 occurrit, & sine dubio longe est antiquissimum, cum Germanica fuerint adhuc ex seculo XIII. p. 8 sqq. 63.

II *Paridis de Crassis*, Apostolici Ceremoniarum Magistri & Episc. Pisaur. *Fragmentum Diarii Curiæ Romanæ* ex MSC. cujus copiam fecit Dn. *la Croze*, Bibliothecarius Berol. Præfatus est Cel. Editor de autore hujus Diarii, ejusque vita & scriptis aliis, nec non de Diariis & libris Ceremoniarum Curiæ Romanæ. Autor perperam vocatur *Grassis von Paris*, & jam sub Julio Pontifice fuit Magister Ceremon. imo (ut ipse ait,) a juventute sua versatus inter sacras solennesque Rom. Ecclesiæ ceremonias. Fragmentum Diarii ejus sistitur ab A. 1518, usque ad mortem Leonis X, quæ contigit A. 1521. Extant apud alios alia fragmenta, ex quibus constat, Diarium hoc acta plurium annorum retulisse. Ad illius profecto autoritatem non raro in illustribus de sessione atque ordine controversiis fuit provocatum, & inde forsan communis orta est fabula, *Paridem Librum Ceremoniarum* edidisse, Romæ impressum. Ill. *Hoffmannus* frustra hoc Opus quæsivit, &, id nunquam prodiisse, fide dignis probat argumentis. *Paris* enim sollicite omnem celavit disciplinam ceremoniarum, & summa vehementia in *Christoph. Marcellum*, Electum Corcyrensem, invectus est, qui, edito *sacrarum Ceremoniarum* Opere, hæc arcana temere vulgaverit. Quomodo ergo ipse sive editor sive proditor credi potest disciplinæ, quam 467. 489. 370 sqq. 489 sqq.

prudenti consilio, plenioris arbitrii causa, in penetralibus Pontificum reconditam esse voluerat? Hoc vero fragmentum, quantumvis breve, multa prodit memorabilia. *Pag. 402 Paris* in rixa se, utpote Magistrum Ceremoniarum vocat Imperatorem Legati Hispani, &, si esset præsens, ipsius Regis. *P. 419*, Papam, negat, compatrem sive patrinum esse posse, quia sit pater generalis omnium. *P. 428* testatur, transactum fuisse olim inter Fridericum III Imp. & Nicolaum, ut Imperator significaret Pontifici electionem de se factam, eamque Papa deinde ratam haberet. *P. 480 sqq.* confirmat variis indiciis, Leonem X veneno periisse, &, ob æs alienum Cameræ Apostolicæ, ait, vilem pompam, modicum apparatum, imo miserrimum, fuisse exequiarum, omnia facta cum miseria & tumultu, ac sine ordine. Utinam reliqui omnes Diariorum urbis & curiæ Rom. scriptores,
p. 365. quorum nonnullos ineditos nominat Ill. *Hoffmannus*, publice prostarent! næ illi plurimum prodessent ad dijudicanda Pontificum Procerumque illius aulæ ingenia, item ad intimiorem notitiam istorum temporum, quibus Curia Rom. orbem moderabatur in negotiis tam secularibus, quam Ecclesiasticis. Et quoniam disciplina etiam vetustior ceremoniarum ac rituum Romanorum non paucas observationes de origine multarum rerum, quæ adhuc nostra ætate obtinent, suppeditare potest; Cel. Edi-
394. tor novam *Libri Diurni*, nec non *Ceremoniarum Libri* meditatur editionem, eamque variis observationibus, multo studio collectis, illustrare, facta etiam diversorum exemplarium inter se collatione, brevi, cum jam omnia prelo parata sint, exhibere constituit. Præter Diarium, *Paris* & alia scripsit, quæ re-
368 sqq. censentur, sed omittitur liber *de Funeribus & Exequiis*, quem ipse Autor memorat.

465. In adjuncto Fasciculo habentur: 1) *L. Holstenii Notæ ad Pontificale Rom.* ex MSC. *Holstenius* in editione Romana Pontificalis, quæ A. 1595 prodiit, non pauca perperam dicta vel expressa notaverat, quorum aliqua in secutis editionibus emendata sunt, pleraque vel in ipsa novissima de A. 1726 adhuc occurrunt. Ceterum hæ paginæ satis declarant, quam in hac scientia Autor fuerit peritus, ut prope inter ceremonias Eccle-
siæ

fiæ Rom. natum diceres. 2) *Excerpta nonnulla ex Decretis Pontificum aut Conciliorum circa vitam & mores Cardinalium*; quæ desumta sunt ex Martini V Decretis, ex Reformatione Sixti IV, Alexandri VI, & inedita Julii III, item Concilio Basil. & Lateran. Quamvis pleraque hodie minus conveniant vitæ ac statui Cardinalium; tamen juvat nosse, quantum defecerit ætas præsens a prisca illa morum simplicitate. 3) *Narratio historica expugnatæ ac direptæ Romæ ab exercitu Caroli V.* Varias funestissimæ cladis relationes habemus, sed hæc reliquis copia rerum præstat, & primum a *Casp. Barthio* cum *Petri Aretini* Pornodidascalo Francof. A. 1623 publicata, deinde quoque seorsim excusa ibid. A. 1627. Accedit ex MSC. Oratio, in Senatu Rom. habita, occasione literarum, in quibus culpam omnem facti a se avertere conabatur. Orator paulo ante illud excidium publico nomine, ad causam Pontificis captivi agendam, ad Cæsarem in Hispaniam fuit ablegatus, & Orationem suam ita instituit, ut separatim præmitteret verba Epi- p. 574.
stolæ, deinde acerbo dicendi genere in singula capita commentaretur. Differt hæc Oratio ab aliis hujus generis, quæ extant. 4) *Instructio Pauli III pro Thoma Campegio, Legato in Germaniam cum aliquot doctis viris ad colloquium, ex Decreto Conventus Haganoici Wormaciæ habendum, ituro.* Possidet Cel. Editor etiam instructionem Cardinalis Caraffæ, A. 1624 Coloniam petentis; item Instructionem Cardinali Ginetti datam A. 1636, pacis universalis in Germania tractandæ causa, quæ non parum ad illustrandas res, prout tunc erant, Imperii nostri faciunt, quas tamen divulgare, non visum est consilii. 5) *Extractus Processus contra Cardinalem de Caraffa sub Pio IV instituti.* Numerantur in hoc scripto undecim ejus crimina, in quibus diluendis strenue occupatus est Autor libelli, defensor Cardinalis. 6) *Memoriale Card. Bellarmini ad Clementem VIII de rebus reformandis, cum responsionibus Papæ ex MSC.*

Nemo erit, historiarum & antiquitatum bonæ frugis paulo studiosior, quin hujus Collectionis institutum faciat plurimi, & Ill. Editori vitam prosperosque successus voveat ad hæc & alia præclara Opera recte perficienda.

CASP. ACHATII BECKII, D. SERENISS. Sax. Ducum Consiliarii Aulici, & Antecess. Jen. de Novellis Leonis Augusti & Philosophi, earumque usu & autoritate, Commentatio prolusoria. Præmissa est Diss. de provida Dei cura in dispensandis Jurisprudentiæ fatis, itemque laudati Imp. vita.

Jenæ, apud Jo. Fel. Bielckium, 1731, 4.
Plag. 20.

PRovidam Dei curam in dispensandis Jurisprudentiæ fatis
exinde potissimum colligit Cl. Autor, quod Romani, qui
tamen non solum semina Jurisprudentiæ Græcæ sparserant in
XII Tabulis, sed magna etiam accessionum incrementa legi-
bus suis ex peregrinationibus in Græciam paulatim concilia-
verant, postea mirabili rerum vicissitudine ipsos Græcos cul-
tura legum vicerint, iisque superiores facti, propria jura, &
quidem amplissimo cum fœnore, reddiderint. Celebrat Juris-
p. 22 & 149. prudentiam Romanam, divinitus quippe collectam atque conser-
vatam in communem velut utilitatem totius mortalium generis.
Antiqui certe Germani, Occidente subacto, cum imperio et-
iam leges Romanorum, tanquam ejus instrumentum, ex tribus
Codicibus, ante *Justinianum* conditis, acceperunt. Ipsum ve-
ro Jus Justinianeum non solum per ipsa novem secula valuit, sed
etiam ex ruinis Imperii Byzantini in Occidente lætius effloruit,
luculento divinæ curæ argumento. Itaque grata mente ma-
29. nuque accipiendas monet Justineaneas leges, eaque omnia, quæ
pertinere ad pleniorem earum cultum videntur, studiose con-
ferenda. Jus Græcum, inprimis Novellas Leonis, plurimum
valere ad doctrinam legum civilium receptique Juris intelli-
gentiam; in gravissimo errore versari eos, qui, Leoninas hasce
Constitutiones inutilem Corporis Justinianei appendicem esse,
opinentur. Quo consilio Cel. Autor generatim de Novella-
rum Leonis autoritate & usu scribere aggressus est, qualem
Commentationem olim animo agitavit *Conr. Rittershusius.*
Caput I pertinet ad historiam, agitque de Leone Philosopho,
35. ejusdemque Novellis. Leonem hunc fuisse *Aristotelicæ* Philoso-
phiæ

phiæ ſtudioſum, inde probatur, quod præceptore uſus eſt *Mich. Pſello*, Autore Paraphraſeos in *Ariſtotelem*. De Baſilio Macedone, patre Leonis, obſervat Cl. *Beckius*, eum jam meditatum Jurisprudentiæ reformationem, antequam vero perficeret, co- p. 13.
gnita forte operis difficultate, Πρόχειρον interim νομικὸν, ſeu Epitomen, in XL titulos diviſam, edidiſſe, quo defuncto, Leonem Libros Βασιλικῶν publicaſſe. Ita conciliat ſcriptores, quorum alii Βασιλικῶν libros, alii Πρόχειρον prius prodiiſſe tradunt. In controverſa item quæſtione: an Novellæ Leonis priores fuerint Libris Βασιλικῶν? diſtinguit inter Βασιλικὰ 42 ſqq.
primæ ac repetitæ prælectionis, ita, ut illæ quidem priores fuerint libris Βασιλικῶν, quibus hodie utimur, non vero iis, qui a Leone noſtro profecti. Caput II præcipui momenti eſt, agitque de uſu & autoritate Novellarum Leonis. Proferuntur 1 argumenta, quibus præſtantiſſimi JCti vim omnem ac poteſtatem iis abrogant, ſubjuncta ſtatim modeſta diſcuſſione argumentorum. Itaque refellitur communis opinio, 46 ſqq.
quam *Cujacius* diſſeminavit, Novellas Leonis nunquam & nec ætate quidem Legislatoris obtinuiſſe. Porro eleganter & acute Leo defenditur contra *Alb. Gentilem*, qui variis argu- 56 ſqq.
mentis, eum corruptorem verius, quam emendatorem, Jurisprudentiæ dici, ſtatuit. Denique aliorum graviſſima contra au- 83 ſqq.
toritatem harum Conſtitutionum argumenta recenſentur, qui, in ſcholis æque, ac in judiciis, uſum eas habere, negant. Ergo demonſtrat Autor 2, tantum abeſſe, ut omnis earum uſus in dubium recte vocari poſſit, ut potius pleræque non ſolum pro ſubſidio minime ſpernendo Jurisprudentiæ Juſtinianeæ haberi debeant, ſed etiam magna ex parte in foro re vera vim obtineant, &, ob ſummam, quæ plerisque ineſt, æquitatis rationem, magis etiam recipi mereantur. Recenſet nonnullas, quæ cer- 93 ſqq.
tiſſima fori vel Eccleſiaſtici, vel ſecularis, obſervantia comprobatæ ſint, videlicet Nov. XXXIX, LXXVII, XVIII, XCIII, LI, XCVIII, quæque non theoreticum ſolum, ſed practicum quo- 128 ſqq.
que uſum habeant. Et quamvis autoritate & receptione univerſali Juris Juſtin. non contineantur, neque a Gloſſatoribus agnitæ fuerint; nihilo ſecius, ob ſummam, quæ iis inſit, ratio-

 nem,

nem, nonnullas earum, publice utiles, primum in scholis JCtorum explicatas, tum vero ex scholis in curias tacito Principis consensu fuisse traductas: praeterea immunes nos esse hodie ab illo Glossatorum autoritatis praejudicio, legesque et-
p. 133, 137. iam non glossatas in causis forensibus allegari, exemplis illustribus probat. Particularis tamen duntaxat, non universalis est harum Novellarum receptio, ideoque provocans ad aliquam Novellam, non habet hoc ipso fundatam intentionem, sed potius receptionem usumque ejus probare obstrictus est. Utrum autem istae Novellae valeant tantum in casibus, Jure Justin. non definitis, & ad supplendas atque illustrandas leges Justin. an vero etiam in causa tali, qua Justiniano evidentissimis rationibus adversatur Leo? quaestio anceps & impedita est. D. *Jo. Frid. Olearius*, Assessor quondam Fac. Jurid. Lips. in Progr. A. 1708 edito, quod Cl. *Beckius* non vidit, late de his Novellis disputat, &, supplendo tantum atque illustrando Juri Justin. eas
147 sqq. inservire, docet. Noster vero distincte censet, regulariter valere tam contra, quam praeter Jus Rom. ita ut illud vel suppleant, vel explicent, vel novi quid introducant, exceptis Novellis XVII, XXVII, XXIX, LXV, quae etiam contra Jus Romanum vim acceperint. Atque hi sunt fines Commentationis prolusoriae. Ab eodem Autore expectamus accuratam Novellarum Leonis expositionem, in qua ex rectae & naturalis rationis principiis, itemque ex fontibus Jurisprudentiae Rom. & Graecae, cuncta se derivaturum, & ad illustrationem Juris Civilis pariter & Canonici, nec non ad utriusque fori usum, quoad ejus fieri poterit, accommodaturum omnia, pollicetur.

LETTRES CHOISIES &c.
hoc est,
RICHARDI SIMONII EPISTOLÆ SELECTÆ. Nova editio BRUZENII LA MARTINIERE.
Tomi IV.

Amstelodami, apud Petrum Mortierium, 1730, 12 maj.
Alph. 3 pl. 3.

Primus

PRimus harum Epistolarum Tomus jam A. 1700 prodiit, ac nos in his *Actis A. 1701 M. Martio p. 116 sqq.* eum recensuimus haud indiligenter ac satis copiose. Eodem A. 1702 recuso non sine accessionibus, *secundus* A. 1704, & *tertius* A. 1705 secutus est. Ac tres hi Tomi, etsi Amstelodamum præferebant tituli, Triuoltiensibus typis erant exscripti. Jam, cum literatissimæ essent hæ literæ, & paucis tamen tres hosce Tomos possidere contingeret, visum est Bibliopolæ, quem diximus, Amstelodamensi, conjunctim has Epistolas rursus emittere, & *quartum* adjungere Tomum, quem alius Bibliopola non satis apte fecerat quartum Tomum *Simonianæ Bibliothecæ criticæ*, cum qua eum recensuimus *A. 1711 M. Aug. p. 357 sq.* Cl. *Bruzenius*, cognatus idemque olim familiaris *Simonii*, jam editione *Dictionarii Geographici* clarus, in hac nova editione non solum præfixit Indicem Chronologicum harum Epistolarum, adscripto cujusque Epistolæ argumento, sed etiam annotationes subinde subjecit his Epistolis: imo & inseruit nonnulla, quæ absunt ab editione priori. Videlicet *T. I p. 319-338* exhibetur, quæ A. 1690 separatim edita fuit, Epistola ad *Juriaum* scripta nomine Rabbinorum utriusque synagogæ Amstelodamensis. Est hæc Epistola jocosa vel potius illusoria, in qua contenditur, *Juriaum* in libri sui *de impletione vaticiniorum* eo loco, quo demonstratum ivit Judæis, dudum venisse Messiam, plane contrarium demonstrasse, ac Judæis argumenta subministrasse, quibus, Messiam nondum venisse, at brevi venturum esse, evincerent. Rogant igitur hi Rabbini eum, ut, quod sentiat, libere dicat, & in Judæorum castra transeat, habiturorum ipsum pro Messiæ præcursore. *T. II p. 279-332* exhibetur Responsio, A. 1686 primum edita, ad Epistolam *Ezech Spanhemii*, qua is impugnavit *Simonii Historiam V. T. criticam.* Jam quidem antea *Simonius* generalem confecerat responsionem, quæ inserta est editioni illius Historiæ criticæ, A. 1685 Roderodami factæ. Sed visum postea fuit *Simonio*, specialiorem hanc edere responsionem, in qua contendit, principia sua, in *Hist. crit.* posita, niti veritate religionis Catholicæ, *Spanhemii* vero principia, sibi opposita, pro fundamento habere novorum Refor-

mato-

matorum præjudicia. In eodem Tomo *p. 333 – 345* sistitur Cardinalis *Noallii*, Archiepiscopi Parisini, Edictum, quo damnat *Simonii Versionem N. T.* simulque *p. 346–390 Simonii* Apologia. Denique *T. III p. 244 – 259* profertur *Simonii* refutatio eorum argumentorum, quibus *Arnaldus* ipsum accusarat favoris erga religionem Muhamedanam.

Sed revertimur ad Prolegomena, in quibus & Cl. *Bruzenii* reperimus *Vitam Simonii*, (nati Dieppæ A. 1638 d. 13 Maji, ibidemque denati A. 1712 mense Aprili,) centum paginas implentem, in qua prope nihil agit aliud doctissimus *Bruzenius*, quam ut persequatur fata librorum *Simonii*. Quæ cum per se sint lectu jucunda, eo libentius legentur, quod Autor in Præfatiuncula scribit, se omnia partim ex ipsius *Simonii* ore accepisse, partim e scriptis ejus hausisse. Scilicet *Simonius*, quæ sentiebat, libere scribens, & scapham vocans scapham, scriptis suis universis plurium in se concitabat odia. Horum autem ille nullam habens rationem, suo pergebat indulgere genio, hoc est, quæcunque vera sibi viderentur, plurimorum ingratiis suoque incommodo & vulgare & defendere. Ita tota vita ei veluti bellica fuit, &, quem omnes metuerunt, ei omnes vicissim fuerunt metuendi. Maximas ipsi molestias creavit sua *Historia Critica*, (cujus editionem exstare Amstelodamensem, non debebat *p. 45* dubitari, cum ipse *Simonius* ejus rei testis sit *T. II Epist. 31 p. 217 sq.*) *Versio* item *Gallica* tum totius sacri Codicis, quæ quidem absoluta non fuit, tum inprimis Novi Testamenti. Nec vero nactus est vehementiorem Antagonistam Cl. *Clerico*: cujus inimicitiæ & originem & progressum & finem Noster exponit, ostendens, quam immodeste uterque alterum oppugnaverit, addita tamen hac laude *Clerici*, quod is ex eo tempore nunquam eo modo se gesserit, sed satis habuerit, se defendere. Illud quoque ex hac *Vita* repetendum ducimus, *Simonium* brevi tempore ante mortem suam Vulcano devovisse ingentem turbam suarum in sacrum Codicem annotationum, sed paulo post tantam egisse hujus facti pœnitentiam, ut eo dolore mortem sibi accelerasse sit creditus. Adjicimus iconem ejus, ita descriptam a *Bruzenio* nostro:

Erat

Erat statura parvus: facies ejus non præferebat notam magni & venerabilis viri: fervidus erat ac vivaci ingenio, & tamen simul meditabundus ac laboriosus: memoriam habebat prorsus singularem: multus erat in eo lepos, multa hilaritas: cum literatis libenter colebat amicitiam, etiam per literas: religioni Catholicæ addictissimus erat, ita tamen, ut doctrinas Protestantium odisset magis, quam ipsos: frugalis quidem erat & perparcus, sed, quod dandum erat tabellariis ad alendum cum viris doctis literarum commercium, libenter erogabat: tam denique erat sobrius, ut cibi justo minus capere videretur. Apparet hinc, eum fuisse, ut Physici loquuntur, hominem melancholico-sanguineum. p. 99, 100.

Ipsum Opus nunc evoluturi, cum primus & quartus Tomus prætereundi nobis sint, alibi quippe jam a nobis recensiti, ex secundo tertioque nonnihil afferemus speciminis. *Tomi* igitur *secundi* tres primæ Epistolæ ad *Isaacum Peyrerium* sunt scriptæ, in quarum *prima tertia*que refellitur ipsius de Præadamitis opinio, doceturque, jam olim eundem errorem errasse Judæos Cabalistas; in *secunda* refellitur ejus MS. liber, in quo docebat, duos esse Messias, quorum alter jam venerit ad Christianos, alter venturus tandem sit ad Judæos. In *quarta* vita, fatum, eruditio, & mors *Peyrerii* describitur, addito, eum ad mortem usque retinuisse suam de Præadamitis opinionem, sacerdotique, qui ipsi morituro adstabat, ipsumque jubebat abjicere istum errorem, hæc verba reddidisse ex *Epistola Judæ: Hi, quæcunque ignorant, blasphemant. Epist. VI* judicium fert de *Ægidii Hunnii* libro, quem inscripsit *Calvinum Judaizantem*, putatque, *Calvinum* ab *Hunnio* injuste accusari favoris erga Judæos & Arianos. Imo eximie laudat *Calvini* scripta de Trinitate, statuitque, Theologos Calvinianos melius refutasse Socinianorum dogmata, quam doctores Sorbonicos & Lutheranos. *Epist. VII & XI & XII* de libro *Agapii*, monachi montis Atho, qui inscribitur *Salus peccatorum*, judicium fert, censens, parum eruditionis Theologicæ, fabularum multum in eo inesse, sed in articulo de S. Cœna ipsum clarissime consentire cum Ecclesia Romana. *Epist. XVII* noti-

tiam lectoribus pandit rarissimi libri, a Jesuita *Mariana* scripti, *de erroribus, qui in forma gubernationis Societatis Jesu occurrunt*. *Epist.* XIX laudat Marchionis Agropolitani libellum, multa eruditione refertum, lingua scriptum Hispanica, & Saragossæ A. 1671 editum, *de Sanctis fictitiis*. *Epist.* XXIV docet, libri *Longini* περὶ ὕψους unum duntaxat superesse MS. Codicem, eumque asservari in Bibliotheca Regis Galliæ, ex eoque cognosci posse certum lacunarum, in eo libello occurrentium, spatium. Differit & de hujus libri editionibus, majorem in modum dolens, non perfectam fuisse editionem *Mureti*. *Epist.* XXV agit de *Lactantii* Operum & MSS. Codicibus & editionibus typographicis. Harum de singulis fert judicium, primo loco ponens eam, quæ Romæ prodiit A. 1468. *Epist.* XXVII de libro *Jezira* differit, illo ineptiarum refertissimo & Cabalæ Judaicæ fonte. Qua occasione & suum pretium statuit Rabbinorum libris, ita judicans, exceptis aliquot bonis libris Grammaticis & aliquot literalibus in sacrum Codicem Commentariis, nihil inesse sani Rabbinorum scriptis. *Epist.* XXXI ostendit, quid faciendum sit novo editori *Historiæ Concilii Tridentini Pauli Sarpii*, simul observans, Gallicam ejus versionem, ab *Ameloto* factam, esse vitiosam admodum, idque eam ob causam, quod interpres ille ob oculos habuerit non textum Italicum, sed versionem Latinam. Addit, injuste vulgo a Gallis contemni Card. *Pallavicini* Historiam ejusdem Concilii: quanquam & hujus versionem Latinam multorum accusat vitiorum.

Tomi tertii Epistola septima est ad *Peyrerium*, cui indicat, fuisse etiam doctos quosdam Persas, qui statuerent Præadamitas: adjiciens, *Gaulminum* dicere solitum esse, Cardinalem *Richelium* non esse unum e posteris *Adami*, majori quippe præditum ingenio, quam humano. *Epist.* X differit de *Flaminii Nobilii de prædestinatione libris duobus*, Romæ A. 1581 editis, quo in Opere *Augustini* de prædestinatione sententia rejicitur, tanquam & vetustiori Ecclesiæ & Scripturæ sacræ & rectæ rationi adversa. *Epist.* XI uberius agitur de quodam *Antonii Gallonii* libro, Romæ A. 1604 edito, in quo fabulæ Benedictino-

ctinorum de suo Ordine refelluntur, illa maxime, qua Gregorius M. ejus Ordinis monachus fuisse traditur; Diplomatumque, a monachis Montis Cassini jactatorum, falsitas coarguitur. Vicissim *Epist. XII* recensetur *Matth. Laureti*, monachi Cassinensis, liber, Neapoli A. 1616 editus, in quo, Gregorium M. fuisse Benedictinum, defenditur, Cassinensesque monachi a crimine fraudis & suppositionis librorum studiose liberantur; & alius ejusdem liber, A. 1607 emissus, *de existentia corporis S. Benedicti apud Cassinum. Epist. XV* recenset *Simonius Antonii Perezii*, Theologi Salmanticensis, *Pentateuchum fidei*, Madriti A. 1620 editum, hoc est, quinque libros Theologicos, satis docte scriptos, quorum primus est de Ecclesia, secundus de Conciliis, tertius de S. Scriptura, quartus de traditionibus, quintus de Pontifice Romano. *Epist. XVI* docet, jam ante *Lutheri* reformationem habuisse Ecclesiam homines Graece & Hebraice doctissimos, sed tamen post *Lutheri* tempora plures Pontificios, aemulatione Protestantium incensos, studium sacrarum linguarum excoluisse. *Epist. XXIV* exhibet historiam certaminis *Andradii* cum *Chemnitio* nostro, *Andradium*que docuisse ostendit, ethnicos salvatos fuisse illos, qui virtutem colerent. *Epist. XXVI* & *XXVII* defendit *Grotii* sententiam de duplici sensu scriptorum V. T. propheticorum, literali & mystico, atque, hanc sententiam, ostendit, ei communem esse cum praestantioribus non solum priscae Ecclesiae, sed etiam hodiernae Romanae Ecclesiae, doctoribus. *Epist. XXVIII, XXIX* & *XXX* de autore Pentateuchi disputans, prius recitat clariorum Rabbinorum opiniones, totum Pentateuchum dictante Deo scriptum a Mose fuisse, sentientium: hinc doctorum Christianorum omnis aevi exponit doctrinam, statuentium, Mosen omnino esse autorem Pentateuchi, sed esse nonnihil insertum vel ab Esdra, vel ab alio quodam Propheta. Simul refutat secus sentientem *Frassenium*. Nobis hic notare liceat errorem, a *Simonio p. 235* commissum, *Fridlibium*, Theologum nostratem, appellanti *Fridericum Libium*. E *Supplemento hujus Tomi*, quod a *p. 260-340* octo exhibet Epistolas apologeticas pro *Simonii Historia Critica*, proque ejusdem Gallica sacri Codicis

interpretatione, brevitatis nostræ memores, *sextam* duntaxat contemplabimur, in qua tractat illa Christi *Luc. XIII, 27,* verba: *Discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Scilicet contra *Bossuetum* defenditur *Grotius,* hunc locum interpretatus *de habitu in vitiis,* ostenditurque, probatissimis interpretibus eandem placuisse sententiam, neque adeo interpretationem illam accusari debere Socinianismi. Postremo loco meminisse liceat alius *Richardi Simonis*, sacerdotis vafri & astuti, de quo *Verulamius* in *Vita Regis Henrici VII p. 40.*

LES DROITS DES AMBASSADEURS ET DES autres Ministres publics &c.

h. e.

JURA LEGATORUM ET RELIQUORUM Ministrorum publicorum eminentiora, cum Indice, Legatos, in præcipuis Europæ aulis ex annis 1730 & 1731 agentes, exhibente, sistit JOHANNES GOTTLIEB UHLICHIUS, Advocatus Saxonicus.

Lipsiæ, prostat apud Christianum Martini, 1731, 4.
Alph. 1 pl. 2.

CUm jura eminentiora Legatorum aliorumque, quibus Principes committere publicarum rerum curam solent, ex instituto nondum explicata, exempla legationum noviorum, nostri inprimis temporis, ad principia non revocata, rationesque,
In Præf. quibus dijudicari vulgo jura Legatorum solent, nimis incerta atque fluctuantia deprehendisse sibi visus sit Autor; præcipuam operam in eo collocavit, ut principia, quibus innituntur hæc jura, firma, adæquata, & quæ omni quæstioni, qualiscunque demum agitari possit, definiendæ sufficiant, scholis æque ac aulis sistat.
p. 1. Principia hæc eorundemque applicationem præcedit Caput I de legationum necessitate, quam intactam a se relinqui non posse, facile cognovit, quod juris postea fontes exin derivari possent commodissime. Monet deinde Cap. II iterum iterumque, de juribus, quæ competunt Legatis, parum disquiri posse
11 seq. le feliciter, nisi præcipuas illorum proprietates, varia genera, ordi-

ordinesque varios probe habeas cognitos. Qua occasione re-
centiora nonnulla legationum, quæ in aulis Europæis admini-
stratæ sunt, exempla profert & illustrat. Inde, expositis iis
omnibus, quæ ad insignem legationum in republica usum,
gravitatemque hujus muneris, videbantur pertinere, quæque
ita Legatorum sunt propria, ut abesse ab iis nunquam possint,
Capite III universa Legatorum jura & prærogativas quatuor
complectitur regulis, quas ita comparatas ipse putat, ut nihil p. 33.
fere in illa Jurisprudentiæ parte obvenire unquam possit dubii,
quod non illarum ope feliciter possit definiri. Exhibebimus il-
las ordine. Primam earum ita concepit: Omnia jura & privi- 34.
legia relinquenda sunt Legato, sine quibus mandata Principis sui
exequi non potest; alteram: Conventionum, inter gentes inita- 40.
rum, ratio est habenda; tertiam: Ad ipsos gentium mores & 44.
consuetudines respiciendum; quartam denique: Juribus & pri-
vilegiis, quæ ad vitæ faciunt commoditatem & subsidia, desti-
tuendus Legatus non est. Vitæ hanc commoditatem vult ipse 45.
duplicem, tum quæ ad dignitatem, qua eminet Legatus, tum
quæ ad negotia, ab ipso obeunda, pertinet. Ad Jus Gentium, tan-
quam Lydium lapidem, omnia jura Legatorum exigit, &, ex illo
quatuor has regulas petitas, docet. Harum usum docet Cap. IV
in immunitate onerum publicorum, vectigalium, Accisæ, quam 46.
vulgo dicimus, ejusque generis aliorum, quam competere sibi
contendunt Legati in aulis exteris. At, cur ejusmodi immu-
nitatem concedi sibi postulent, habere negat Legatos, nisi ex
parte secunda Regulæ IV, dignitatis nempe, quæ in eos colla- 58.
ta est, prærogativa. Quodsi tamen contigerit forte, ut 59.
insigne hoc jus iis denegetur, non ideo vindictam armis ex-
ercendam, sed jure talionis utendum contra gentem asperam;
eaque propter clementissimas potentissimi nostri Augusti le-
ges, ea de re latas, omnibus gentibus jubet esse commendatas. 60.
Porro privilegia Legatorum omnium, eorum etiam, qui Resi- 64, 66,
dentes dici solent, circa sacra domestica horumque libertatem, 67, 69.
derivari commode posse ex regulis, ab ipso excogitatis, tuetur 87, 91.
Cap. V; utque appareat, a Jurisdictione Principis, in cujus aula
vivunt, exemtos esse Legatos, regulam 1 & 3 Capite VI fundamen-

p. 33. ti loco ponit; id quod ad ipsos Legati Ministros & famulos extendit, itemque ad ejusdem utensilia, & ad Legatos, qui ante
102. legationem Principi, ad quem mittuntur, subjecti fuerunt. Fa-
109. tetur tamen, evenire interdum posse, ut de his sententia ferenda sit contraria. Jus asyli, de quo Cap. VII commemorat,
133, 140, Legatorum ædibus, si stricte accipiatur, competere negat, quam-
141, 152, vis simile quid propter dignitatem Principis, quam sustinent,
153. eisdem concedat. In reliquis hunc sibi ordinem servandum duxit, ut primo exemplum quoddam antiquioris vel recentioris memoriæ recenseat, & deinde, quid de eo judicandum sit, ex regulis suis decernat. Singulare inprimis studium impendit exemplis recentioribus, iis maxime, quæ his in terris ad examen aliquando revocata non meminerat. Gallicum, quo usus est, sermonem & Politicis & Viris doctis, quibus hæc jura curæ sunt, non ignotum esse, Latinum vero non omnibus, in quorum manus libellum suum pervenire optat, Politicis arridere credidit. Index Legatorum, in aulis Europæis viventium, adjectus est sub finem satis locuples, quo uti non sine fructu poterunt ii, qui aliquam harum rerum comparare sibi cupiunt notitiam.

Der ausgestorbenen Christl. Käyser- und Königl. Häuser Hist. und Geneal. Erläuterung.

h. e.

IMPERATORUM CHRISTIANORUM AC Regum emortuorum Illustratio Historico-Genealogica, a primis eorum initiis ad eorum finem usque deducta, & documentis necessariis munita a JO. LUDOV. LEVINO GEBHARDI, Prof. Academiæ Equestris Regiæ Luneburg.

Tomus II.

Der Muhamedisch- und Heydnischen hohen Häuser Hist. und Geneal. Erläuterung.

h. e.

MUHA-

MUHAMEDANORUM ET ALIORUM Principum Illustratio Hist. Genealogica, documentis necessariis munita a J. L. L. GEBHARDI, &c. cum Appendice de regimine Judaeorum.

Tomus III.

Luneburgi, e Typographia Sterniana, 1731, fol. maj.

T. II Alph. 1 pl. 2, & T. III Alph. 1 pl. 19.

CUm in *Actis* anni superioris *M. Jul. p. 335 sq.* primum hujus Operis Tomum sub *Lobmeieri* nomine recenseremus, nuntiavimus, secundum quoque ac tertium mox secuturos. Neque ea res successu caruit, prodeuntibus quippe sub initium hujus anni Tomis II & III, in quibus cum nihil omnino *Lobmeierus*, & pauca *Imbofius*, praestiterit, nomen illis solus praeposuit Cl. *Gebbardi*. Sistuntur hic Tomo II Imperatores omnes XVIII Tabulis inde a Julio Caesare ad Romulum Augustulum in Occidente & ad Constantinum X Palaeologum, & captam sub eo a Turcis Constantinopolim in Oriente, quibus Tabula XIX Palaeologi illustres ad nostra usque tempora, atque adeo *Johannem Antonium Angelum Flavium* Comnenum Lascarim Palaeologum, Romae A. 1718 & 1726 agnitum, & Viennae a Caesare nonnullis in Hungaria bonis A. 1722 donatum, adduntur. Sequuntur Principum Graeciae, ut Moreae & Achajae ex Villehardinis, Athenarum ex familia de la Roche ac Brienne, itemque Acciajuoli, Regum item Ostrogothiae & Longobardiae, Italorum Principum, qui Imperatoris in Italia nomen seculo X affectarunt, Regum Normannorum in Sicilia & Neapoli, Regum Neapol. ex stirpe Arragonensi, Regum, Ducum ac Comitum Burgendiae, aliorumque Gallicorum, Regum item Cypri ac Regum Armeniae, familiae.

Tomo III exhibentur Imperatores Turcarum inde a prima origine, Caliphae Saracenorum, Reges Aleppi, Mesopotamiae, Ninivae, Persarum veterum ac hodiernorum, Indorum item ac Tartarorum, Caesares Chinenses, Monarchae Japoniae ac Ceylonii, Reges Syriae a familia Seleucidarum, Aegypti

pti item, Numidiæ, Mauritaniæ & Africæ. Fetzii & Marocci, Saracenici Hispanorum Reges & Monarchæ Americani, Mexici & Peruviani, aliique, quibus tandem accedunt Patriarchæ, Reges ac Principes Judeæ, singulari cura adjecti. Accessit quoque ultimo loco Canon Chronologicus, illis, qui diversam harum gentium computandi rationem intelligere rectius cupiunt, pernecessarius.

Ceterum laudanda iterum Cl. *Gebhardi* industria, qui singulis Tabulis adscripsit in fine autores fide dignos, in Indicibus paulo prolixius memoratos, nisi quod fatetur, se Tomo III Tabulæ XL & LXVII nihil addidisse, sed omnia reliquisse fidei Viri integerrimi, *Jo. Henr. Büttneri*, cujus Tabulas Asiaticas & Africanas, Dusseldorpii A. 1712 quatuor plagulis in 4 editas, secutus sit.

NOVA LITERARIA EX HISPANIA.

Quæ ad nos doctus quidam Vir ex Hispania scripsit, non invidemus Lectoribus nostris, eundem publice rogantes, ut censuras suas porro, ut promisit, ad nos mittere ne dedignetur.

Chronica Serafica. Vida del Glorioso Patriarca S. Francisco, i de sus primeros discipulos, escrita por el R. P. Fr. Damian Cornejo, *Chronista General de la Regular observancia. Parte primera. En Madrid, por Juan Garcia Infanzon*, A. 1682, in fol.

Parte segunda apud eundem Infanzon, A. 1684, in fol.

Parte tercera apud eundem, A. 1686, in fol.

Parte quarta apud eundem, A. 1698, in fol. Quæ Pars edita fuit Autore jam Episcopo *Aquarum calidarum*, vulgo *Orense*. Fuit *Cornejus* vir pius, & ingeniosus; sed qui historicas leges ignorabat. Ejus scripta plerique ad cœlum efferunt; sed suam in hoc, ut in aliis, imperitiam produnt.

Chronica Serafica escrita por el P. Fr. Eusebio Gonzalez de Torres, *Chronista General de la Regular observancia. Quinta parte. En Madrid en la imprenta de la viuda de Juan Garcia Infanzon*, A. 1719, in fol.

Sexta parte, apud eandem viduam, A. 1725, in fol.

Septima parte, apud eandem viduam, A. 1729, in fol. *Gonzalezius* sequitur, quantum potest, *Corneji* vestigia, paribusque fere dotibus instructus est. Verum Historiæ leges aut ignorat, aut videtur ignorare.

Reflexion

Reflexion Historica sobre los matrimonios de las Casas de Austria, i Baviera. Su Autor Don Luis de Salazar i Castro, *Cavallero de la Orden de Calatrava. En Madrid, en la imprenta Real por Matheo de Llanos i Guzman,* A. 1689, in fol. Ostendere hic cœpit *Salazarius*, quam deditus esset Genealogiæ studio, in quo postea inter Hispanos sibi coætaneos principem locum obtinuit, retinuitque.

Carta del Maestro de Ninnos a Don Gabriel Alvarez de Toledo, *Cavallero del Orden de Alcantara, i primer Bibliothecario del Rei. En Zaragoza,* (*Madrid,*) A. 1713, in 4. Hæc Ludimagistri Epistola in aliquibus est diserta, in aliis ridicula, ubique mordax. Verus ejus Autor *Ludovicus Salazarius* & *Castrius.*

Palacio de Momo. Apologia jocoseria por la Historia de la Iglesia, i del mundo, i por su Autor Don Gabriel Alvarez de Toledo i Pellicer, *defendiendole de una carta anonima, aunque con el nombre de Maestro de Ninnos, que se supone ser impresa en Zaragoza, i dirigida al mismo Autor despues de aver muerto. Escriviò la Apologia* Encio Anastasio, *Heliopolitano. Sacala a luz un mui amigo de Don* Gabriel. *Leon de Francia.* (*Madrid*) A. 1714, in 4. Momi Palatium multo magis probaretur, si ejus Autor, Marchio scilicet *Sancti Philippi* non suscepisset defendenda, quæcunque *Salazarius* in *Alvarezii* Historia reprehendenda duxit. Non ita Marchio didicerat Hispanæ linguæ usum, ut idoneus esset Apologiis conficiendis.

Jornada de los Coches de Madrid a Alcalà, o satisfacion al Palacio de Momo, i a las Apuntaciones a la carta del Maestro de Ninnos. En Zaragoza, (*Madrid,*) A. 1714, in 4. Rhedarum iter partus est *Salazarii*; sed abortivus. Multa ibi præter decorum effutiuntur.

Indice de las glorias de la Casa Farnese por Don Luis de Salazar i Castro, *Comendador de Zorita, i Procurador General de la Orden de Calatrava, del Consejo de su Magestad en el Real de las Ordenes, i su Chronista Mayor de Castilla,* i de las Indias. En Madrid, en la imprenta de Francisco del Hierro, A. 1716, in fol. Princeps est *Salazarius* Genealogicorum hujus seculi, &, ut solet esse illa gens, infamiarum buccinator, & Satyricus mordacissimus.

Reparos Historicos sobre los doce primeros annos del tomo septimo de la Historia de Espanna del Dr. D. Juan Ferreras *con los suplimientos precisos para su claridad, i inteligencia. Alcalà* (*Madrid*) A. 1723, in 4. Autor hujus libelli est *Salazarius*, qui vere docet, quam imparatus accesserit *Joannes Ferreras* ad scriben-

bendam Historiam de rebus Hispanis. Verum ipse *Salazarius* Dialogorum mores & artem minime novit, & multa scribere videtur invidia concitatus.

Arithmetica demonstrada Theorico-Practica para lo matematico, i mercantil. Explicanse las monedas, pesos, i medidas de los Hebreos, Griegos, Romanos, i de estos Reinos de Espanna conferidas entre si. Por Juan Bautista Gorachan, *Maestro en Filosofia, Dotor en sagrada Theologia, i Cathedratico de matematicas en la Universidad de Valencia su Patria. En Valencia por Jaime Bordazar*, A. 1699, in 4. Arithmeticam hanc juvenis scripsit *Coraccianus*. De hoc argumento nihil in Hispana lingua scriptum est præstantius. Nunc jam est septuagenarius, sagacissimus senex, Natura nunquam cui verba potuit dare. Nimirum est Philosophus excellens, Mathematicus eximius, Theologus sapientissimus. Has virtutes cumulat incredibili modestia, pietate singularissima.

Bibliotheca Valentina, i Catalogo de los insignes Escritores, naturales de la Civdad, i Reino de Valencia. Su Autor el P. Fr. Josef Rodriguez, *Trinitario*, in fol. Hic liber excusus est, sed publici juris nondum factus ob præmaturam mortem Autoris, qui fuit homo diligentissimus, sed parum doctus, & parum emunctæ naris. Semper tamen ad fontes digitum intendit, ut scire possis, unde biberit.

Historia de la Iglesia i del mundo que contiene los sucesos desde su creacion hasta el diluvio, Autor Don Gabriel Alvarez de Toledo, *Cavallero de la Orden de Alcantarà, i primer Bibliothecario del Rei. En Madrid. En la libreria del Rei por Josef Rodriguez i Escobar*, A. 1713, in fol. Scriptor pius, & doctus. Sed historicarum legum negligentior, multa miscet aliena, multa etiam disputat, ut potius interpres, quam Historicus, videatur. Stilo utitur inflato, atque poetico, sed ubique terso, si ei demas aliqua peregrina vocabula.

Anatomia compendiosa, i noches Anatomicas, por el Dr. D. Martin Martinez. *En Madrid por Lucas Antonio de Bedmar.* A. 1717, in 4.

Medicina Sceptica i Cirugia moderna con un tratado de operaciones Quirurgicas. Tomo I por el Dr. D. Martin Martinez, *Medico Honorario de la familia del Rei nuestro Sennor, Professor de Anatomia* &c. *Segunda impression annadida con una Apologia del R. P. M.* Fr. Benito Feijoò. *En Madrid por Geronimo Rojo*, A. 1727, in 4.

Medicina Sceptica. Tomo segundo. Primera parte Apologema

ne

en favor de los medicos scepticos. Segunda parte Apologema contra los medicos Dogmaticos, en que se contiene todo el acto de fiebres por el Dr. D. Martin Martinez. *En Madrid*, A. 1725, in 4. sine Typographi nomine.

Anatomia completa del Hombre con todos los hallazgos, nuevas dotrinas, i observaciones raras hasta el tiempo presente, i muchas advertencias necessarias para la Cirugia segun el metodo con que se explica en nuestro Theatro de Madrid, por el Dr. D. Martin Martinez. *En Madrid por Bernardo Peralta*, A. 1728, in 4.

Filosofia Sceptica. Extracto de la Fisica antigua, i moderna, recopilada en Dialogos, entre un Aristotelico, Cartesiano, Gasendista, i sceptico, por el Dr. D. Martin Martinez. *En Madrid*, A. 1730, in 4. *Martinezius* est homo amœni, ac festivissimi ingenii. Ludicro delectatur dicendi genere, quo maxime capit vulgi aures. Humanis litteris tinctus est. Ad celebritatem ejus multum confert scriptio vernacula.

Ordenanza de quatro de Julio de A. 1718, *para el establecimiento e instruccion de intendentes, i para Thesorero General, Pagadores, i contadores de los Egercitos, i Provincias por Orden de su Magestad. En Madrid por Juan de Ariztia*, A. 1720, in 8.

Litho-Statica, o Theorica, i Practica de medir piedras preciosas, compuesta por D. Dionysio Mosquera, *Artifice de obras de oro, i Tasador de Joyas. En Madrid, por Francisco del Hierro*, A. 1721, in 4. Libellus hic utilis esse potest Litho-Staticam amantibus.

Obras Poeticas de D. Eugenio Gerardo Lobo. *En Cadiz por Geronimo Peralta*, en 4 A. . . . Lusus est ingeniosus, & ad pangenda carmina promtissimus, ut dicitur. In eo tamen eruditionem Poetæ necessariam, & peritiam artis desideres.

Humaniores, atque amœniores ad Musas Excursus, sive Opuscula poetica, quæ quondam lusit, aut panxit R. A. P. M. Fr. *Joannes Interian de Ayala*, Sac. Regii ac militaris ordinis B. Mariæ de Mercede, Redemtionis captivorum, in Salmanticensi Academia Doctor Theologus &c. Matriti, ex Typographia Conventus præfati ordinis, A. D. 1729, in 8. Vir fuit *Ayala* magno ingenio, majori memoria; miram habuit pangendorum versuum facilitatem. Non raro tamen Syllabarum quantitatum immemor, in pueriles errores labebatur: admonitusque ab amico suo *Greg. Majansio*, respondit, solere Poetas, non versificatores, in ejusmodi offendicula incurrere.

Examen diligente de la Verdad. Demonstracion Historica del Estado Religioso de S. Pedro Pascual de Valencia, Opispo de Jaen &c. *en respuesta de lo que tiene escrito el Sr. Dr.* D. Ju-

an de Ferreras, *por Fr.* Juan Interian de Ayala, *del Sagrado i Real Orden de nuestra Sennora de la Merced, del Claustro Theologo, i Cathedratico Jubilado de la Universidad de Salamanca. En Madrid.* En la imprenta *de D. Gregorio Hermosilla en la Calle de los Jardines*, A. 1721, in 4. Solidis rationibus probavit argumentum susceptum *Joannes Interamnensis Ayalaus*, adeo, ut *Joannes Ferreras* opinionem suam publice retractaverit.

ΑΠΑΣΤΕΡΩΣΙΣ, sive in Astrum Conversio. Elegia D. *Emmanuele Martino*, Decano Alonensi, Autore. In qua Arcam, vicennalium peregrinationum comitem, itinerum attritu ac vetustate fatiscentem, quadam veluti consecratione inter astra collocat, Cl. Viro J. U. D. D. D. *Philippo Buliphoni*, olim in Neapolitano foro causarum Patrono, ac postmodum in Alonensi tractu Regii ærarii Præfecto vigilantissimo atque integerrimo, inscripta. Accesserunt nonnullæ eorundem Epistolæ, ad idem argumentum spectantes. Mantuæ Carpetanorum, ex Typogr. Nicolai Rodriguez Francos, A. 1722, in 4. Præfatio *Cæsaris Laurentii Bulifonis, Philippi* fratris, elegans est, multaque refert de *Emmanuele Martino*, præter ea, quæ in sua Bibliotheca narrat *Rodriguezius*. Natus est *Martinus* Oropesæ Regni Valentiæ oppidulo. Vir est ingenii præstantissimi, antiquitatis peritissimus. Ejus Elegia eruditissima & elegantissima est. Epistolæ indicant, quantus sit *Martinus* in lingua Latina. Sed & in Græca etiam excellit. Denique unus est ex paucis, qui sunt Hispaniæ ornamento. *Philippi Buliphonis* Epistolæ judicium ejus ostendunt. Pure & emendate scriptæ, quas *Janus Ajalæus Interamnensis* addidit, disertæ sunt.

Diccionario de la lengua Castellana, en que se explica el verdadero sentido de las voces, su naturaleza i calidad con las frases o modos de hablar, los Proverbios o Refranes, i otras cosas convenientes al uso de la lengua. Dedicado al Rei nuestro Sennor D. Felipe V, (*que Dios guarde*) *a cuyas Reales expensas se hace esta obra. Compuesto por* la Real Academia Espannola, *Tomo primero que contiene las letras* A. B. *En Madrid en la imprenta de Francisco del Hierro*, A. 1726, in fol.

Tomo segundo, que contiene la letra C. A. 1730. Hispana lingua, si qua alia, desiderat Dictionarium Criticum: nam unusquisque loquitur arbitratu suo. Nulla Grammatica scripta est, quæ possit esse norma locutionis: nullos habet libros Criticos, qui loquendi usum accurate doceant. Perpauci scripserunt emendate. Itaque eloquentissimorum hominum consuetudo vix observatur. Ad eam autem observandam meliores magistros

vel-

vellem, quam Academici sunt, qui gravioribus negotiis fortasse intenti, vocum origines non satis accurate notant, fere semper insistentes *Covarruviæ* vestigiis, qui licet multa viderit acute, omnia non potuit; proprias ab impropriis locutionibus solent infeliciter distinguere. Non raro utuntur testimoniis proletariorum scriptorum, utpote qui fere trecentos sibi tanquam Hispanæ linguæ magistros operis initio præfixerunt. Voces præsertim antiquatas, quæque, cum reperiuntur, magis ignorantur, prætermittunt plurimas. Denique ea linguæ Latinæ infantia laborare videntur, ut raro vocabula Latina Hispanis, & multo minus phrases phrasibus respondeant. Et quis credat, viginti quatuor Academicos septendecim annorum spatio tres literas tantum edidisse? unus homo semestri tantundem præstiterit.

Theatro Critico Universal, o' Discursos varios en todo genero de materias para desenganno de errores communes, por el M. R. P. M. Fr. Benito Geronimo Feijoò, *Maestro General de la Religion de S. Benito, i Cathedratico de Visperas de Theologia de la Universidad de Oviedo. Tomo primero. En Madrid en la imprenta de Lorenzo Francisco Modajos*, A. 1727, in 4.

Tomo segundo, en Madrid en la imprenta de Fr. del Hierro, A. 1728, in 4.

Tomo tercero, apud eundem, A. 1729, in 4.

Tomo quarto, apud eundem, A. 1731, in 4.

Ejusdem *ilustracion Apologetica al Primero, i segundo tomo del Theatro Critico, donde se notan mas de quatro cientos descuidos al Autor del Antitheatro* (*Dr.* Salvador Josef Manner) *i de los setenta que este imputa al Autor del* Theatro Critico *se rebajan los sesenta i nueve i medio. En Madrid, por Francisco del Hierro*, A. 1729, in 4. Hujus viri lectio fere omnium oculos in Hispania detinet non aliam ob causam, nisi quia gens imperita & rudis tot argumentorum varietatem admiratur. Quanquam præditus est *Feijoo* singulari ingenio, quod nemo ei negat. Philavtia maxime laborat. Oratio ejus perspicua, sed peregrinis vocibus fœdata. A multis est impetitus; sed, ut debiles adversarios nactus est, eorum impetus irridet, nescius forte, quantum a potenti adversario pati posset, si critico stilo res esset decernenda.

De la Antiguedad, i Universalidad del Bascuense en Espanna. De sus preferencias i ventajas sobre otras muchas lenguas. Demonstracion previa al Arte que darà a luz de esta lengua, su Autor M. D. L. *en Salamanca, por Eugenio Garcia de Honorato*, A. 1728, in 8. *Emmanuel de Larramendi*, qui hujus libelli est Autor, præditus est magno ingenio: ludicro dicendi genere

delectatur. Vocabulorum Hiſpanicorum multas detegit origines, quas Academicos docet.

El impoſſible vencido. Arte de la lengua Baſcongada, ſu Autor el P. Manuel de Larramendi *de la Compannia de Jeſus, Maeſtro de Theologia de ſu Real Colegio de Salamanca. En Salamanca, por Ant. Joſef Villadiego Alcaraz*, A. 1729, in 8. Gloriatur Autor in hoc libello, ſe fuiſſe primum, qui Vaſconum linguam in artem redegerit.

Ortografia Eſpannola fijamente ajuſtada a la naturaleza invariable de cada una de las letras. La eſcrivia Antonio Bordazàr de Artazu. *Segunda impreſion, en que ſe annade una Apologia contra las inſtancias vulgares recogidas por* D. Salvador Joſef Manner. *En Valencia en la imprenta del Autor*, A. 1730. Hujus Orthographiæ verus Autor eſt ipſe *Antonius Bordazarius*, Typographus judicioſus, & homo ſummæ induſtriæ. Sunt, qui falſo putant, *Greg. Majanſium* ſcripſiſſe illam, propterea quod ipſe Autor (qua præditus eſt modeſtia) dicere ſolet, fere integrum Orthographiæ ſuæ Syſtema a *Majanſio* didiciſſe: idque verum eſt. Quanquam in uſu duarum aut trium literarum *Majanſio* noluit aſſentiri; quod ſi non feciſſet, fortaſſe ab imperitis hominibus non ita convitiis, ut nunc, impetitus fuiſſet.

Ortografia latina fijamente ajuſtada al uſo Regular de los antiquos Latinos, i eruditos modernos. La eſcrivia Ant. Bordazàr de Artazu. *En Valencia en la imprenta del Autor*, A. 1730, in 8. Dignum eſt admiratione, Orthographiam Latinam ſcripſiſſe *Bordazarium* (uti re vera ſcripſit) cum Grammaticæ Latinæ præcepta non attigerit. Majorique admiratione dignum, Latinam linguam eum intelligere mediocriter, cum neque præceptis, neque loquendi uſu didicerit illam, ſed aliqua ſolum lectione, eaque privata. Tantum eſt ingenium *Bordazarii*, tantum judicium!

Metodo iluſtrado de las mas preciſas Reglas de Ortografia Eſpannola, por D. Salvador Joſef Manner. *En Madrid*, A. 1730, in 8. Scriptor proletarius, & ineptiſſimus.

Breve Relacion del Nacimiento, vida, i martirio de la Glorioſa Virgen ſanta Liberada. La eſcrivio el Dr. D. Ignacio Armiſſen i Marin, *Canonigo Reglar de S. Aguſtin del habito de S. Ant. Abad. En Zaragoza por Franciſco Revilla*, A. 1726, in 8. In imam claſſem conjicitor.

Memorias hiſtoricas de la fundacion, i Progreſos de la inſigne Univerſidad de Valencia. Eſcriviolas el Dr D. Franciſco Orti i Figuerola, *Calificador del Santo Oficio, Canonigo de la Santa igleſia metropolitana de Valencia, Retor de la miſma Univerſidad.*

sidad. En Madrid en la imprenta de Antonio Marin, A. 1730. *Franciscus Ortinus*, Valentiæ natus, ordine Chronologico (sed eo non ubique servato) disposuit, quæ memoriæ tradidere *Andreas Scotus, Caspar Escolanus, Antonius Beuterius, Petrus Augustinus Morlà, Vincentius Marinerius, Laurentius Matthæus, Nic. Antonius*, & *Josephus Rodriguezius*. Hi sunt præcipui, ac fere unici eruditionis ejus fontes. Præterea *Ortinus* suffuratus est *Gregorii Majansii* Adversaria quædam, ad idem argumentum spectantia; quæ Adversaria, *Jo. Baptistæ Ferrerii* ope consilioque surrepta, nunquam restituere voluit, ne quis corniculam posset alienis plumis denudare. Habet quidem *Ortinus* ingenium minime contemnendum, promtam memoriam, facilemque stilum, licet non ità emendatum. Critices usum parum novit, adeoque celebrat ut viros magnos, qui vix merentur nominari. De quamplurimis, qui magni viri fuerunt, aut sunt, neque verbum facit. Quos amat, tollit ad astra; quos aversatur, deprimit, aut silentio involvit: in eo laudandus, quod ad fontem solet digitum intendere, ut facile queat discerni, utrum aqua limpida, an cœnosa, prout ejus origo.

Gregorii Majansii, Generosi Valentini, ad quinque Jureconsultorum fragmenta Commentarii, & ad L. si fuerit V. de Leg. 3. Recitatio extemporanea. Valentiæ in Edetanis apud Ant. Bordazàr, A. 1723, in 8. Recitationem habuit *Majansius* ad Valentinæ Academiæ Censores pro Jurisconsulti titulo adipiscendo XI Cal. Decembris A. 1722, ætatis suæ 22. Natus enim fuit 7 idus Majas A. 1699. Postea serio recognitam præfixit Libro I Disputationum Juris. Jureconsulti sunt *P. Rutilius Rufus, Q. Cornelius Maximus, Rutilius Maximus, Campanus*, & *Tarruntenus Paternus*, quos ipse recognovit, publicavitque hoc anno cum quindecim aliis Jureconsultis.

Justi Vindicii Relatio de Disputatione, quam habuit in Valentinæ Academiæ Sacello *Greg. Majansius*, Generòsus, & Antecessor Valentinus, pro intellectu vero l. *est autem* 3 Instit. Imp. de rer. div. Cosmopoli (*Valentiæ*) apud Liberalem Evangelum (*Ant. Bordazarium*) sub signo Lunæ & canum, A. 1725, in 8. Tunc incepit *Majansius* libris suis præfigere canes adlatrantes lunam, addito lunæ hoc lemmate: *Astra regebat equos*; canibusque hoc altero: *sævitque canum latratus in auras*, ad memoriam scilicet illius gloriosissimi diei.

Gregorii Majansii, Generosi & Antecessoris Valentini, Disputationum Juris Liber I. Valentiæ in Edetanis apud Ant. Bordazàr, A. 1726, in 8. Habet præterea *Majansius* nonaginta Disputationes manuscriptas, aliquando edendas, Deo volente.

Vida de S. Gil Abad. La escrivio el Dr. Don Gregorio Mayans i Ciscar, *Cathedratico del codigo de Justiniano en la Universidad de Valencia. En Valencia, por Ant. Bordazàr*, A. 1724, in 16.

Vida

Vida de S. Ilefonso Arzobispo de la Santa Iglesia de Toledo. La escrivio Don Gregorio Mayans i Ciscàr, *Dotor en ambos derechos, i Cathedratico del codigo de Justiniano en la Universidad de Valencia. En Madrid* (cum ibi esset *Majansius*) *por Antonio Bordazàr (por Antonio Marin)* A. 1727, in 12. Hæc est secunda editio. Prima prodiit Valentiæ apud Ant. Bordazàr, A. 1726, in 16. Ipse *Majansius* fatetur, se scripsisse has vitas nimis festinanter, ideo eas recognovit, & auxit, &, cum sibi erit otium, publicabit.

Oracion en alabanza de las eloquentissimas obras de D. Diego Saavedra Fajardo. La escrivio el Dr. Don Gregorio Mayans i Ciscàr, *Cathedratico del Codigo de Justiniano, en la Universidad de Valencia. En Valencia por Antonio Bordazàr*, A. 1725, in 4. Orationem hanc scripsit *Greg. Majansius*, non in eum finem, ut *Saavedram* laudaret, in quo ipse multa reprehendit, sed ut occasionem arriperet exercendi Criticen, sub specioso prætextu laudandi scriptorem, ab Hispanis maxime probatum.

Oracion que exhorta a seguir la verdadera idea de la Eloquencia Espannola. La escriviò el Dr. Don Greg. Mayans i Ciscàr, &c. *En Valencia por Ant. Bordazàr*, A. 1727, in 4.

Accion de Gracias por el nacimiento de nuestro Sennor Dijola D. J. A. M. J. C. (Don Juan Ant. Mayans i Ciscàr, Gregorii frater germanus) *en la congregacion del Oratorio de S. Felige Neri de Val.* A. 1728, in 8.

El mundo engannado por los falsos medicos. Discursos del Dr. Josef Gazola Verones, Medico Cesareo i Academico Aletofilo. Obra posthuma traducida fielmente del Toscano. En Valencia por Ant. Bordazàr, A. 1729, in 8. Hic libellus excusus iterum Hispali A. 1730, nunc tertium excuditur Valentiæ. In Hispanicam linguam convertit *Greg. Majansius*, cujus etiam sunt Dedicatio ad Medicos, Præfatio ad Lectorem, & Libelli censura.

Republica litteraria, obra posthuma de Don Diego Saavedra Fajardo. Sale *a luz corregida diligentemente segun una copia M. S. de D. G. M. En Valencia por Ant. Balle*, A. 1730, in 8. Hunc aureum libellum, in quo *Saavedra* se ipsum superavit, *Gregorius Majansius* recensuit, gravissimos errores sustulit, tum librariorum, tum ipsius *Saavedræ*, quanquam hujus solum, ubi religio Christiana violabatur, quod mirum est ab aliis animadversum non fuisse. Tales erant intolerandæ de anima opiniones. Librarii Dedicatio ad *Hiacynthum Joverium*, Prologus, & censura etiam sunt *Majansii*. Voluisset hic suas ad *Saavedram* edere notas, sed nondum sunt in eo statu, ut publicari possint; continent enim accuratissimam crisin eorum omnium scriptorum, quos in sua Republica nominavit *Saavedra*.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXXI.

JOANNIS LAUNOJI, CONSTANTIENSIS, Parisiensis Theologi, Socii Navarræi, Opera omnia, in quinque Tomos & decem Volumina distributa. Tomi primi Pars prima & secunda.

Coloniæ Allobrogum, sumtibus Fabri & Barillot, sociorum, & Marci-Michaelis Bousquet & sociorum, 1731, fol.

Alphab. 12 pl. 9.

CUm vir antiquitatis Ecclesiasticæ consultissimus, *Joannes Launojus*, scriptis a se editis eruditorum plausum merito consecutus sit; optime utique de republica literaria merebitur doctissimus Gallus, cujus nomen ignoramus, qui *Launoji* Opera omnia propediem editurus est. Laudabile consilium suum exequi jam incipit. Horum enim Operum Tomus primus ad manus nostras jam pervenit. Quem quidem dum recensebimus; id agemus, ut de ratione uniuscujusque scriptionis, quæ in eodem deprehenditur, Lectori summatim minimum constet. Legas in hoc Tomo scripta, quibus *Launojus* sub examen vocat controversias Theologicas, sua ætate in Gallia agitatas. Quoniam autem *Launojus* consueta sibi methodo, ordine Chronologico, Conciliorum, Romanorum Pontificum, & celebriorum Doctorum de materia, quam pertractat, sententias plerumque enumerat; hæc ipsa quoque scripta egregie facient ad doctrinarum historiam illuminandam. *Primum* locum inter illa sibi vindicat *Syllabus rationum, quibus causa Durandi de modo conjunctionis* p. 1-9.

concursuum Dei & creaturæ defenditur, & inofficiosa quorundam censura depellitur. Mireris, quod *Launojus*, qui in recensendis scriptorum testimoniis nimiam fere operam collocare solet, hoc loco ipsis *Durandi* verbis ejus sententiam, quam defendit, non exponat. Hunc defectum igitur supplet doctissimus Editor in subjunctis annotationibus, ubi controversiæ statum ipsis docet *Durandi* verbis. Nempe in *Durandi* Lib. II Dist. 37 Quæst. 1, *in Magistrum sententiar.* quæstio proponitur, *utrum actio peccati secundum quod actio sit a Deo?* & respondetur: *dicenda sunt tria. Primum est, quod Deus est causa actionis peccati universalis & prima. Secundum est, quod non est causa ejus proxima & immediata. Tertium est, quod ex hoc non potest imputari culpa.* Male audiebat hæc *Durandi* doctrina Parisiensibus Theologis, cum *Launojus* hanc scriptionem A. 1636 publici juris faceret. Hoc igitur scripto operam præcipue navat, ut odium, quod Paris. Doctores in *Durandum* conceperant, aliquo modo leniat. Eo consilio enim non solum multis argumentis docet, *Durandum* in pace & communione cum ecclesia vitam finiisse, neque ab antiquis Paris. doctoribus *Durandi* doctrinam fuisse damnatam; verum etiam tutatur, ipsam *Durandi* sententiam a *Petro Aureolo, Nicolao Boneto, Richardo, Petro de Aquila, Jo. Gersone, Jacobo Merlino* & *Martimbosio*
P. 9-43. defensam atque commendatam esse. Secundo loco *Præscriptiones de Conceptu B. Mariæ Virginis*, Gallica & Latina lingua conscriptæ, exhibentur. Doctissimus Editor in notis additis observat, a recta via aberrare Celeberr. *Dupinium*, qui T. III Biblioth. Eccles. p. 180 propugnat, præscriptiones hasce post obitum *Launoji* demum prodiisse, cum tamen jam A. 1676 & iterum A. 1677 editæ sint, *Launojus* autem A. 1678 demum diem suum obierit. Ipse *Launojus* autem parte prima hujus libri profitetur, se *Tertullianum* hoc libro imitari, qui ex lege præscriptionum contra Hæreticos disputavit, atque defendit secundum hujus methodi leges, nullam rationem habendam esse illorum scriptorum, qui post *Scotum* floruere, sed
12. unice attendendos esse antiquiores doctores. Quæ postquam

incul-

inculcavit, probat, *Scoti* opinionem de immaculato B. Mariæ Virginis conceptu ab ipsis *Franciscanæ* familiæ alumnis tanquam novam atque erroneam rejectam fuisse. Prius enim p. 14.
Dominicanis, Mariam peccato originali obnoxiam fuisse, affirmarunt. *Alexander* enim *Alensis Minorita*, ut unicum exemplum proferamus, Parte III summæ Quæst. 10 memb. 2 art. 1, *Necesse est*, inquit, *ut quod generatus contrahat peccatum*, *&* *propter hoc B. Virgo non potuit in parentibus suis sanctificari.* De Jesuitis acerrimis Franciscanæ opinionis propugnatoribus annotat, quod quam maxime recedant ab *Ignatii*, Patriarchæ sui, moderatione. Is enim, teste *Maffejo* in vita ejus, licet de immaculato conceptu Mariæ Virginis sententiam suam faceret; noluit tamen hanc publice propugnare, ne odio esset atque dolori Dominicanis. Numero multos quoque Roma- 17.
nos Pontifices enumerat, qui maculatum conceptum B. Mariæ Virginis statuerunt. Clariss. Editor autem in subjunctis annotationibus contra *Launojum* defendit, Innocentium V, Joan- 19.
nem XXII, Clementem VI, & quosdam alios, ad quos provocat, maculatum conceptum tantum defendisse, cum nondum essent Pontifices, adeoque horum consensum non magni faciendum esse, existimat. De festo die conceptus B. Mariæ Vir- 21.
ginis *Launojus* censet, quod posito maculato Virginis conceptu non debeat aboleri. In Martyrologiis enim *Usuardi*, *Adonis* & *Romano* legi *die 24 Septembris: Conceptio Joannis Baptistæ.* In Græcorum Menologio die 9 Decembr. *Conc. Annæ Dei & Domino Aviæ.* Manifestum igitur esse, quod in veteri Ecclesia etiam festi dies conceptionis certissime maculatæ fint celebratæ. Sub finem primæ partis maximopere studet, ut 23.
Synodi Tridentinæ decreta in rem suam vertat. Videlicet observat in Decretis Concilii Tridentini, quæ A. 1546, 1551 & 1555 Parisiis typis sunt expressa, ne verbo quidem Mariam excipi e numero eorum, qui peccato originali contaminati sunt. Declarationem illam, quod Maria non inter peccato originali infectos sit referenda, primum deprehendi in editione Romana, quæ A. 1564 publicam lucem adspexit. Ex qua quidem observatione effici posse putat, in ipso Concilio Tridentino B.

Virginem pari loco cum ceteris hominibus fuisse habitam. Doctiss. vero Editor in Annotationibus suis *Launoji* argumentum evertere conatur. Annotat enim, in edit. Mediolanensi A. 1548 eandem deprehendi exceptionem, quæ legitur in edit. Romana A. 1564, & præterea *Catharinum* Dominicanum, qui Concilio interfuerat, in Tractatu de immaculato Conceptu, Romæ A. 1551 edito, p. 95 testari, hanc exceptionem in Concilio
p. 24. Tridentino unanimi consensu receptam fuisse. In altera hujus libri parte id præcipue agit *Launojus*, ut ostendat, quomodo in controversiis de conceptu B. Virginis ordo Theologorum Parisiensis erga ecclesiam Romanam & sigillatim Tridentinam Synodum se gesserit. Qua quidem occasione copiose disserit de decreto Concilii Basileensis, quo statuitur, immaculatum
33. dicendum esse B. Virginis conceptum. Hoc ipsum decretum A. 1497 suum fecere Theologi Parisienses. Maximi autem
35. faciendum esse, *Launojus* negat. Teste enim *Gersone*, *ad Episcopos non spectat, propositionem aliquam hæreticare, quæ ex se & jure penitus dubia est, an ad fidem pertineat repugnanter; neque est scandalosa, & potest sine periculo ejus veritas vel falsitas ignorari.* Quo ipso loco *Gerson* inter ejusmodi opiniones probabiles quoque hanc recenset: *Virgo Maria in peccato originali concepta est.* Concidere etiam hujus decreti autoritatem sibi persuadet, cum innitatur decreto Concilii Basiliensis, quod schismaticum fuisse propugnat. Non majorem autoritatem tribuit decreto Collegii Theolog.
38. Parif. contra *Maldonatum* A. 1575 lato, ubi declaravit, *se de fide tenere, B. Virginem conceptam sine macula originali fuisse.* Demonstrat enim, hoc decretum ipsi Tridentino Concilio manifesto contradicere, quod *Sixti IV* Constitutiones observandas præcipit, quibus sub anathematis pœna statuitur, ut utraque dissidentium pars a controversiis se temperet, & rem in
44–84. medio relinquat. *Tertia* loco reperias *de controversia super exscribendo Parif. Eccles. Martyrologio exorta judicium*, editum A. 1671. Cum in Parisiensis Ecclesiæ Capitulo statutum esset, ut *Usuardi* Martyrologium, quo utebantur, iterum typis exprimeretur, controversia orta est, utrum verba, quæ *de B. Vir-*

Virginis dormitione in Martyrologio anno circiter 1540 deleta erant, sint iterum inserenda. Sic enim ante A. 1540 legebat Ecclesia Parisiensis: *XVIII Cal. Septemb. Dormitio sanctæ* p. 45.
Dei genitricis, cujus sacratissimum corpus etsi non invenitur super terram, tamen pia mater ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet &c. *Jolius*, Ecclesiæ Paris. Canonicus, tribus Opusculis editis causam egit *Usuardi*, contenditque, ipsa ejus verba, anno circiter 1540 perperam deleta, nunc retinenda esse. *Gaudinus* vero & *Ladvocatus*, ejusdem Ecclesiæ Canonici, *Jolio* sese scriptis opposuere, & defendere, doctrinam de corporea assumptione B. Mariæ inter fidei articulos esse referendam. *Launojus*, cujus judicium expetiere *Franciscus* & *Joannes Baptista Bonguerctii*, Ecclesiæ Paris. Canonici, *Usuardum* hoc ipso libro cum *Jolio* defendit, & *Gaudini Ladvocati*que argumenta sub examen vocat. Omnis controversia huc redit, 65.
quomodo interpretanda sit vox assumptionis, quando apud veteres scriptores de Maria adhibetur? utrum de assumptione animæ & corporis, an vero de solius corporis assumptione? Ita e. g. *Gregorius M.* in Sacramentario T. III Anecdot. Thesauri D. *Martenne* p. 1546, *Dei genitrix*, inquit, *Virgo Maria, cujus assumptionis dies gloriose affulsit. Launojus* contra secus sentientes multis testimoniis in medium prolatis defendit, hoc & aliis in locis assumptionem nihil aliud, quam obitum sive animæ assumptionem, denotare. Quemadmodum *Eusebius* Lib. IV de vita Constantini Cap. 64 de ejus obitu, *Imperator*, inquit, *ipsa meridie ad Deum suum assumptus est.* Huic *Launoji* judicio Clariss. Editor *quarto* subjunxit *diversi generis erratorum, quæ in vindiciis Parthenicis extant, specimen.* In quo quidem scripto *Launojus* contra 84—107.
Nicolaum Ladvocatum Billiadum ex instituto disputat. Attexuit etiam *quinto* B. *Carpentarii Theologi Epistolam de contentione orta inter Canonicos Parisienses super verbis Usuardi ad festum assumptionis B Virginis Mariæ.* In hac Epistola optime & brevissimis verbis agitur causa *Launoji* a *Jacobo Boilavio*, quem pro vero hujus Epistolæ autore doctissimus Editor 108—114.
habet.

habet. Occasione data etiam *Ladvocatus* in eodem refutatur, propterea quod gravissime *Usuardum* reprehendit, quod *Euse-*
p. 109,110. *bium*, Cæsariensem, Arianum, inter Sanctos die 25 Junii commemoret. Tuetur enim doctiss. *Boilavius*, eadem ratione graviter nos invehi debere adversus Martyrologium Romanum *Baronii*, qui numero Sanctorum plures aggregavit, qui ne quidem inter vivos unquam fuere. Quin etiam demonstrari posse credit, *Eusebium* Cæsariensem nunquam Arianum fuisse. *Sex-*
114–142. *tum* locum inter hæc Opera obtinet *de confessionis & eucharisticæ communionis usu atque utilitate* liber, editus A. 1653 in 8. Cum hunc librum ederet doctiss. *Launojus*, celebris agebatur inter Theologos Parisienses de frequenti communionis usu controversia. Cujus quidem dissensionis hæc erat ratio, ut utraque disputantium pars frequentem confessionis usum urgeret, ea tamen cum differentia, ut alii veterem ecclesiae disciplinam in retinendis & remittendis peccatis voluerint usurpari, alii mitius cum pœnitentibus agendum esse con-
115. tenderint. *Launojus* igitur e re esse duxit, *Jo. Gersonis*, Cancellarii quondam Parisiensis, & magnæ apud Gallos dignationis & autoritatis viri, sententiam de usu frequentis confessionis & communionis exponere, ut hoc pacto omnem controversiam finiret. Non solum autem *Gersonis* de hac materia doctrinam edisserit, verum etiam doctorum Parisiensium, qui cum *Gersone* faciunt, verba copiose enumerat, & elogia, quæ integra Concilia & celeberrimi viri in *Gersonem* dixerunt,
IX. magno numero adducit. Clariss. Editor in Præfatione judicat, in hoc libro *Launojum* operæ pretium non fecisse, quoniam ea tantum multis argumentis muniverit, quæ nemo in dubium tum temporis vocaverit. *Septimum* in prima hac Tomi
143–218. primi Parte invenias *de mente Concilii Tridentini circa contritionem & attritionem in sacramento pœnitentiæ* librum, editum A. 1653 in 8. In Catalaunensi Ecclesia id temporis disputabatur, utrum Tridentini Patres ad pœnitentiam requisiverint contritionem, sive actum charitate formatum, an vero tantum necessarium judicarint attritionem, sive actum charitatis expertem. *Launoji* nostri consilii ratio est, ut ostendat, Triden-

dentinam Synodum utramque Theologorum ſententiam de contritione & attritione ſcholæ liberam reliquiſſe & nihil definiiſſe. Contradicere enim Concilium tantum voluiſſe *Lutheri* doctrinæ. Quam *Lutheri* doctrinam fuiſſe dicit: *Abſolutionem usque adeo eſſe a ſola fide, ut pœnitens vere abſolutus ſit, dummodo illud ita eſſe credat, licet contritione careat.* p. 186. 201.
Noſtrum inſtitutum non eſt, hoc loco omnes *Launoji* ſententias ex momento ſuo ponderare; non poſſumus tamen non inexcuſabilem, quem hoc loco committit, errorem notare. Ubi unquam *Lutherus* docuit, ſine antecedente contritione hominem vera fide præditum eſſe poſſe? Nonne in Auguſtanæ Confeſſionis, cujus præcipuus autor B. noſter *Lutherus* eſt, articulo XII docemus?. *Conſtat autem pœnitentia proprie his duabus partibus, altera eſt contritio ſeu terrores incuſſi conſcientiæ agnito peccato. Altera eſt fides, quæ concipitur ex Evangelio* &c. *Octavum* ſcriptum, quod in hoc Volumine extat, eſt *Diſſertatio de mente Tridentini Concilii circa ſatisfactionem in ſacramento pœnitentiæ*, A. 1653 edita. 208–243.
Quærendo inveſtigat *Launojus*, utrum ante abſolutionem, an vero poſt abſolutionem ſatisfactio ſit præſtanda? Ejus, quam multis argumentis propugnat, ſententia eſt, in veteri eccleſia ante reconciliationem quidem ſatisfactionem expletam fuiſſe. Sed ſucceſſu temporis hunc modum agendæ ſatisfactionis in deſuetudinem veniſſe. Tridentinum autem Concilium hanc controverſiam ſuam non feciſſe; unde manifeſto concludi poſſit, communem, qui ante Concilium & ipſius Concilii tempore ſervabatur, agendæ poſt abſolutionem ſatisfactionis morem tacito minimum conſenſu a Concilio retentum probatumque fuiſſe. Index *noni* libri, quem hic legas, ita ſe habet: 244–345.
Explicata eccleſiæ traditio circa Canonem omnis utriusque ſexus. Eſt hic Canon Concilii Lateranenſis, A. 1215 habiti, ubi ſtatuitur: *Omnis utriusque ſexus fidelis poſtquam ad annos* 246.
diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio ſacerdoti. Quis hoc loco per *proprium ſacerdotem* intelligatur? multis controverſiis occaſionem aperuit. Cujus quidem concertationis hiſtoriam

ut

ut describat, præcipua *Launoji* instituti ratio est. Addit tamen etiam, quid ipse de hac controversia sentiat. Ab iis enim recedit, qui nomen proprii sacerdotis etiam ad Episcopos & Papam, atque ab iis constitutos pœnitentiarios, extendunt, &, *Parochialem Presbyterum* h.l. solum esse intelligendum, existimat.

p.346–441. Quæ hoc libro observavit, ea explicatius proponit *decimo* in *Observationibus ad explicandam Ecclesiæ traditionem.* Ut enim exempli loco unicam tantum observationem proferamus; principe loco originem celebris hujus controversiæ describit. Nempe *Gregorius IX* A. 1227, post habitam Lateranensem Synodum XII, *mendicantibus* concessit privilegium audiendarum confessionum. Quod privilegium sibi tantum deberi ex Canone Lateranensi, evincere conati sunt. Presbyteri Angli primi omnium Pontifici contradixere, &, a Gregorio IX Canonem universalis Concilii abrogari posse, acriter negarunt. Quæ quidem contentio cum ætatibus adolevit, & variis Canonis Lateranensis explicationibus auctæ etiam sunt controversiæ.

442–622. *Ultimum* in hoc Volumine locum occupat *de sacramento unctionis infirmorum* liber, A. 1673 editus. Uti magnam navat operam, ut originem & institutionem unctionis infirmorum ex Scriptura sacra & Traditione eruat; sic objectionibus quo-
455. que studet occurrere. Miratur, quare disciplina unguendorum infirmorum primis ecclesiæ seculis tam infrequens fuerit, & antiquissimam, quam reperire potuit, orationem, a Pres-
465. byteris ungentibus infirmos fusam, extare dicit in *Gregorii M. libro sacramentorum*, sub initium seculi VII edito. Ab hac autem ætate varias ecclesiarum tam circa unctionem infirmorum, quam circa statum morientium, ritus copiosissime enumerat.

625–882. Ad alteram hujus Tomi Partem progredimur. Ubi principe loco deprehendimus *Tractatum de regia in matrimonium potestate, sive de Jure secularium Principum Christianorum in sanciendis impedimentis, matrimonium dirimentibus.* Tribus partibus hæc Commentatio absolvitur. Prima parte inquirit, utrum hoc ipsum jus, de quo agitur, re vera principibus competat, altera exemplis numero multis docet, apud Gal-

Galliæ Reges jus illud ab omni memoria in usu fuisse. Tertia parte probat, penes reliquos Reges atque Principes ipsius juris hujus antiquitus fuisse exercitium. Ab instituto nostro alienum est, quæ singulis partibus memoratu digna proponit, sigillatim indicare. Idcirco ex prima tantum parte unam atque alteram observationem speciminis loco delibabimus. Ex quo multis testimoniis Theologorum Parisiensium, Burdigalensium, Remensium, Lovaniensium, Duacensium, Salmanticensium, Complutensium & aliorum, suam, quam propugnat, sententiam firmavit; observat, unica adhibita distinctione, regiam in Christianorum matrimonium potestatem contra omnes objectiones posse defendi. p. 651. Nempe hac: *In matrimonio potissimum spectari duo; unum civilis contractus naturam, alterum sacramenti rationem, quæ civili contractui supervenit, sine ulla civilis contractus mutatione.* Hanc annotationem etiam tenet summam esse eorum, quæ scriptores, quos citavit, ad hanc controversiam facientia tradunt. Magnam etiam impendit operam, ut statuta Tridentina in rem suam vertat. Sess. XXIV Cap. 1 664. statuunt: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Qui Concilium Tridentinum potest irritum & nullum declarare matrimonium, si penes Reges & Principes hæc tantum potestas est? Respondet *Launojus*, Romanum Pontificem & alios Præsules, itidem civilem jurisdictionem habentes, sibi subditis tantum hanc legem tulisse. Non enim sequi existimat, legem esse Ecclesiasticam, quoniam in consessu Clericorum lata est. Ex objecto, fine & reliquis circumstantiis naturam & conditionem legis esse æstimandam. Præterea tenet, si quis Ecclesiasticum statutum hoc ipsum dicere vellet, illum concedere debere Tridentinos Patres Scripturæ sacræ, & universæ Ecclesiasticæ traditioni quam maxime contraria statuisse. Illis, qui Pontifici Romano bene cupiunt, non poterat non displicere hæc *Launoji* commentatio. *Gale-*

sius igitur, Rubensium Episcopus, Ecclesiasticam in matrimonium potestatem contra *Launojum* defendere conatus est. Sed
p. 883–1000. hujus objectionibus satisfecit *Launojus* in scripto, quod secundo loco sistitur, cujus index: *Contentorum in libro, sic inscripto: Dominici Galesii Ecclesiastica in matrimonium potestas, erratorum index locupletissimus*, edit. Paris. A. 1667 in 4. In prima statim pagina scripti *Galesiani* quinquaginta imposturas *Launojus* sibi deprehendisse videtur, quas Capite I recenset. In reliquis Capitibus uti alias *Galesii* imposturas indicat, sic ex instituto probat, *Galesii* sententiam in *Augustinum*, *Nicolaum I*, B. *Thomam*, *Bellarminum* & ipsam Christianam religionem maxime injuriam esse. Hunc indicem excipiunt quatuor *Launoji* Opuscula, Gallico sermone exarata, quæ ex MSC. doctiss. Editor nunc primum typis imprimi curavit. Faciunt præcipue ad *Launoji* sententiam de regia potestate in matrimo-
1001–1005. nium illustrandam. *Primi* Opusculi index est: *De potestate circa impedimenta matrimonii.* Prodit e Bibliotheca *Illustris Ludovici d'Aquin*, Forojuliensis primum, postea Sagiensis Episcopi. Contra *Jacobum Leullerium*, Paris. Theologum, præcipue regiam in matrimonium potestatem defendit, & tuetur, in Concilio Tridentino, ubi dicitur Ecclesia constituisse impedimenta matrimonium dirimentia, per Ecclesiæ vocem non intelligi sacerdotalem ordinem, sed tantum cœtum fidelium. Clarissimus Editor annotat in Præfatione, quod operæ, quam in hujus libri elaborationem impendit, *Launojus* supersedere potuisset, cum ea, quæ in Tridentino Concilio ad ma-
17. trimonii disciplinam spectant, non recipiantur a Gallis. Al-
1005–1020. terum Opusculum continet *Observationes in propositiones quasdam a Lullerio in Actu Vesperiarum A. 1676 propositas*, itidem e Bibliotheca Illustr. *Ludovici d'Aquin* editas. Uti præcipue regiam in matrimonium potestatem contra *Lullerium* tuetur; sic etiam contra eum propugnat, potestatem Ecclesiasticam toti ecclesiæ, non uni Petro, collatam esse, Pontificem Romanum Concilio universali esse subjectum, Annatas merito Simo-
1020–1029. niæ accusari, & quæ sunt similia. *Tertii* Opusculi summa est: *Defensio opinionum de impedimentis matrimonii*, quod e

Bi-

Bibliotheca *S. Germani a Pratis* doctiss. Editor primum vulgavit. In *quarto* Opusculo *de disciplina Ecclesiæ in sejunctione mariti & conjugis ex causa adulterii* disputatur. His ipsis autem Opusculis Clar. Editor attexuit *Collectionem Chronologicam Edictorum, aliorumque monumentorum, quæ ad matrimonia clandestina pertinent.* Eam multo labore *Launojus* & *Ludovicus Nublæus*, celeberrimus causarum Patronus, adornarunt. Quam quidem Collectionem ob argumenti similitudinem excipit *Gentiani Herveti Aurelli Oratio ad Concilium Tridentinum habita*, qua suadetur, ne matrimonia, quæ contrahuntur a filiis familias, sine consensu eorum, in quorum sunt potestate, habeantur deinceps pro legitimis. Ubi desinunt scripta ad controversias matrimoniales facientia, incipit liber, cujus index: *Vera Ecclesiæ de prædestinatione & gratia traditio.* Anceps est disputatio, utrum *Launojus* re vera hujus libri autor sit, an vero illius nomini vel a *Ludovico Marasio* vel a quodam *e Societate Jesu* suppositus sit liber? Clariss. Editor non exponit quidem, a quo suppositum censeat; interim tamen suppositum esse librum, nec ab ingenio *Launoji* profectum, tuetur. *Namque*, inquit, *libri non pauci, quorundam Ecclesiæ Patrum nomine laudantur illic, quorum suppositionem data opera probavit Launojus, aliis adornatis operibus. Historiæ lapsus adeo pingues & crassi passim occurrunt, ut viro antiquæ memoriæ studiosissimo, qualis profecto Launojus erat, irrepsisse nemo credat. Accedit scribendi methodus a Launojana toto cælo diversa.* Duabus partibus hæc Commentatio constat. Prima parte Autor demonstrare annititur, *Augustinum* in causa prædestinationis & gratiæ novam omnino & priscis Ecclesiæ Patribus ignotam sententiam defendisse. *Gregorium* enim *Nazianzenum, Originem, Basilium, Chrysostomum, Hieronymum*, idem de prædestinatione docuisse, quod deinceps *Cassianus* & *Faustus* defenderint. Parte altera recenset ea, quæ in Ecclesia Catholica occasione doctrinæ de prædestinatione contigere. Tuetur ipsius *Augustini* culpæ tribuendos esse ingentes motus, ob controversias de gratia & prædestinatione in Ecclesia excitatos. Eum enim utique sententiam suam de

p. 1029--1032.

1032–1050

1050–1065.

1165–1094

1105.

prædestinatione nimis duram temperare debuisse. Quam quidem *Augustini* doctrinam ut in invidiam apud suos adducat, *Wiclefum*, *Lutherum*, *Calvinum*, *Jansenium*, ipsam *Augustini* doctrinam de prædestinatione & gratia defendisse, certum exploratumque esse tutatur. Cum hic liber, qui *Launoji* nomen præ se fert, & a Pontifice Romano *Clemente XI* damnatus & ab Archiepiscopo Remensi *D. Carolo Mauritio le Tellier* re-
p. 1094–1105. jectus atque prohibitus sit; Clariss. Editor illius *Damnationem* & hujus *Decretum* sub finem libri exhibet. In illo generatim tantum indicatur, in libro *Launoji* periculi plenas doctrinas contineri; in hoc autem explicatius errores recensentur & sub examen vocantur. Volumen autem hoc alterum & integrum
1105–1112. Tomum primum finit *Epistola Launoji ex Elysio ad Generalem Societatis Jesu Præpositum data.* Hanc Epistolam *Launoji* nomine elaboravit P. *Jacobus Hiacinthus Serry*, Ordinis Prædicat. Doctor Sorbonicus, & in Acad. Patavina Theologus Primarius. *Launojus*, qui hic loquens introducitur, eundo per singulas libri sui de prædestinatione & gratia partes, propugnat; se nihil quicquam docuisse, quod non itidem *Joannes Adamus*, *Joannes Mariana*, *Petrus Halloix*, *Dionysius Petavius*, *Franciscus Annatus*, *Gabriel Vasques*, *Jacobus Sirmondus*, & alii Societatis Jesu Theologi, defenderint. Petit igitur a Præposito Societatis Jesu generali, ut ejus & una suæ societatis causam agat, & autoritate sua eruditos a nimia *Augustini* veneratione abducat.

ΧΡΗΣΤΟΜΑΘΕΙΑΙ.

h. e.

CHRESTOMATHIA GRÆCA, S. LOCI ILlustres, ex optimis Scriptoribus delecti, quam potuit emendate editi, notulis brevibus & indice copioso illustrati a JO. MATTHIA GESNERO. Obiter DEMOSTHENIS Encomion LUCIANEUM transposita una pagina integritati restituitur.

Lipsiæ, apud Jac. Schusterum, 1731, 8.

Plag. 22.

Scri-

SCriptores, quorum loca hic dantur, sunt *Herodotus*, *Thucydides*, *Xenophon* præsertim & *Plutarchus*, inter quos tamen pleraque Characterum *Theophrasti* atque *Aristotelis* interjecta sunt, tum *Sextus Empiricus*, *Lucianus* & *Herodianus*, quorum sola verba Græca exhibentur, numeris in margine positis divisa, notæ autem breves adduntur, quibus aut lectionis ratio redditur, aut obscurum quicquam duobus verbis illustratur. Consilii de versione omittenda ratio talis redditur in Præfatione, „ animadverti, pestem illam capitalem Græcarum literarum esse, quod Græcis libris fere talibus utuntur adolescentuli, quibus Latina interpretatio adjuncta e regione est. Cum igitur interpretari jubentur aliquid, primo verba aliquot Græca legunt, tum his subjiciunt Latina totidem circiter; qua in re tanto facilius non præceptori quidem, nisi is plane hebes sit, sed sibi fucum faciunt, a quo tempore *Leusdenianæ* illæ editiones N. T. Græco-Latinæ scholas inundarunt, verbum verbo reddentes, si non Latino, at certe barbaro; unde illud etiam quasi corollarii loco damni accedit, ut sordes quædam Latini sermonis tanto magis apud eos inolescant, & articuli præsertim præpositivi ratio, quoties ille non nominibus jungitur, ita obscuretur, ut frustra sint luculentissimæ de ea re præceptiones. Huic igitur malo non commodius occurri posse putabam, quam si in manus tradatur pubi scholasticæ liber, illo ignorantiæ propugnaculo (de honore bonarum interpretationum atque usu nihil quicquam detractum cupio) quod ganeum etiam juvenum, qui Græce discere debent, dixeris, destitutus. „ Ne tamen difficultas nimia objici videretur juventuti, adjectus est index ita copiosus, ita usu facilis, & ad hunc ipsum libellum accommodatus, ut prope interpretationis vicem sustinere possit. Hæc de ratione libelli, cujus vel hoc nomine mentio hic omittenda non fuit, quod insignis emendatio proponitur Dialogi, quem *Lucianeum* vocat Autor, forte quod definire non vult, utrum sit *Luciani* Samosatensis, in cujus Operibus est sub nomine encomii *Demosthenis*. Nimirum tribus minimum locis notam corruptionis & mutilationis apposuere adhuc viri docti: primo p. 697 ed. *Grævianæ*,

ubi poſt reſponſionem Archiæ, τὴν γὰρ ψυχὴν αὐτȣ̃, ὦ βασιλεῦ, πρὸς βίαν κατέχειν ἀδύνατον, ſequitur: Οὐ Βοιωτίας ȣ̓δ᾽ ἔνθα τι παρ᾽ ἐμȣ̃ λαβόντες, & reliqua, quæ non poſſunt niſi ex perſona Philippi Macedonis intelligi: deinde ipſa hæc Philippi oratio p. 700 pr. poſt verba: πόρȣς εὑρίσκει, δύναμιν συλλέγει, plane interrumpitur, Antipatro interrogante Archiam, τί δ᾽ ȣ̓ ζῶντα κατειλήφατε, continuaturque diſputatio ad p. 702 med. ubi nova lacuna eſt, cum ſequatur: ἐπιμήκεις ϛόλȣς ἀποπέμπει, συντάττει δυνάμεις, quæ apertiſſime ad Philippi de *Demoſthene* orationem pertinent. Hæc nunc tria ulcera feliciter ſanata ſunt, trajectione ſublata, quæ in Codice facta eſſe debet eo, unde exempla hodierna fluxere omnia. Convenit non tantùm & probat hanc ſanationem reſtitutus ita ordo, & ſublata omnis confuſio, ſed illud præſertim, quod loca ita tranſpoſita eandem, quanta in ſcriptura non ſuperſtitioſa expectari poteſt, habent magnitudinem, unde facile intelligitur, vel duo Codicis minoris folia, vel duas ejusdem folii paginas in majori libro fuiſſe permutatas. Nobis quidem ita evidens videtur, & ita capitalis ea emendatio, ut vel ſolo eo nomine libelli mentionem hic faciendam; eumque juventuti pariter ac eruditis commendandum judicaverimus.

Vollſtändige Griechiſche Grammatick.

hoc eſt,

GRAMMATICA GRÆCA PLENIOR, Methodo Latinæ Grammaticæ Marchicæ conformata. Cum Privil. Boruſſ. & Brandeburg.

Berolini, apud Chriſtoph. Gottlieb Nicolai, 1730, 8.

Alph. 3 pl. 11, Tab. æn. 1.

FRuctus & hic eſt Collegii, in urbe Marchiæ Brandeburgicæ capitali ea cauſa conſtituti, ut libros ſcholis neceſſarios eosque uniformes conſcribat, quæ provincia data eſt Rectoribus Conrectoribusque quatuor Gymnaſiorum in laudata urbe florentium. Ratio, quam ſecutos ſe profitentur, hæc eſt, *ut retinerentur, quæ bona ſunt in aliis Grammaticis, ut adderentur, quæ deerant, ut, quæ parum accurata erant, emendarentur,*

tur, adhibitis ad eam rem Grammaticis antiquis & recentioribus, inprimis autem Scholiaſtis, qui ſæpe laudantur. Plenior autem hæc dicitur Grammatica, cum brevior alia, in tironum uſum conſcripta, jam proſtet, a qua hæc annotationum inprimis copia differt, in quibus multa non pœnitenda occurrunt, neque viris ingrata, quibus quidem totum hoc placet de literis diſputare ac vocibus. Ita de origine literarum & forma, de pronunciatione veteri, de rationibus regularum, de accentuum intimiori ratione, de dialectis, multa paſſim invenies ita accurate diſputata, & ita luculentis Autorum teſtimoniis comprobata, ut neſciamus, an ceteris in hoc genere libris palmam dubiam reddat. Placuit pronunciatio ea, quæ vocales, a Jotaciſtis eodem modo efferri ſolitas, diſtinguit: retentus etiam in doctrina de formatione verborum numerus claſſium VI in verbis barytonis characteriſtica diſtinctarum. Compendia vocum & ſyllabarum, in MSS. etiam frequentia, duabus tabellis æreis inſculpta exhibentur, & una Inſcriptio Sigea, ex *Chisbulli* Opere excerpta, qua confirmantur, quæ de Orthographia dicta fuerant. In Catalago anomalorum diligenter annotata ſunt themata inuſitata temporum, quæ hoc ipſo deſinunt eſſe anomala: quod cum Clariſſ. *Jo. Matth. Gesnerus*, Collega noſter diligentiſſimus, aliquanto accuratius, quam adhuc factum erat, præſtitiſſet in Catalago anomalorum Medullæ vocum N. T. *Mullerianæ* adjecto A. 1724, eum deinde Catalogum Cl. *Reinhardus* Grammaticæ ſuæ inſeruit A. 1727: quod conſilium ſecutus eſt, qui eodem anno Grammaticæ Orphanotrophei Halenſis editionem ſextam curavit. Ad ſpecialiora deſcendere jucundum nobis eſſet, ſed neſcimus, quam pro guſtu ſeculi plerisque Lectoribus gratum.

OBSERVATIO DE ΘΕΟΔΡΟΜΟΙΣ *IGNATII.*

TAm multa jam de *Ignatii* vocabulo θεοδρόμων diſputata ſunt a multis, ut labore illius conſiderandi ſuperſedere poſſe videamur. Sed quando non ea diligentia & circumſpectione uſi videntur, qui plurimum hic deſudandum ſibi putarunt; non

non continuo repellentur, si qui nunc demum suam sententiam dicere velint. Non enim, opinor, tam est spectanda temporis antecessio, quam veritatis studium ac defensio. Et quanquam plurima de aliena *θεοδρόμων* consideratione disserere possumus; brevitatis tamen gratiam propria consectabitur industria.

Primum igitur omnium satis constat, in Epistola *Ignatii* ad *Philadelphenos* Cap. II *θεοδρόμους* Christianos esse. Verba ejus sunt illa: Πολλοὶ γὰρ λύκοι ἔξω πιστοὶ ἡδονῇ κακῇ αἰχμαλωτίζουσιν τοὺς θεοδρόμους, ἀλλ' ἐν τῇ ἑνότητι ὑμῶν οὐχ ἕξουσιν τόπον: *Multi enim lupi specie probi prava voluptate cursores divinos capiunt: sed eis vestra concordia nihil relinquet loci.* Omnino Christiani belle dicuntur *θεοδρόμοι*. Etenim vita eorum & omnis ratio jam multo ante ab ipsis Jesu discipulis hac similitudine significari cœpit. *Philipp. III, 14*, & *2 Tim. IV, 7*. Eandem viam tenuerunt etiam discipuli Apostolorum. Sic enim *Ignatius* Epist. ad *Polycarp.* Cap. I scribit: παρακαλῶ σε ἐν χάριτι ᾗ ἐνδέδυσαι, προσθεῖναι τῷ δρόμῳ σου καὶ πάντας παρακαλεῖν, ἵνα σώζωνται. *Rogo te, qua indutus es, gratia, ut cursum tuum persequare, & omnes ad salutis viam advoces.* Hæc item translatio multas alias veteribus Christianis peperit formulas dicendi. Quorsum refero illam *Ignatii* ad *Ephes.* Cap. *III*: ὅπως συντρέχητε τῇ γνώμῃ τοῦ Θεοῦ, *ut comites sitis menti divinæ.* Ac mox Cap. IV: ὅθεν πρέπει ὑμῖν συντρέχειν τῇ τοῦ ἐπισκόπου γνώμῃ. *Quare decet vos eundem, quem Episcopus, cursum tenere.* Sed hæc quidem controversiam non habent.

Omnis controversia in Cap. VII Epistolæ ad *Polycarpum* versatur. Verba repræsentabo: Ἐπεὶ δὲ ἡ ἐκκλησία ἡ ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας εἰρηνεύει, ὡς ἐδηλώθη μοι, διὰ τὴν προσευχὴν ὑμῶν, κἀγὼ εὐθυμότερος ἐγενόμην ἐν ἀμεριμνίᾳ Θεοῦ, ἐάνπερ διὰ τοῦ παθεῖν Θεοῦ ἐπιτύχω εἰς τὸ εὑρεθῆναί με ἐν τῇ ἀναστάσει ὑμῶν μαθητήν· πρέπει, Πολύκαρπε θεομακαριστότατε, συμβούλιον ἀγαγεῖν θεοπρεπέστατον, καὶ χειροτονῆσαί τινα ὃν ἀγαπητὸν λίαν ἔχετε καὶ ἄοκνον, ὃς δυνήσεται θεοδρόμος καλεῖσθαι, τοῦτον κατ' ἀξιῶσαι ἵνα πορευθεὶς εἰς Συρί-

αν

αν δοξάσῃ ὑμῶν τὴν ἄοκνον ἀγάπην εἰς δόξαν Χριστοῦ. Cum Ecclesia mea Antiochena propter preces vestras, ut audio, pace fruatur, & ego sancta quadam securitate (si quidem per cruciatus mortis Deo potiar, ut in resurrectione mortuorum vester inveniar discipulus,) hilariore jam sim animo; convenit, Polycarpe beatissime & sanctissime, ut sanctissimum cogas Concilium, & quendam apprime dilectum & impigrum, qui θεοδρόμος Dei cursor vocari queat, deligatis, atque rogetis, ut in Syriam profectus impigrum amorem vestrum cum Christi gloria illustret. Hic θεοδρόμος non dicitur *carus ille & impiger*, quia in Syriam erat decursurus; sed quia Christianus, hoc est, spectata probitate ac morum suorum sanctitate carus erat Christianorum cœtui, & ad communia cœtus negotia obeunda paratissimus. Quis enim magis θεοδρόμου nomine dignus est, quam qui omni Christianorum cœtui carus est, & ejus desideria domi ac foris libenter & impigre explet? Hic talis enim Christiani nomen & θεοδρόμου dignitatem officiis, cura, circumspectione, providentia, sustinere cognoscitur. At, inquies, *Ignatius* ait, ὃς δυνήσεται θεοδρόμος καλεῖσθαι. Ergo non esse jam, sed fore θεοδρόμος intelligitur. Fateor ita dubitari posse, si quis Græcæ linguæ sit imperitus. Sed Græce intelligentes id unum significari norunt, quod nostra versio signat. Atque omnibus satis liquet, καλεῖσθαι hic item pro εἶναι poni. Id quod cum in Vetere ac Novo Testamento, tum Atticorum scriptis, tum Latinis libris, creberrimum est & obvium.

Si θεοδρόμος unquam vel tabellarii vel legati nomen fuisset; mirum certe videretur, qui factum tum sit, ut confestim id exolesceret. Sed cur de Christianis subito id usurpari desierit, ratio in promtu est. Christianum enim nomen a Christo magistro petitum magis erat bonis ejus cultoribus proprium, magis vulgo notum, magis præclara illa Christianorum virtute & egregiis facinoribus illustre. *Christianum esse, Christianum dici*, omnibus ornamentis honestius, omni voluptate jucundius ac dulcius, omnibus thesauris pretiosius habebatur ab iis, qui tanti nominis dignitatem considerate appetierant,

Mmm vim

vim ejus experiendo ſenſerant, jacturam ejus unam omnium calamitoſiſſimam metuebant. Adde, quod Chriſtianorum nomen & antiquius erat, & vehementius increbuerat: cum *θεοδρόμων* appellatio inter ipſos Chriſtianos propter novitatem & translationis obſcuritatem inſolentius eſſet.

Ipſæ quoque rationes, quas *Ignatius* affert, ut perſuadeat, aliquem ad Antiochenos mitti, ſatis oſtendunt, non fuiſſe tum in Eccleſiis uſitatum munus hujusmodi tabellariorum. Etenim ad *Epheſ. Cap. VII: χριστιανὸς*, inquit, *ἑαυτοῦ ἐξουσίαν οὐκ ἔχει, ἀλλὰ θεῷ σχολάζει. Chriſtianus in Chriſtianorum poteſtate eſt, ac Deo vacat.* Non ergo finis miſſionis erat, ut Epiſcopi creationi intereſſet aliquis e vicina Eccleſia. Nam ea gloriola quædam fuiſſet, & e civitatum conſuetudine petita. Illis temporibus oneri erat *ἐπισκοπή* & ſancta, ad quam ob tenuitatis propriæ conſcientiam & arrogantiæ fugam nemo pene aſpiraret. Ergo ſplendori nihil dabatur, nihil arrogantiæ & ſuperbiæ. Nam ſplendoris, autoritatis, celebritatis cauſa intereſſe cœpiſſe legatos aut Epiſcopos Epiſcoporum electioni, ex eo ſuſpicari licet, quod conſtitutionibus Apoſtolicis cohoneſtanda fuit viſa res ea. Saltem multum inter poſteriorum & priorum temporum conſuetudinem tanta fuit, quanta maxima fingi poteſt diſtantia. Id quod ex morum diverſitate clarum eſt. Quod ſi Apoſtolica autoritate Epiſcopi Epiſcoporum Electioni interfuiſſent; *Ignatius* ad eam rectius & honeſtius provocaſſet. Ultimis quidem, quam primis Apoſtolorum temporibus, Epiſcopi Epiſcoporum creationi commodius intereſſe potuerunt & frequentius.

Altera *Ignatii* ratio de mittendis Antiochiam tabellariis ea eſt, ut caritas *Polycarpi* & ejus Eccleſiæ erga Antiochenam celebraretur. Id enim ipſa, quæ ſupra attulimus, verba ejus teſtantur. Accedit tertia, ut de pace gratularentur, quam Deus Antiochenis reddiderat. Iter erat Smyrna Antiochiam longius. Quo magis caritas Smyrnæorum erga Antiochenos ex itinere illo apparebat. Ac tranquillitas Antiochiæ poſtulabat utique ab Epiſcopo curioſo, ut eam gratularetur ſuis. Requirebat is igitur ſapienter nuncium & interpretem & ſui & Smyr-

næo-

næorum amoris hominem gratiofum, adamatum, liberalem & faciem, qui his virtutibus fuis & moribus & ftudiis condiret quafi legationem fuam. Plerique enim homines ad profundendam gratiam, quam ad colligendam, funt accomodatiores. Hos tales & tam ineptos in tali officio devitare, non exiguæ erat fapientiæ. Hæc, quæ dico, etiam ex *Ignatii* Epiftola ad *Smyrnæos* C. XI elucent. Πρέπει, inquit, εἰς τιμὴν Θεοῦ χειροτονῆσαι τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν θεοπρεσβευτὴν εἰς τὸ γενόμενον ἕως Συρίας συγχαρῆναι αὐτοῖς, ὅτι εἰρηνεύουσιν καὶ ἀπέλαβον τὸ ἴδιον μέγεθος καὶ ἀπεκατεστάθη αὐτοῖς τὸ ἴδιον σωμάτιον. Ἐφάνη μοι ἄξιον πρᾶγμα πέμψαι τινὰ τῶν ὑμετέρων μετ᾽ ἐπιστολῆς, ἵνα συνδοξάσῃ τὴν κατὰ Θεὸν αὐτοῖς γενομένην εὐδίαν καὶ ὅτι λιμένος ἤδη ἐτύγχανεν τῇ προσευχῇ ὑμῶν. *Convenit honorandi Dei caufa, ut Ecclefia veftra deligat legatum fanctum, qui in Syriam usque de ifto eventu gratuletur, quia tranquillitatem recuperarunt & propriam magnitudinem & corpufculum proprium. Mihi quidem res hæc digna eft vifa, propter quam veftrorum quispiam cum epiftola mittatur, ut tranquillitatem, quæ a Deo iis contigit, & portum, quem precibus veftris tenent, concelebret.* In hoc fermone etiam illud ad judicandum infigne eft, quod de *reparata magnitudine & corpufculo* memoratur. *Corpufculum* videtur cœtus effe Chriftianorum, qui propter Imperatoris ac Præfidis Romani vexationem dilapfi, & poft eam repreffam ac fedatam reverfi fuerant. Corporis autem hujus Chriftiani caput temporaneum & quafi fubdititium (fi loqui fic licet, nam Chriftus unus eft verum & germanum ac perpetuum Ecclefiarum univerfarum caput,) fuerat Epifcopus *Ignatius*, quo demto, magnitudini corporis quiddam deerat. Juftam autem magnitudinem eum corpori Chriftianorum Antiochenorum redditam effe, fcribit *Ignatius*; novus jam Epifcopus creatus intelligitur. Ergo ad diligendum eum θεοπρεσβευτὴς ille Smyrna proficifci non poterat. Omnino nullum usquam veftigium finis illius, ut quispiam electioni Epifcopi Antiocheni intereffet, annotari poteft in Epiftolis *Ignatii*.

Nequicquam igitur de θεοδρόμοις difputatur, quicquid in

mentem venerit quibusdam. θεοδρόμοι sunt Christiani, non quatenus ad externas Ecclesias mittuntur, sed quod ab angusta illa via, quam Jesus *Matth. VII, 14*, memorat, ne latum quidem unguem decedunt, recta & strenue ad cœlestem patriam decurrentes. Frustra igitur quæritur, tabellarii, an nuncii, an legati fuerint. Sic a Theologis non quæritur, utrum Apostoli emtores parum, an apparatores Paschæ, an comites Christi, an vicarii doctores Evangelii, an piscatores fuerint? Sed quæritur, num discipuli Jesu, qui iidem Apostoli vocari cœperant, a Jesu ad emendos panes, ad apparandam Pascham, ad docendum Evangelium, interdum etiam ad piscandum adhibiti sint. Pariter ergo hic etiam, circumscriptis quæstionibus aliis de officiis & muniis Christianorum, quæ multa & varia fuerunt, simpliciter quærendum est, utrum ii Christiani, qui ab Ecclesiis Asiæ ad Antiochenos Orontis accolas mittendi essent, tabellarii fuerint, an legati? Verum hæc quæstio non habebat dubitationem. *Ignatius* ad *Philadelph. Cap. X* ita scribit: *πρέπον ἐςὶν ὑμῖν ὡς ἐκκλησίᾳ Θεοῦ, χειροτονῆσαι διάκονον εἰς τὸ πρεσβεῦσαι ἐκεῖ Θεοῦ πρεσβείαν.* Quæ legatio nec contemtissima fuit, nec honoratissima. Sumtuosa tamen in tanto itinere. Quare confestim laudibus eam commendabilem efficere conatur. Imo *Polycarpus* ipse legationem obire dubitat Cap. XIII Epist. ad *Philipp.* Ἐγράψατέ μοι, inquit, καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, ἵνα ἐάν τις ἀπέρχηται εἰς Συρίαν, καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ἀποκομίσῃ γράμματα· ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν εὔθετον, εἴτε ἐγὼ εἴτε ὃν πέμψω πρεσβεύοντα, καὶ περὶ ὑμῶν. *Scripsistis ad me & vos & Ignatius, ut, si quis in Syriam proficiscatur, etiam vestras literas deferat. Quod faciam, opportunum tempus nactus, vel ego, vel quem legatum misero, etiam pro vobis.* Temporis hic opportunitatem expectat *Polycarpus*. Si ad Episcopi novi electionem abiturus fuisset, utrum sic secum addubitasset? Maturari electio illa debebat, quod capite & doctore, & monitore, & consolatore, & castigatore, & hortatore, & tutore, nulla diutius Ecclesia carere potest. Maturitatem igitur profectionis postulabat tempus illud, & dubitandi moram excludebat. Rursus igitur dilucide apparet, *Polycarpo* haudquaquam propositam fuisse curam spectandi & hone-

honestandi electionem Episcopi, bono *Ignatio* successuri. Satis grave & honestum & utile, imo necessarium munus erat legati ejusmodi, ut afflictam Ecclesiam consolaretur, miserorum rationibus consuleret, auxilium & opem polliceretur, constantiam suaderet, malis ingruentibus aut ingravescentibus mederetur. Quod ipsum aut conatos esse, aut etiam effecisse, suspicor, Episcopos illos, quos jam Antiochiam confluxisse *Ignatius* praedicat *Philadelphensibus Cap.* X. Neque vero illud, quod πεζοὺς mitti vult *Ignatius* Epist. ad *Polycarp. Cap.* VIII, quicquam causae huic officit. Nam olim vel potentissimarum civitatum legati pedibus longinqua itinera emetiebantur, servis, qui munera & vestes legatorum ferrent, comitibus. Possim *Demosthenis* exemplum afferre, si necesse foret. Sed redeo ad legatos illos *Ignatii*. Ii, pro modestia, quae Christianos cumprimis decet, pauperiorum Ecclesiarum Epistolas ad Antiochenos simul perferebant, si in transitu eas Ecclesiae ipsis dedissent perferendas. Erant igitur hactenus etiam tabellarii.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE de France & de Bourgogne &c.

h. e.

COMMENTARII HISTORIAE GALLIAE & Burgundiae inservientes, qui complectuntur Diarium Parisiense rerum sub Regibus Carolo VI & Carolo VII gestarum; Historiam caedis Johannis Ducis Burgundiae; & alia plura.

Parisiis, apud Jul. Mich. Gandovin & P. F. Giffart, 1729, 4.

Alph. 4.

VAria complectitur hoc Opus, duobus Tomis divisum, quae ad Historiam Galliae & Burgundiae oppido necessaria videntur. Comparet hic primo loco Diarium Parisiense, quod a Patavio, Consiliario Parliamenti, Christina quondam, Regina Sueciae, comparaverat, in Vaticanam postea translatum, unde jam denique prodit. Equidem jam ante excerpta e Codice fecerat *Claudius Puteanus*, Consil. Parliam. quae filius ejus,

Jacobus, communicaverat *Dionysio Gothofredo*, qui omnino digna putavit, quæ *Jo. Juvenalis de Ursinis* Historiæ Caroli VI inter alia adderet, quamvis excitarit eo potius sitim Diarii ipsius, quam explerit. Etsi vero Cl. Editor, de quo nihil discimus ex Opere, nisi quod ei fuerit immortuus, judicet vel ex iis, quæ *Puteanus* excerpserat, Codicem eorum, quæ ab A. 1405 usque ad Sept. A. 1408 gesta sunt Parisiis, jacturam passum; omnino tamen communicanda duxit, quæ ab A. 1408 ad 1449 deducuntur, tanto gratiora omnibus futura, quanto dilucidius Autor primus in rebus posterioribus, quam prioribus, versatur. Noster enim utique duos Diarii Autores exstitisse existimat, quorum alter ad A. 1431 progrediatur, alter cetera paulo brevius addat. Cum vero nihil memorabile in hoc Diario occurrat de cæde Johannis intrepidi, Ducis Burgundiæ, e re lectorum putavit Clar. Editor, de hac cæde diligentius commentari, et, quæ magna felicitate collegerat, Acta publica, Tractatum illum attinentia, subjicere, quæ est altera Pars Tomi I. Quo finito, ad Tomum II pergit, in quo exhibetur Status officialium & domesticorum Philippi Audacis, Ducis Burgundiæ & aliorum Burgundiæ Ducum, e MSto Codice una cum notis lectu dignis descriptus, quem postquam excepit Epitaphium Caroli Audacis, Burgundi, Latino carmine expressum, sequuntur demum Indices satis prolixi, & inprimis Indiculus vocum obsoletarum Gallicarum, in toto Opere occurrentium, quibus recentiores voces additæ sunt. Speciminibus ex Opere non novo, licet nunc demum edito, afferendis supersedemus.

HISTOIRE DE GENEVE PAR MR. SPON, rectifiée & augmentée par d'amples Notes &c.

h. e.

JAC. SPONII HISTORIA GENEVENSIS, emendata & aucta Notis amplissimis, una cum Actis publicis & aliis rebus, quæ inserviunt huic Historiæ.

Tomi II.

Tomi II.

Genevæ, apud Fabri & Barillot, 1730, 4.
Alph. 5 pl. 21½ Tabb. æn. 12 & major. 3.

ETsi sub ipsis ferme initiis Actorum nostrorum *Sponiana* Historia ter prodierit, atque adeo jam omnium fere manibus per quinquaginta fere annos feratur, ut de ea quicquam hoc loco dicere supersedeamus; ita tamen nova hæc Editio comparata est, ut eam plane indictam dimittere nequeamus. Nam cum antea modico Volumine in forma 12 prodierit liber, nunc multo copiosior, duobus quippe Tomis in 4, multisque figuris illustratus, incertum, quo Editore, exstat, ut mirari satis non possis, unde tot Supplementa, tanta cura collecta, dari potuerint. Certe novo Editori scripturæ arcanæ & archiva urbis omnia patuere; unde factum, ut additis Notis sæpius Autorem emendaret, illustraret atque augeret, & repetitis Bullis Pontificum ac documentis publicis totam ferme alteram Partem compleret, nec pauca in ea, quæ ad antiquitates melius illustrandas faciunt, adderet. Plura his in Notis reperias, quæ *Bolsecium*, *Servetum*, *Gentilem*, *Alciatum*, *Nic. Antonium*, aliosque Genevæ condemnatos, spectant, aliter paulo, quam a *Sponio* factum fuerat, explicata, quippe publicis Actis munita, quanquam in rebus, quæ ad religionem spectant, judicium nunquam interponat novus Editor. Tomo II, post Acta publica LXXV & sigilla passim appensa LIX, quæ & æri imprimuntur X Tabulis, reliquæ antiquitates maxime considerantur. Hinc enim p. 289 legitur Dissertatio de loco prope Genevam, quo lineæ ducebantur a Julio Cæsare ad iter Helvetiis præcludendum, & altera p. 300 de Colonia equestri. Tum vero post Clar. *Sponii* Inscriptiones, tum veteres, tum modernas, ab ipso Genevæ repertas, & prioribus quoque Editionibus additas, sequuntur p. 371 aliæ veteres, post *Sponium* demum ibidem detectæ, & has excipiunt Dissertationes aliquot, quarum prima titulum habet: *Firmini Abauzit*, Bibliothecarii Reip. Genev. Diss. de nonnullis Inscriptionibus antiquis, de quibus paullo ante dictum; secunda: Genevenses Provinciales; tertia: Lacus dono dati a *Julio Broccho*; quæ cum singulæ Latino idio-

idiomate scriptæ sint eodem fere ingenii acumine, eundem Autorem habere videntur. Demum, post alia quædam antiquiora, agmen claudunt Observationes nonnullæ in Historiam navalem Lacus Genevensis & vicinarum urbium, a *J. C. Fatio de Duiller* factæ, quibus accessit Charta major, Lacum ac territorium Genevense repræsentans; ut taceamus Tabulas illas duas majores, quibus utraque civitatis Genevensis facies, meridionalis & septentrionalis, exactissime depingitur.

IN DISSERTATIONEM ITALIÆ MEDII ævi Censuræ tres, Viterbiensis, Veneta & Brixiana, cum Responsis tribus pro Anonymo Mediolanensi &c. Palatinis Sociis accurantibus.

Mediolani, ex ædibus Societatis Palatinæ, 1729, 4.
Alph. 1 pl. 16.

RErum Italicarum Scriptores, a Viro Cl. *Ludovico Antonio Muratorio* collectos, cum Palatini Socii evulgare animum induxissent, id maxime sibi curandum putarunt, quod omnes docti probant; Tabulas nimirum Geographicas Italiæ Scriptoribus ejusdem regionis esse præfigendas: & quidem, sæpe mutata Italiæ imagine, Collectioni suæ, quæ mille annorum tempora percurrit, non unam satis futuram, sed, triplicem componendam esse, statim cognoverunt. Erat tum inter Mediolanenses Vir, cujus nomen data opera celatur, literis exercitatissimus, qui, sicuti consilium de Italicis scriptoribus cum Tabulis Geographicis Italiæ edendis maxime probaverat, sæpiusque verbo & epistolis solicitaverat Socios ad capessendam operam, ita ab his argumentorum suorum retorsione & propriæ eloquentiæ stimulis adactus est, ut arduum & a nemine adhuc tentatum opus ipse aggrederetur. Manum itaque describendæ Tabulæ secundæ, sive medii ævi, confestim apposuit, evolutisque vetustioribus eorum temporum monumentis, brevi durum opus consummavit: Tabulæ deinceps, per Graphicorum operam exscriptæ, addidit Dissertationem, ad adstruendam Operi fidem, quam *Rerum Italicarum Tomo X* Palatini Socii, cum ipsa tabula, ediderunt.

Offen-

Offendit hæc Differtatio & tabula Geographica *Cenfores* tres, unum *Viterbienfem*, *Venetum* alterum, tertium *Brixianum*, quorum Cenfuræ, cum Refponfionibus *Anonymi Mediolanenfis*, Differtationis modo memoratæ Autoris, hic in publicam lucem prodeunt, feu verius in jus producuntur. Veretur autem, neque, ut videtur, injuria, *Philippus Argelatus*, Bononienfis, qui brevem Prologum libro noftro præfixit, ne jam ante a caufa decidat Cenfor Viterbienfis, *Francifcus Marianus*, quam pro *Annio* fuo ceterisque fabulatoribus, fenatui & univerfo literatorum populo invifis atque profcriptis, dicere incipiat. Rara fcilicet funt & inaudita, quæ ille pro defendendis *Viterbienfibus* fuis, præfertim *Annio*, profert, quem ftatim §. 1 *rem nullam finxiffe* oftendere fatagit; §. 5 autem exclamat: *O Annii eruditionem admirabilem! O Antiquarium veraciffimum!* tum etiam ob etyma, a fe folo detecta, fatis indulgenter fibi decernit triumphum. Sic §. 8, *fe eruiffe*, inquit, *gentis fuæ originem, ab omnibus ignoratam, & Viterbi, feu Bet-Terbi, Synonymiam prorfus incognitam atque inopinatam.* §. 9, *Etrufcos*, tefte *Servio*, dictos fuiffe, ait, *Eturos*, hocque nomen magna confidentia ab *Atur* i. e. *Affur*, mutato ש in ת, deducit. Addit §. 10, Aturi fratrem fuiffe *Lud*, a quo *Lydi*, quorum Colonos Etrufcos effe teftetur *Hieronymus*. Tandem §. 11, Affur, quem & *Thuram*, *Turrbenum*, *Turrebum* & *Terbum* (unde *Bet-Terbon*, feu *Viterbium*) cognominatum fuiffe, dicit, Coloniam in Tufcia fundaffe, ex SS. Bibliis fe demonftrare poffe, jactitat. De hifce omnibus fententiam ferre, noftrum non eft; fed, quam dignis modis excipiantur ab *Anonymo*, Lectori ut conftet, exempli caufa, adducamus refponfionem unicam, ad ultimum fcilicet *Mariani* commentum, de Colonia Affuris in Italia: *Et tua*, inquit Mediolanenfis Anonymus pag. 25, *erronea quoque crefcit oratio, cum inquis, Affur veniffe in Tufciam, & hoc ex Bibliis: minus improbe diceres ex Alcorano. Non: me corrigo. Nam modo recordor, quod Noemum, maledicta & exficcata vinea, ex cujus vino fuerat inebriatus, Annius tuus Viterbienfis ex Armenia ducere voluit in Tufciam: ei promittens, quod circa*

 locum

locum Vulsinum, ubi mons Phiscon, vulgo Mons Flasconus, plantata vinea, vinum apianum, vulgo muscatellum, ibi nasciturum, caput minime laedens bibisset. Laetus Noemus, nactusque bonum eventum, Annio gratias agens, cuncta per literas nepoti Assur nunciavit, qui, relictis omnibus, ut & ipse muscatellum gustaret, a Mesopotamia advolavit in Tusciam. Cum me nil aliud doceas, rem ita contigisse decerno &c. In reliquis, quae de *Desiderii Decreto*, de *Itinere Antonini*, aliisque nonnullis minoris momenti rebus, in medium affert *Franciscus Marianus*, ubique sibi est similis: sed nec dissimilis est sibi *Anonymus* noster in Responsis suis, omnia argumenta Censoris, ex libro suo de *Etruria Metropoli*, quem mense Augusto praesentis anni in haec Acta retulimus, curiose conquisita & huc congesta, contemtu risuque continuo explodens.

Moderatius rem agit Noster cum reliquis duobu Censoribus suis, Veneto & Brixiensi, itidem, ut ipse, Anonymis; sive quod Geographiae & rei Diplomaticae peritiores ab eo sunt habiti, sive quod minus dictatorie censuram exercent, quam Viterbiensis. Et cum *Veneto* quidem lis Nostro est haud maximi momenti; de vera nempe denominatione situque duorum oppidorum Italiae, *Ascolo* & *Bassano*: at haec controversia, quantulacunque est, magno utrinque eruditionis antiquariae apparatu est adornata.

Censura tertia, sive Brixiana, ceteras & mole & materiae gravitate longe superat. Quaestio enim agitur *de tribus Diplomatibus*, quae Brixiae asservantur in Archivo Regii Monasterii sacrarum Virginum Sanctae Juliae, quorum duo priora a *Lothario I* Imperatore, tertium vero ab *Adalchiso*, Desiderii, Longobardorum Regis ultimi, filio, profecta esse dicuntur. Haec Diplomata falsa judicavit in Dissertatione sua *Anonymus Mediolanensis*, defendit hic, tanquam verissima, *Censor Brixiensis*, hujusque defensioni nova dubia & fortiora prior objicit. Nimis longum & abs more nostro alienum foret, doctissima argumenta, hinc & inde prolata, referre: horum sciendi cupidos potius ad ipsum librum ablegamus, ubi non sine voluptate legent & disputationem Anonymorum & diversas

Dis-

Dissertationes, Appendices atque Mantissas, eidem insertas, sive adjectas; inprimis autem *Historiam Belli Diplomatici*, quæ sola 140 paginas complet, magnamque Autoris eruditionem abunde prodit. Illud autem Lectores nostros latere nolumus, primam Censuram, nempe *Mariani* Viterbiensis, cum Responsis Anonymi Mediolanensis ad eandem, tantum *Latino* sermone, reliqua omnia *Italico* idiomate esse conscripta.

AMOENITATES LITERARIÆ, QUIBUS variæ Observationes, Scripta item quædam anecdota & rariora Opuscula, exhibentur.

Tomus XII, XIII & XIV.

Lipsiæ & Francof. apud Dan. Bartholomæi & filium, 1731, 8. Alph. 2 pl. 17.

Sicuti Aristodemus quondam indigno vultu victoriam nunciasse fertur; ita nos fere, non sine animi quadam molestia contractaque fronte, nosmet jam accingimus ad recensendos Tomos hosce *Amœnitatum* Cl. *Schelbornii:* non quod ceteris ullo modo inferiores, minusve suaves, sed quod sunt ultimi & Opus, magno reipublicæ literariæ plausu hactenus exceptum, mature nimis coronant.

Exhibet autem Tomus XII loco *primo Joannis Jacobi Zimmermanni Vindicias Dissertationis de Atheismo Platonis*, quam Tomo IX harum *Amœnitatum* inseruit Cl. Editor, *contra ea, quæ Gundlingianorum Part. XLIII & LXIV peracerbe monita sunt*, non minori modestia, quam eruditione & ἀκριβείᾳ, elaboratas: sed exhibet tantum partem earundem primam, altera sequenti Tomo reservata. Has sequitur *Memoria M. Joannis Schmidii, Theologi cœci*, natione Suevi, patria Nordlingensis, cujus vita, variis casibus agitata feliciorque, ut videtur, futura, nisi cœcus cœciori fortunæ nimis avide inhiasset, scite atque concinne satis enarratur. Excipit hanc *Joannis Georgii Frickii*, Poes. Prof. Publ. in Gymnas. Ulmens. de *Joanne Morono*, S. R. E. *Cardinali*, Articulisque, quibus ab Inquisitionis Officio jussu *Pauli IV* olim tanquam Luthera-

p. 369.

537.

nismi suspectus & in vinculis detentus, accusabatur, *Observatio.*
p.587. Succedit, loco *quarto, Joannis Giphanii*, *Huberti Filii*, *ad*
Christianissimum Galliarum Regem humillima Supplicatio pro
Impressorio, cum *Indice* librorum divulgandorum, quos *Hu-*
bertus Giphanius, magni nominis JCtus atque Philologus, in-
592. editos reliquit, ex Bibliotheca Uffenbachiana; *quinto* autem,
Historia Dialogorum Cœlii Secundi Curionis de Amplitudine
beati Regni Dei, super quibus a *Petro Paulo Vergerio*, Epi-
scopo antea Justinopolitano, tum vero Protestantium partibus
adscripto, autori lis mota fuit, quasi gentilibus & fidem & sa-
lutem, sine cognitione Jesu Christi, tribuisset. Agmen deni-
628. que claudunt *Epistolæ ineditæ* novem; 1) *Melanchthonis* ad
Academiam Tubingensem; 2) *Ejusdem* ad *Leonhartum Fuch-*
sium; 3) *Portneri* ad *Kœnigsmannum*; 4) *Speneri* ad *Spize-*
lium, ad quem & reliquæ quinque, ab *Oleario*, *Gronovio*, *Fa-*
bricio, & ab hoc quidem duæ, tandem & *Scriverio*, perscriptæ
sunt.

1. Tomo XIII continetur I *Elogium* illustris nobilisque Vi-
ri, *Lucæ Schrœckii*, Augustani, Medicinæ Doctoris, Medici
Cæsarei, Academiæ Imperialis Naturæ Curiosorum Præsidis,
reliqua, a *Jacobo Bruckero* multo studio concinnatum. II
48. *Jacobi Zimmermanni Vindiciarum* Exercitationis suæ de A-
197. theismo *Platonis Pars altera.* III Cl. *Schelhornii* Sche-
diasma Historico-Literarium *de eximiis Suevorum in Litera-*
turam Orientalem meritis, quo, quicquid Fridericus II Impe-
rator, *Joannes Reuchlinus*, *Jo. Borchensteinius*, *Jo. Forsterus*,
Petrus Buffferus, *Jo. Spechtius* & *Matthæus Hillerus*, in pro-
movendo & excolendo *Græcæ*, *Hebraicæ* & *Chaldaicæ* linguæ
studio, *Syriacæ* autem *Jo. Albertus Widmanstadius*, tum
Arabicæ, *Wilhelmus Schikardus*, *Georg. Hieronymus Welschius*
& *Matthias Fridericus Beckius*, porro *Turcicæ*, *Hieronymus*
Megiserus, denique & *Æthiopicæ*, *Georgius Weiganmejerus*,
Suevi omnes, laude memoriaque dignum contulerunt, & ope-
rose & docte & amœne, uti solet, Cl. Autor percensuit. IV
265. *Thomæ Mezleri*, Benedictini olim Zwifaltensis, *Epistola De-*
dicatoria, quam præfixit libris de Imitatione Christi, abs se

A. 1645 elegiace versis, qua evincere enititur, libros istos neque *Thomæ* Kempensis, neque *Bernhardi* Sequani, neque *Gersonis* Lutetiensis, sed, nescio cujus, *Joannis Gersen de Canabaco*, Abbatis Vercelensis, fœtum esse: qua in re tamen falli hominem, & *Gersenem* ejus a *Gersone Lutetiano* ne hilo quidem differre, docent Σημειώσεις *Historico-Criticæ*, Epistolæ huic subjectæ. V Comparet rivosque claudit Πέντας *Epistolarum*, p. 278.
de re maxime literaria, quas *Franciscus Renatus Masuet*, San-Germanensis Monachus & Presbyter Benedictinus Parisiis, ad Reverendum ac Cl. Dominum P. *Bernhardum Pez*, Benedictinum & Bibliothecarium Mellicensem, exaravit, non pauca lectu scituque digna continentium.

Tomo XIV & ultimo, *primo* loco sistitur *Oratio Pane-* 325.
gyrica de *Cœlii Secundi Curionis* Vita atque Obitu, habita Basileæ A. 1570 a *Johanne Nicolao Stupano*, rerum apprime memorabilium copia refertissima. II *Vita Joannis Homelii*, 403.
Memmingensis, eximii quondam Academiæ Lipsiensis Mathematici, seculi sui Euclidis, quam, cum rerum pondus, quas continet, tum scriptionis nitor, quo a Cl. Autore suo ornata est, dignissimam reddit, quæ studiose legatur. III *Angeli Seal-* 468.
teli ad Romanos Judices, pro *Ambrosio de Gumpenberg*, contra *Joannem Albertum Widmestadium*, Orationum *Actio* prima, libellus pæne famosus, sed ob summam raritatem recusus.
IV *Epistolæ* septem *inedita*, a *Forstnero, Spizelio, Carpzovio* & 501.
Arnoldo exaratæ. Subjiciuntur his V quædam *Joannis Bux-* 587 & 603.
torffii, *Filii*, ad *Theophilum Spizelium* Epistolæ, & tandem VI *Electa Epistolica*, ex autographis Epistolarum ad *Spizelium*, Theologum quondam Augustanum Celeb. decerpta; atque his finiuntur *Amœnitates Literariæ Schelhorniana*;

Quamvis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.

Nos *Viro Cl.* de exantlato hoc labore impense gratulamur, utque nec in posterum rei literariæ deesse velit, publico nomine rogamus.

COSMOLOGIA GENERALIS, METHODO scientifica pertractata, qua ad solidam, inprimis Dei atque Naturæ, cognitionem via sternitur. Autore CHRISTIANO WOLFIO, Potent. Suec. Regis, Hassiæ Landgravii, Consiliario Aulico, Mathem. ac Phil. in Acad. Marburgensi Professore Primario, Profess. Petropolitano honorario, Societat. Reg. Britannicæ atque Borussicæ Sodali.

Francofurti & Lipsiæ, in officina libraria Rengeriana, 1731, 4. Alph. 2 pl. 13, Tab. æn. 1.

Cosmologiam generalem, quod inauditum hactenus in scholis Metaphysicorum nomen est, cur partem secundam Metaphysicæ Cel. Autor fecerit, ex titulo colligi potest, nimirum quod principia demonstrandi suppeditet Theologiæ naturali, nonnulla etiam Psychologiæ rationali, ac præterea insignem in Philosophia naturali habeat usum, cum ibidem præcaveat notiones chimericas, suppeditet autem directrices in causis phænomenorum investigandis. Intelligit per Cosmologiam generalem scientiam mundi seu universi in genere, quatenus scilicet ens idque compositum atque modificabile est, & totam tractationem dividit in tres Sectiones. Sectione prima notionem mundi seu universi evolvit. Eum in finem primo loco nexum rerum operose satis evolvit, cum sine eo mundus in genere concipi minime possit: id quod tanto magis necessarium ipsi videbatur, quod paucissimi intelligant, quid nexus rerum sibi velit, ac ideo dentur plurimi, qui eum cum fatali necessitate confundunt, a qua tamen magis eum differre affirmat Autor, quam a trunco arboris differt homo; ut adeo confidat, miraturam olim posteritatem, nexum rerum in Philosophiam introducere tanquam principium demonstrandi pro crimine a nonnullis fuisse habitum, sicuti nunc mirari solemus Atheniensium cum crassa ignorantia conjunctam malitiam, qui pro crimine morte & exilio puniendo habebant, si quis, Lunam a Sole illuminari & ab umbra terræ eclipsari, assereret.

reret. Dicuntur autem in sensu Cel. Autoris inter se connecti ea, quorum unum continet rationem sufficientem coexistentiæ vel successionis alterius, atque ideo tam in coexistentibus, quam successivis semper quidpiam datur, per quod intelligitur, cur coexistant, vel unum alterum sequatur. Plura de hoc nexu demonstrantur theoremata, quæ inter etiam hæc reperies, quod nexus rerum successivarum consistat in dependentia effectus a causa efficiente & in genere in dependentia causati a causa; quod causa cum causato connectatur per rationes finales, si agens intelligens causam ideo producit, ut existat vel existere possit causatum, ut adeo causa & causatum duplici modo inter se connecti possint, tum per causalitatem, tum per rationes finales; quod, si duæ fuerint substantiæ A & B, & in earum una contingant mutationes, quarum ratio reddi potest ex mutationibus in altera B contingentibus, altera tamen B non sit causa mutationum in A, substantiæ istæ connectantur, quatenus coexistunt; quod, si in A & B contineatur ratio continuitatis temporis, quo quædam mutationes in utraque contingunt, ex mutationibus, quæ in una B contingunt, reddi possit ratio, cur jam mutationes aliæ contingant in altera; quod, si præterea mutationes in A & B sint similes, ex mutationibus, quæ in una B contingunt, ratio quoque reddi possit, cur tales jam in altera A mutationes contingere debeant. Ostendit deinde, quomodo entia finita inter se connectantur, ut inde prodeat universum aliquod sive mundus. Unde mundum seu universum in genere definit per seriem entium finitorum tam simultaneorum, quam successivorum inter se connexorum, & hanc definitionem mundo, qui existit, adspectabili convenire demonstrat. Expendit deinde essentiam mundi, in genere spectati, ac pendentia inde ejusdem attributa. Essentiam mundi consistere demonstrat in modo, quo res finitæ datæ, non aliæ inter se connectuntur. Et hinc deducit, mundum esse unum, esse aliquod totum, sive coexistentia, sive successiva spectes, esse ens compositum; rationem eorum, quæ mundo conveniunt, in qualitatibus entium simultaneorum & successivorum & modo, quo inter se connectuntur,

quæ-

quærendam esse. Ut porro doceret, quo sensu mundus machina dicatur, machinam definit per ens compositum, cujus mutationes modo compositionis convenienter beneficio motus consequuntur, atque ostendit, eam esse a notione speciali machinarum artificialium abstractam & viris intelligentibus probatam. Hinc porro ostendit, de rebus in mundo adspectabili existentibus mechanice philosophari, qui mutationes, quæ ipsis accidunt, ex earum structuris, texturis & mixtionibus secundum regulas motus intelligibili modo explicat. Demonstrat porro, dari in mundo ordinem, dari veritatem transscendentalem, quæ Logicæ fons sit; successiva in mundo esse contingentia, ita ut mundus in se contingentium seriem multiplicem contineat; entis compositi contingentis in mundo existentiam ejusdemque modos determinari per integrum mundum, non tamen habere actualitatis suæ rationem sufficientem in serie successivorum, sed in ente alio extra eandem constituto, eoque necessario. Demonstrat etiam, non dari in natura progressum in infinitum rectilineum, neque casum purum. Definit autem casum purum per actualitatem sive existentiam destitutam ratione sufficiente. Inprimis autem ostendit, alios mundos possibiles esse, in quibus ad actum deducerentur possibilia, quæ in præsente actum non consequuntur, &, quæ in mundo, etiam adspectabili, contingunt, hypothetice necessaria esse, nec ob hanc hypotheticam necessitatem desinere esse contingentia. Neque ex ratione sufficiente, neque ex nexu rerum ullam in earum existentiam manare absolutam necessitatem. Veritatem tamen eorum, quæ contingunt, esse determinatam, antequam contingunt, & futuritionem eorundem esse certam. Hæc & alia plurima, quæ de mundo demonstravit, horologio automato illustrat, ostendens, tertium comparationis non esse modum agendi necessarium in oppositione ad libertatem hominis expensum, sed horologium illustrandæ contingentiæ & eidem cohærendi necessitati hypotheticæ, quatenus enti cuidam communi cum mundo substat, quod machina dicitur, & utrumque ens contingenter existit, ac seriem continuam successivorum contingentium in se continet inservire. A mundo

mundo digreditur Autor ad corpora, ex quibus componitur, & primo loco essentiam & naturam corporum explicat. Postquam igitur ad corpora applicavit, quæ de ente composito in genere demonstravit in Ontologia, ad vim tam passivam sive inertiæ, quam activam sive motricem, stabiliendam digreditur. Ostendit, per extensionem, vim inertiæ, & vim activam, omnes corporum mutationes explicari posse. Extensionem cum vi inertiæ ad materiam refert: vim motricem cum agendi patiendique potentia naturam a veteribus appellari, quæ adeo definiatur per principium actionum & passionum corporis & in genere per principium actionum & passionum entis internum. Materiam modificari per figuræ variationem, vim motricem per variationem celeritatis, quæ in continuo conatu mutandi locum consistat. Celeritatem determinatam dari quidem posse per spatium & tempus, sed per se non intelligi. Per directionem statum vis activæ externum determinari. Vim non minus motricem, quam materiam, instar substantiæ, hoc est, entis perdurabilis & modificabilis concipi debere, neque in motu quicquam reale existere nisi conatum, qui semper adsit, sive mutatio loci actu sequatur, sive aliunde impediatur. Ut ergo intelligatur, quomodo extensio & vis activa, quæ instar duarum substantiarum diversarum spectandæ veniunt, in eodem corpore locum habeant; in elementa corporum & horum ex illis ortum inquirit. Demonstrat autem, vera corporum elementa esse substantias simplices, & corpora esse eorundem aggregata. Ad corporum igitur elementa transfert, quæ de substantiis simplicibus in genere in Ontologia demonstrata sunt. Demonstrat tamen etiam alia hisce simplicibus propria, veluti quod eadem sint elementa, si composita eadem sint, diversa autem, si hæc diversa sint; quod singula singulis dissimilia sint; quod singulis insit vis, per quam status internus continuo mutatur, ea quidem lege, ut præsens rationem contineat sequentis; quod unumquodque elementum contineat seriem mutationum, quæ diversa est a serie alterius cujuscunque; quod quovis momento status unius elementi differat a statu elementi alterius cujuscunque; quod mutationum

omnium, quæ in uno elemento contingunt, ratio reddi possit ex mutationibus, quæ in altero contingunt; quod mutationes omnium inter se & omnes in eodem elemento connexæ sint; quod status quilibet elementi relationem involvat ad omnia composita coexistentia,& quæ successive extiterunt,& quæ sunt hujusmodi plura. Distinguuntur igitur hæc elementa a punctis Zenonicis, quæ singula singulis similia & inertia sunt. Atque inde ostendit, ex punctis Zenonicis non posse oriri extensum; oriri autem extensum ex substantiis simplicibus. Hinc porro deducit, extensionem pariter & continuitatem eodem sensu phænomena esse, quo *Cartesius* colores aliasque qualitates sensibiles phænomena esse demonstravit. Ut autem appareat, unde rationes phænomenorum in Philosophia naturali sint petendæ, corpuscula in primitiva dividit & derivativa, quorum illa rationem compositionis non agnoscunt nisi in elementis, hæc autem in aliis se minoribus, ac inde ostendit, Philosophiam corpuscularem veras phænomenorum specialium rationes afferre, si a vitio, quod est Philosophi, discesseris. Distinguit deinde principia in mechanica & physica,& qualitates corporum in mechanicas & physicas, prouti vel per illa, vel per hæc explicabilia sunt. Addit his qualitates ex utrisque mixtas, &,quales corpusculis conveniant,docet. Ex illis autem porro demonstrat, in Philosophia naturali citra errandi periculum ignorari posse,qualia sint rerum materialium elementa, & utrum atomi materiales dentur, nec ne. Progreditur hinc ad corpusculorum compositionem explicandam, ubi,dissimilitudine corpusculorum in universum omnium atque corporum inde ortorum evicta, & præter differentias specificas numericis quoque stabilitis,massas similiores ex rerum natura eliminat, nec nisi apparentes tales admittit. Subjungitur theoria mixtionis generalis,sed ea transscendentalis, quæ notiones directrices & principia demonstrandi in hoc genere prima exhibet. Sequitur genuina theoria de corpore organico & cohæsione corpusculorum explicata; tandem demonstrat, vim quoque motricem ac inertiæ non nisi phænomena esse, perinde ac extensionem, atque docet,cur vis motrix

&

& materia apparere debeant diverſæ ſubſtantiæ. Quoniam vis motrix in corporibus modificatur per certas leges, unde oriuntur regulæ motus in conflictu corporum, a Mathematicis demonſtratæ, & in poſterum adhuc detegendæ; igitur de legibus motus prolixe agit. Hic vero non modo ea, quæ a Mathematicis ſumuntur, demonſtrat, & motuum diverſas ſpecies conſiderat, verum etiam modo facili generales motuum regulas demonſtrat, quod quædam leges motus ab iis facilius abſtrahantur, quam independentes ab iis demonſtrentur, ita, ut ad demonſtrationes intelligendas ſufficiat, noſſe quatuor ſpecies Arithmeticæ communis & calculi literalis. His autem legibus opus habet ad ordinem naturæ demonſtrandum, ut adeo easdem prætermittere non potuerit. Ultimo tandem loco de natura univerſa & perfectione mundi agit Autor. Natura univerſa ipſi eſt aggregatum omnium virium motricium, quæ corporibus in mundo eo exiſtentibus ſimul ſumtis inſunt. Eam inſtar ſubſtantiæ apparere, docet, cum talis non ſit, perinde ac vim corporum particularem. Explicat deinde differentiam, quæ inter naturale & ſupernaturale intercedit, ac, mutationibus naturalibus expenſis, notionem miraculi penitus evolvit. Stabilit intrinſecam miraculi poſſibilitatem; oſtendit, quomodo naturæ totius vires excedant, ſcilicet ſi in ſerie cauſarum naturalium nulla continetur, quæ dato tempore datoque loco effectum quendam poſſibilem producat; explicat miraculi effectus, hactenus non ſatis animadverſos, & quomodo impediatur, ne miraculum influat in futura. Quoniam Antagoniſtis viſum fuerat, introduci hac ratione miracula reſtitutionis, horrendo crimine, in foro Theologorum ignorata; Noſter etſi hoc non definiat, utrum miracula contingant, vel olim contigerint, nec ne, & utrum miracula reſtitutionis facta fuerint vel fieri debeant, nec ne, ad retundendam tamen vociferantium ignorantiam docet, miraculis reſtitutionis dudum uſos fuiſſe Theologos, & Scripturæ ſacræ interpretes ad explicandum modum, quo Deus impedivit, ne effectus miraculi continuo ſerperet per ſecula futura. Laudat hic *Thomam Aquinatem* & *Cornelium a Lapide*. Ceterum demonſtrat,

 quod

quod *Leibnitius* affirmaverat, leges motus non esse absolute necessarias, sed contingentes, ac inde porro deducit, naturam rerum ab absoluta necessitate liberam esse. Antequam de perfectione totius mundi statuit, de perfectione corporis organici ac mixti in specie, tum etiam de perfectione corporis cujuscunque in genere agit & modum eam cognoscendi præscribit. Ostendit autem impossibilitatem comprehendendi perfectionem mundi, &, ne nos turbent imperfectiones apparentes, docet, quomodo imperfectio partis cum perfectione totius consistat. Plurima tandem tradit theoremata, quibus differentia mundi perfectioris ab imperfectiori continetur. Ordinem mundi a naturæ ordine distinguit. Illum pendere ostendit a perfectione mundi; hunc deprehendi in modificationibus virium motricium. Demonstrat autem, dari naturæ ordinem, eumque esse contingentem, seu a necessitate absoluta liberum. Quodsi quis ope citationum inquirere velit, quænam ad existentiam & contingentiam ordinis naturæ stabiliendam principia requirantur; luce meridiana clarius constabit, quam sit difficile, perfectionem mundi ac ordinem naturæ & hujus porro contingentiam evincere. Et ita in ruborem se conjecisse confidit adversarios, qui omne convitiorum genus in ipsum evomuerunt, quod asseruisset, existentiam Dei per ordinem naturæ hactenus insufficienter fuisse probatam. Explicat etiam, quid sit cursus naturæ, &, quod maximi momenti est, demonstrat, elementa alia existere debere, si alius esse debeat ordo naturæ, vel alius existere debet mundus, nec eadem elementa, quæ dantur in mundo adspectabili, alio modo coexistere posse, quam quo coexistunt. Hisce enim principiis via sternitur ad creationem mundi ex nihilo lumine naturali demonstrandam.

MISCELLANEA ANALYTICA DE SERIebus & Quadraturis. Accessere variæ Considerationes de Methodis Comparationum, Combinationum & Differentiarum, Solutiones difficiliorum aliquot Problematum ad Sortem spectantium, itemque Constructiones faciles Orbium

um


um Planetarum, una cum determinatione maximarum & minimarum mutationum, quæ in motibus Corporum cœlestium occurrunt.

Londini, excudebant J. Tonſon & J. Watts, 1730, 4.

Alph. 1 pl. 10.

MIſcellanea hæc Analytica, quorum Autor eſt Cel. *Moivræus*, Geometra eximius, dividuntur in libros octo. Liber primus agit de ordinatis rationalibus in ſimpliciores reſolvendis, veluti ſi ordinata fuerit $1:(1+z^n,)$ vel $1:(1-z^n)$ & *n* numerus quicunque par, aut impar; ſi eadem fuerit $1-2lz^n+z^{2n}$ & l ponatur unitate minor; ſi ea fuerit $1:(1\mp 2lz^n+z^{2n})$ & l vel major, vel minor unitate; denique ſi ea fuerit $e:(e+fz^n\mp gz^{2n})$. Præmittit quædam lemmata, quibus tota reſolutio ſuperſtruitur. Demonſtrationem adjicit Libro ſecundo, quem inſtar Scholii ad Librum primum ſubjungit, ut ſic facilius perpendere poſſit Lector, utrum concluſiones, ex principiis jam poſitis & tanquam conceſſis deductæ, pro legitimis haberi poſſint, ſicque connexio propoſitionum inter ſe melius percipiatur, tum etiam paratior ſit aditus ad demonſtrationes aſſequendas. Occurrunt in hoc Libro ſecundo varia theoremata non inelegantia, itemque Problemata. Ita oſtenditur, ſi in hyperbola æquilatera AH, cujus centrum C, vertex A, ſemiaxis CA æqualis unitati, ducta ad axim ordinata DE, cui competit ſector hyperbolicus ACE, quomodo inveniatur ordinata GH, cui competat ſector hyperbolicus ACH in ea ratione ad priorem, quæ eſt n ad 1. *Coteſius* in Tractatu de Harmonia menſurarum abſque demonſtratione propoſuit theorema egregium de diviſione circuli, quod retulimus in *Actis A. 1723 p. 170.* Hujus demonſtrationem hic dat *Moivræus*. Ediderat idem Tractatulum de menſura ſortis in *Actis Philoſophicis A. 1711*; ſed meditationibus iſtis inhærenti poſtea occurrere notatu digna circa ſeries quaſdam, quarum termini ita ſunt conſtituti, ut eorum quilibet ad totidem antecedentes ſemper habeat rationes datas. Eorum ope ipſi patuit ſolutio difficiliorum aliquot Problematum

Fig. I.



tum, quæ, cum ad doctrinam ludorum præcipue spectarent, ab eo exhibita fuere in doctrina sortis, de qua diximus in *Actis A. 1721 p. 131.* Enimvero cum demonstrationes aliquot prætermisisset, eas chartis commissas apud Cel. *Newtonum* d. 22 Maji A. 1718 reposuerat, donec perbiennium ab eo servatas cum quibusdam aliis coram Regia Societate A. 1720 proferret, &, instigante *Johanne Machin*, Societatis Regiæ Secretario, excerpta quædam A. 1722 publici juris faceret. Jam vero omnia huc spectantia una cum methodo investigationis in publicum profert. Lib. III primo loco quærit integrale seu summam differentialis quantitatis $z^{\theta} dz : (1 + 2lz^{n} + z^{2n})$. Deinde quædam attingit de comparatione curvarum cum sectionibus conicis. Ordinatas quasdam irrationales, veluti si sit $z^{\theta}(e + fz^{n})$

$fz^n)^\lambda$, ubi λ denotat numerum fractum, ad rationalitatem redigere docet. In Tractatu de mensura sortis cum incidisset in æquationes quasdam sic constitutas, ut coefficientes terminorum, hinc inde ab extremis æqualiter distantium, singulæ singulis, æquales inter se essent, animadvertit, ejusmodi æquationes ad alias adduci posse, quarum dimensiones dimidio saltem pauciores futuræ essent, quam dimensiones æquationis propositæ. Variis igitur exemplis ostendit, quomodo multinomia quædam in binomia & trinomia resolvantur. Lib. IV primo loco agit de summis serierum recurrentium inveniendis. Deinde alia addit de inveniendis serierum nonnullarum terminis, veluti seriei cujuslibet trinomialis, ex cujus scilicet relationis scala conficitur æquatio trinomialis, veluti si series recurrens sit $a+bx+cxx+dx^3+ex^4$ &c. cujus relationis scala ponitur esse $f-g$, ac proinde æquatio ex relationis scala confecta, nimirum $xx-fx+g=o$, trinomialis est. Ultimo denique loco de pseudotrinomio agit, ubi docet, quomodo dignoscatur, ad quodnam multinomii genus pseudotrinomium sit revocandum. Ut vero intelligatur, quid Nostro vocetur pseudotrinomium; tenendum est, ita dici seriem, quæ prodit ex divisione unitatis per $1-bz^f-cz^n$, ubi n ad f eam habuerit rationem, quæ est binarii ad unitatem. Lib. V continentur nonnulla de binomio $a+b$ ad potestatem permagnam evecto. Si termini omnes binomii intelligantur normaliter erigi super lineam rectam ad intervalla æqualia, ducaturque curva per extremitates omnium terminorum seu ordinatarum; curva sic descripta duplex habebit punctum inflexus, unum ab utraque parte termini maximi. Docet Noster, quomodo punctum istud inflexus determinetur. Lib. VI de seriebus hyperbolicis, circularibus, mixtis & determinatis a se inventa profert. Seriem hyperbolicam vocat, cujus summa pendet a quadratura hyperbolæ: unde simul intelligitur, quænam circularis dicatur. Mixtam dicit eam, quæ partim ab hyperbolæ, partim a circuli quadratura pendet; seriem vero determinatam illam, cujus termini procedunt per potestates quantitatis determinatæ. Docet invenire series, quæ summari possunt; docet

docet etiam, quomodo ex data ferie ad fummam regredi liceat. De feriebus determinatis egit *Jacobus Bernoullius* in Tractatu de feriebus infinitis, qui Arti conjectandi ejusdem, a *Nicolao Bernoullio* editæ, fubjungitur. Hic vero Nofter proponit methodum aliam, a *Bernoulliana* diverfam. Lib. VII refpondet ad quasdam, quas vocat, criminationes. Tangunt ea *Monmortium*, qui quædam imputaverat *Moivræo*, quæ ipfum male habent. Nimirum cum A. 1708 *Monmortius* tentamen Analyfeos ad ludos applicatæ, quorum eventus a fortuna pendet, edidiffet, recenfitum in *Actis A. 1709 p. 462 & feqq.* & *A. 1710* in manus *Francifci Robartis* incidiffet; hic quædam Problemata, ad idem argumentum fpectantia, fed multo difficiliora iis, quæ a *Monmortio* fuerant foluta, propofuit *Moivræo*, fimul rogans, ut, fi quid novi ipfi occurreret, quod adeo facile ex *Hugenii* methodo non flueret, id folutioni adjungeret, principiaque exponeret, quibus eorum folutio niteretur: quod cum feciffet in Tractatu de menfura fortis, *Robartes* eum ultro ad Regiam Societatem detulit, cujus mandato in *Actis Philofophicis A. 1711* pro menfibus *Januario, Februario* & *Martio* interpofitus fuit. Solverat quoque *Moivræus* Problemata, ab *Hugenio* ad folvendum propofita, fed methodo prorfus diverfa, quam *Monmortius*. Monebat autem, fibi folutionem *Monmortianam* non probari, eum tamen laudabat, quod methodum *Hugenii* exemplis pulchre illuftraffet. Cum *Monmortio* hunc fuum de menfura fortis Tractatum mififfet, is A. 1714 novam dedit Analyfeos fuæ editionem, correctiorem & auctiorem, & eidem epiftolam ad *Nicolaum Bernoullium*, nunc Juris apud Bafileenfes Profefforem, inferuit, qua etiam de *Moivræi* Tractatu fententiam expofuit. Etfi in iis quædam ineffent, quibus offendi poterat *Monmortius*, hoc tamen non obftante, cum A. 1715 in Angliam veniret, omne officium fuum in eum contulit, fe ipfi comitem, interpretem, ducem adjungens, ut Lutetiam redux fcriberet, fe beneficiorum in fe collatorum memoriam femper habiturum. Cum *Moivræus* fecundam pararet editionem Tractatus fui, lingua Anglica in lucem proferendam, quam in *Actis A. 1721* repræfentavimus, & vix folium unum deeffet,


quo

quo minus totus liber impressus esset; *Monmortius* per *Taylorum* in *Actis* Philosophicis publicaverat Tractatus de seriebus infinitis partem primam. Mittit *Moivraeus* libri sui secundam editionem ad *Monmortium*; hic per literas gratias agit. Postquam paulo post diem supremum obiisset, *Fontenellius* in elogio narravit, *Monmortium*, viso libro *Moivraei*, eidem valde succensuisse, quod librum suum scripserit ad imitationem & exemplar sui, & lineam e linea quasi expresserit, ut in omnia *Moivraeana* jus dominii habuerit. Quoniam igitur secunda editio *Moivraeana* Anglico sermone conscripta fuit, ut paucissimis liceat *Moivraeana* cum *Monmortianis* conferre, non inconsultum fuit visum *Moivraeo*, praecipua quaedam inde excerpere atque Latino sermone hic proponere. Huc ergo spectant, quae de methodo differentiarum a *Newtono* A. 1687 in Principiis primum publicata, ad serierum doctrinam cum a *Moivraeo*, tum a *Monmortio* applicata; de methodo item combinationum, de permutationibus, atque numero punctorum in tesseris, integro libro septimo habet. Hisce vero praemissis, ad criminationes, quas vocat, ulterius responsurus, suas Problematum solutiones cum *Monmortianis* confert, ut appareat, ipsum a *Monmortio* nihil mutuatum. Lib. VIII demum de viribus centripetis, itemque de maximis & minimis mutationibus, quae in motu corporum coelestium occurrunt, disquisitio Geometrica continetur. A. 1705 theorema quoddam generale invenit Autor, cujus ope leges virium centripetarum in curvis quibuslibet datis facilius, quam per methodos vulgo adhibitas, consequi liceret. Hinc cogitare coepit, annon vires centripetae in sectionibus conicis expeditius ex natura focorum deduci possint, quam ex aequationibus, quibus relatio inter abscissas & ordinatas determinatur. Quae dudum repererat, *Hallejo* suasore A. 1717 in *Actis Philosophicis* publicavit. Cum vero idem variis temporibus Problemata quaedam Astronomica ipsi proposuisset de Maximis & Minimis, quae in motibus coelestibus occurrunt, quorum aliqua jam edita fuerunt investigatione praetermissa, alia iis anteriora nunquam lucem viderunt; omnia in unum collecta aliquanto fusius jam expo-

 nit.

nit. Reperias igitur hic primo theorema generale de viribus centripetis cum demonſtratione tam ipſius, quam *Bernoulliana*. Demonſtrationes alias dederunt *Keillius* in *Actis Philoſ. num.* 317, & *Hermannus*, nunc Moralium apud Baſileenſes Profeſſor, in *Phoronomia*. Subjungit his Autor proprietates quasdam ſectionum conicarum ex natura focorum deductas, quarum ope lex virium centripetarum, velocitates corporum, quæ iisdem revolvuntur, & deſcriptio orbium facillime determinantur. Problemata de maximis & minimis in motibus cœleſtibus ſequentia exhibet, ſcilicet 1, quomodo inveniatur punctum, in quo decrementum velocitatis angularis, tum etiam alterum, in quo decrementum motus realis eſt velociſſimum, ſi corpus in ellipſi circa focum S revolvatur ; 2, quomodo data Solis declinatione & poli altitudine inveniatur momentum temporis, quo azimuthum Solis lentius augetur, quam ullo alio temporis momento; 3, quomodo data Solis declinatione & poli altitudine inveniatur, quales duos verticales Sol dato tempore attingere debeat, ut differentia earum altitudinum, quas habet initio & fine temporis dati, poſſit eſſe maxima; & tandem 4 hoc Problema ſolvit. Si in ellipſi EPD, cujus centrum C, axis major DE, axis minor OY, Foci S, F,

Fig. 2.



plane-

planeta revolvatur circa centrum virium in foco S positum, tunc ex puncto P in curva sumto ducantur ad focos lineæ PS, PF. Deinde ad lineam FE & punctum F constituatur angulus EFQ, qui sit ad duos rectos ut area PSE ad aream semi-ellipseos DOPE; invenire maximam differentiam angulorum EFP, EFQ. Solutionem ejus hanc tradit. Sit $CD=r$, $CO=m$, $SP=z$, $FP=u$, centro F intervallo r describatur circulus MRV occurrens axi transverso in M & V. Deinde producantur FP, FQ, donec secent circumferentiam circuli in R & T. Postremo sumatur punctum p puncto P infinite vicinum, ducaturque Fp occurrens circumferentiæ in t. Sit arcus $VT=t$, arcus $VR=y$, semiperipheria $MTV=b$; erit area semiellipseos $=\frac{1}{2}mb$. Quare si area ESP sit A, erit $t:b=A:\frac{1}{2}mb$, adeoque $t=2A:m$, adeoque $dt=2dA:m$. Hinc ex antea demonstratis colligitur, esse $dA=\frac{1}{2}mzdv:\surd(vz-mm)$ & inde porro $dt=zdv:\surd(vz-mm)$. Similiter ex antea demonstratis colligitur, arcum infinite parvum radio v descriptum, mensuram scilicet anguli PEp esse $=mdv:\surd(z^2-m^2)$. Quare $Rt=dy=mrdv:v\surd(vz-mm)$, ex quo efficitur $dt:dy=vz:mr$. Sed in casu maximi est $dt-dy=0$. Quare $vz-mr=0$, sive $vz=mr$. Hinc si centro C intervallo $\surd(r^2+m^2-mr)$ describatur circulus secans ellipsin in quatuor punctis, ea erunt puncta, in quibus fient maximæ differentiæ angulorum PFE, QFE.

Angenehme, curiöse und nützliche Nachrichten von Physical- und Medicinalischen, auch dahin gehörigen Kunst- und Literatur-Geschichten.

i. e.

MISCELLANEA PHYSICO-MEDICO-

Mathematica, collecta a D. ANDREA ELIA BÜCHNERO, Inst. Med. Prof. Publ. Facult. Med. Assess. & S. R. J. Acad. Natur. Curios. Collega.

Quadra I & II Anni 1727.

Erffordiæ, apud Carolum Fridericum Jungnicolium, 1731, 4. Alph. 2 pl. 2, cum fig. æn. Tabul. II.

DUodecim præterlapsi sunt anni, cum quidam Academici Naturæ Curiosorum Uratislavienses, duce & moderatore D. *Johanne Kanoldo*, Annales seu Collectiones rerum naturalium & artificialium Germaniæ aliarumque regionum in publicum emittere cœperunt, in quibus mutationes tempestatum annotarunt, morbos epidemicos descripserunt, vegetabilium & animalium proventum significarunt, quæ singularia in firmamento, in aere, in & sub terra, in aqua, in hominibus & animalibus obtigerunt, enarrarunt, quæ in Physica & Medicina recens fuerunt inventa, consignarunt, novaque Literaria Physico-Medica recensuerunt, eoque ipso non Historiam solum tradiderunt, sed & libere de rebus judicarunt, variaque plagia detexerunt. Hosque labores continua serie ad finem anni proxime præterlapsi, quo Tentamen trigesimum octavum, ultimam anni 1726 quadram exhibens, prodibat, *feliciter* continuarunt, & quoniam materierum ubertas suppetebat, *quatuor* Supplementis auxerunt. Laudabile autem hoc atque utilissimum Annales seu Historiam Naturæ & Medicinæ recentiorem condendi institutum, cum morte *Kanoldi*, quæ in annum superiorem incidebat, tantum abfuit, ut intercidere passus fuerit Clarissimus *Büchnerus*, ut potius serio constituerit, quantum per vitam & sanitatem licuerit, strenue id continuare; cujus conatus specimen quasi aliquod sub prima & secunda anni 1727 quadra nunc exhibuit; ex quo sequentia annotare libet. Præmittuntur pag. 9 propositiones quædam, quomodo observationes aerometricæ imposterum per accuratam instrumentorum

torum conformitatem ad utilitatem communem reducendæ. Hinc commendatur p. 55 nova methodus pifces fub glacie natantes captandi; p. 300 ars flores levcoji plenos producendi; commemoratur p. 59 felix fanatio nafi equi calcibus conculcati; p. 64 fecundinæ in utero putrefactæ falvo fœtu; p. 67 vomitus diuturnus a maffa membranacea diu in ventriculo retenta; p. 127 obftructio alvi pertinaciffima & lethalis ab efu pirorum in clibano coctorum; p. 169 intumefcentia tefticuli fcirrhofa ex finiftra febris medicatione; p. 170 hiftoria partus duodecimeftris; & p. 179 odontalgia alapa curata. Agitur infimul de eleganti margarita Franconica p. 58, & 312 de noxa decocti cicutæ; p. 112 de avibus ortolanis dictis, earumque captura & cultura; p. 120 de magnefiæ albæ præparatione, qua levior redditur aliis abforbentibus; p. 122 de infaufta fubftitutione feminis ftramonei majoris loco feminis nigellæ; p. 167 de oculis ferpentum & gloffopetris; p. 256 de calculis fub lingua & in naribus generatis & excretis; p. 367 de locuftis in Silefia obfervatis; & p. 368 de eruca fub febre ardente biliofa per vomitum rejecta. Porro defcribitur p. 253 herpes eryfipelatofum feu volaticum infantum; p. 281 hiftoria variolarum menfibus hyemalibus graffantium; p. 301 fingularis offificatio fubftantiæ interioris totius trunci defcendentis arteriæ aortæ in feptuagenaria; p. 308 generatio culicum & pulicum; p. 370 vegetabile cruciforme vel ftelliforme in abiete repertum; p. 189 & 376 frumentum Wallachienfe. Sectiones exhibentur p. 59 fcirrho uteri globofo defunctæ; p. 66 hectica demortuæ puerperæ; p. 177 hydrope pericardii laborantis; & p. 251 hominis imbecillitate mentis notati. Inventa denique nova quod attinet, exhibentur p. 182 M. *Alberti Danielis Mercklini* tentamina & experimenta de inftrumentis opticis per vitra parabolica & hyperbolica corrigendis; p. 185 nova inventa varias icunculas, effigies, regiones, aliaque centro deftituta parandi; & p. 374 modus diftantiam duorum locorum, quorum acceffus difficilis eft, absque ullo inftrumento artificiali inveniendi.

NOVA LITERARIA.

TRajecti ad Rhenum venditor librorum, *Joannes Brædelet*, dignissimum laude consilium cepit, prelo iterum subjiciendi Thesaurum Juris Romani, a doctissimo Belgarum Jureconsulto, *Everardo Ottone*, ante aliquot annos editum, & communi eruditorum plausu exceptum. Non deerunt, qui instituto huic bene precentur, cum novæ hujus editionis hoc flagrantior jam inde ab aliquo tempore fuerit expectatio, quo major re vera ipsius præstantissimi Operis est dignitas. Etsi vero eodem tempore rem eandem Francofurti ad Mœnum meditetur alius Typographus, nomine *F. Varrentrapp*, ejusque instituti certiores nos fecerit Programmate publico; habet tamen, cur factam sibi inopportuno hoc consilio injuriam queratur *Brædeletius*, quippe qui justo pretio, quicquid reliquum fuit exemplarium prioris editionis, cum ipso jure novis formis excudendi *librum*, acquisivit a *Joanne van der Linden*, cujus sumtibus primum in lucem exiisse Opus, satis constat. Neque dubitandum plane, quin ornatiora atque emendatiora longe, sive externam Operis formam, sive habitum internum, spectes, daturus nobis sit Trajectinus noster, in rem istam toto animo incumbens, & famam lucro præponens, quam Francofurtensis ille, qui certe nullo modo efficiet, ut elegantiam Belgicam æquiparent, quæ Germanorum excusa *sunt* formis, parum plerumque excultis. Accedit huc, quod ipse venerandus *Otto*, quicquam sibi esse cum *Varrentrappio* commercii, &, quæ parat ille, placere sibi negaverit, *Brædeletio* vero omnem accommodaverit voluntatem suam, &, addisturum se multa Operi, emendaturum etiam, si qua in re olim fuerit erratum, &, ut quam limatissima prodeant singula, curaturum, liberaliter receperit. Id quod multum facit ad commendationem Operis, & sperare nos jubet, fore, ut numeris omnibus absoluta prodeant, quæ tam secundis cœpta sunt auspiciis. Formam hæc editio omni ex parte pristinam servabit, totidemque Tomis quin & paginis constabit.

bit. In chartæ nitore & characterum elegantia prorſus nihil deſiderabitur, & in corrigendis operarum mendis induſtriam omnem adhibebunt viri Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimi. Pretium Operis non excedet 35 florenos Belgicos, modo nomen dederis, antequam prelo hæc commiſſa fuerint; elapſo enim hoc ſpatio, ad Calendas Decembris hujus anni prorogato, non niſi 45 florenis venale erit. Si qui forte elegantiæ ſtudioſiores expetierint exemplaria in charta auguſta, ſive Regia, iis ad hoc impendendi erunt flor. 52. Univerſum IV Voluminum Opus eodem tempore, anni ſcilicet 1733 Calendis Januarii, vel quatuor hebdomadibus tardius, tradetur in manus emtorum; quibus integrum erit, ſi forte præter opinionem moræ aliquid intervenerit, pro ſingulis menſibus, ſpatium illud excedentibus, ſingulos florenos deducere. Leges pretii erogandi hæ ſunto. Nomen daturi tempore maturo, principio florenos octo, poſtea, abſoluto Opere, 27 ſolvent. Quantum ad chartam majorem, altera vice 12, altera 40 floreni numerato pendentur. Nomina ſubſcribentium itidem, ut ante factum, præfigentur in fronte Operis; &, ut ad uſum Lectorum accommodatior evadat liber integer, adjicientur ad calcem ejus Indices neceſſarii, potiſſima ſingulorum Opuſculorum argumenta continentes. Accedet etiam editioni huic Tomus quintus, qui, habita proportione pretii, perſolvendi pro Tomis ceteris, ſeorſim vendetur. Confecit jam Clariſſ. *Otto* rariſſimorum quorundam & præcipue in Hiſpania, Gallia, atque Italia editorum librorum, quos Tomo huic ultimo ſperat ornamento fore, Catalogum; eo usque tamen illorum publicationem differet, donec de illis doctorum virorum, maxime illuſtris Præſidis *Corn. van Bynkershœk*, ſententias exploraverit, & librorum quorundam, quibus adhuc caret, facta ipſi fuerit copia. Denique eidem Tomo nonnullas veterum JCtorum vitas, cum ab aliis, tum a ſemetipſo, conſcriptas, adjunget, operamque dabit, ut ſatisfaciant hæc omnia Lectorum deſiderio, & in communem eruditorum fructum redundent, atque inſigne Juriſprudentiæ afferant incrementum.

tum. Bibliopolæ, a quibus ſubſcriptiones recipientur in Italia, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Suecia, Helvetia, Brabantia, Hollandia, & Germania, nominati ſunt in Programmate *Brædeletii* nobiliſſimi quique, maximam partem vulgo cogniti. Ne vero Germani noſtri, quibus hæc maxime ſcribuntur, forſan eorum, qui adeundi ipſis ſunt, ignorent nomina; ordine enumerabimus ſingulos. Argentorati igitur, quem convenias, habes *Dulſeckerum*, *Beckium* & *Steinium*, Auguſtæ Vindel. *J. C. Bencardi heredes*, *Mertz*, *Meyèr*, & *Veith fratres*, Berolini *Rüdigerum*, *Nicolai* & *Haude*, Bremæ *Sauermannum* & *Jagerum*, Brunſvigæ *Schræderum*, *Mayerum* & *Rengerum*, Coloniæ *Rommerskircken*, *G. Metternich*, *Putz*, *Noethen*, Caſſellis *Cramerum* & *Etienne*, Cliviæ *H. Lochnerum*, Duisburgi *Botticherum*, Francofurti ad Mœnum *Andreæm* & *Hort*, Francofurti ad Viadrum *Conradi*, Gothæ *Mevium* & *Schall*, Gedani *van Beyghem* & *Knoch*, Halæ Saxon. *Sellium*, *Crug*, *Fritſch*, & in *domo Orphanotr.* Hamburgi *B. Felgineri viduam*, *Brand*, *Kœnig*, *Richter*, & *J. Etienne*, Hannoveræ *Fœrſterum* & *filium*, Jenæ *Bielckium* & *B. Mayeri viduam*, Lipſiæ *Thom. Fritſch heredes*, *Joh. Gottl. Gleditſch*, *Weidmannum*, *Teubnerum*, *Lanckiſii heredes*, *Caſp. Fritſch*, & *J. C. Martini*, Lemgoviæ *Mayerum*, Norimbergæ *Monathum*, *Lochnerum*, *B. W. M. Endteri heredes*, *Mayerum*, *Stein*, & *Felſeckeri viduam*, Pragæ *Lochnerum*; Ratisbonæ *Petzium* & *Baderum*, Tubingæ *Cottas fratres*, Viennæ Auſtr. *Monathum*, *Lehmannum*, & *Straubium*, Ulmæ *Bartholomæi* & *Fil.* & *Rothium*, Wittenbergæ *B. Zimmermanni heredes* & *Schwartzium*, & Guelpherbyti *Meisnerum*. Nos, de nova hac editione augurantes bona omnia, laudabile hoc inſtitutum viro honeſto, *Brædeletio*, & novam famæ ampliſſimæ acceſſionem Præclariſſimo *Ottoni* ex animo gratulamur, utque æque hæc, atque multa alia, quæ olim excuderat Muſis omnibus applaudentibus, honori cedant literis, & Jurisprudentiæ inprimis, bono omine vovemus.


ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXXI.

ΚΛ. ΑΙΛΙΑΝΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ ΠΟΙΚΙΛΗ ΙΣΤΟΡΙΑ.

h. e.

CL. ÆLIANI SOPHISTÆ VARIA HISTOria cum Notis integris CONR. GESNERI, JO. SCHEFFERI, TAN. FABRI, JOACH. KUHNII, JAC. PERIZONII, & Interpretatione Latina JUSTI VULTEJI innumeris in locis emendata, curante ABR. GRONOVIO, qui & suas Annotationes adjecit.

Volumina II.

Lugd. Bat. Amstelod. Roterod. Ultraj. Hagæ.	apud	S. Luchtmans & J. A. Langerak, R. & S. Wetstein & G. Smith, J. Boom & H. Waasberge, Jo. Dan. Beman, Jac. a Poolsum, Henr. Scheurleer,	1731, 4.

Alph. 6 pl. 16.

EX Dedicatione statim illud cognoscere non injucundum fuerit, *Richardum Ellys*, cujus *Fortuita Sacra & de Cymbalis* liber hic etiam celebrantur merito, & quo inprimis nomine *Ælianus* ad ipsum allegatur, jam esse equitem Baronettum, & civitatis Bostoniensis nomine ad supremum Ordinum magnæ Britanniæ conventum delegatum; itemque parari a Cl. Editore etiam alterum *Æliani* Opus de Histo-

Hiſtoria animalium, quod tanto cupidius exceptum iri putamus, quo difficilius ejus copia fieri volentibus potuit. In Præfatione ſua oſtendit Cl. Editor, ſententiam de duobus *Ælianis*, Græco altero, *Tacticorum* autore, altero Prænestino vel Romano, qui *Hiſtoriam Variam* & *Animalium* dedit, non primum a Cl. *Perizonio* prolatam, cum *Triſtanus* eam propoſuerit Comm. Hiſtor. Tom. I p. 276 & 373, ſed veram omnino eſſe. Porro docet, ſervata eſſe a ſe verba Autoris, qualia data fuerant a Cl. *Perizonio*, niſi ubi aliud juberent Codices MSS. Uſus autem eſt Mediceo, quem parens ipſius contulit, & *Sluiskiano* eodem, cujus ope *Perizonius* multa feliciter reſtituit. Notæ quorum ſint, jam ſupra commemoratum eſt, niſi quod illud obſervandum, accedere curas ſecundas *Conr. Geſneri*, quas ille ſuæ Editioni adſcripſerat, communicavit autem cum Cl. Editore Vir admodum Rever. & Doctiſſ. *Jo. Caſpar Hagenbuchius*. Veniunt deinde Præfationes atque Dedicationes ſuperiorum Editionum. Notarum ſpecimina non poſtulant a nobis Lectores aliarum, quam quæ nunc novæ accedunt, h. e. Cl. *A. Gronovii*. Sumamus age librum ex ipſo medio, ſeptimum, & quæ ad illum obſervata ſint, videamus. Igitur L. VII, 3 extr. phraſin *Æliani* βιαίȣ θανάτȣ ἔργον ἐγένοντο, h. e. *violenta morte perierunt*, eleganter locis ſimilibus *Annæ Comnenæ*, ſcriptoris incerti apud *Suidam*, & *Achillis Tatii* illuſtrat, ubi μαχαίρας, νόσȣ, βȣκόλων ἔργον dicuntur, quibus gladius, morbus, paſtores cauſa mortis fuere. L. VII, 3, poſt verba, ȣ̓χ ὡς συλλυπȣ́μενος, pronomen ὑμῖν, quod retinuerat *Perizonius*, *Sluiſkiani* & Medicei Codicum autoritate ejicit. Ad illud *Diogenis* VII, 6, πᾶς γὰρ μέτωπόν εἰμι adducit *Catullianum naſum totum* Car. 70, & *Lindebrog*. ad *Ter*. Ad. III, 3. Ad VII, 12, pro κατά γε τὴν ἐμὴν γνώμην, κρεῖσσον eſſe in Medic. & *Sluisk*. obſervat. Quod VII, 18, extr. mutaverat ordinem verborum receptum Cl. *Perizonius*, legeratque ex MSS. φιλοτιμȣ̃νται δὲ περὶ τȣ́τȣ αἱ γυναῖκες τȣ̃ ἀνδρὸς, reponit Cl. *Gronovius*, quod in ante editis fuerat, φιλοτιμȣ̃νται δὲ αἱ γυναῖκες περὶ τȣ́τȣ τȣ̃ ἀνδρὸς. Ipſe, quod Cl. *Perizonius* jam ſuſpicatus fuerat, vitium hærere putat in voce ἀνδρὸς, pro qua cum ſit, obſervante rurſus *Perizonio*, in

Medi-

Mediceo libro ἀνδρὸς, ipse conjicit legendum ἀριστεῖς, vel etiam pro ἀνδρὸς legi posse putat πυρός, quorum prius ex *Diodoro Siculo* firmat, alterum ex *Plutarcho;* qui mulierum φιλοτιμίας illud objectum faciunt. Deinde eodem loco displicet illi, quod legitur, ἡ κλήρῳ λαχοῦσα, cum non sorte, sed suffragiis, illam litem mulierum, de honore maritum in morte comitandi, decisam, reliqui scriptores prodant: ψήφῳ λαχεῖν hoc significare, ex *Eustathio* probat. Denique VII, 21 extr. in mentione Aristonis, quem *Perizonius* fratrem Antiochi Ascalonitæ facit, eum, quem συμβιωτὴν habuerit, observat *Aristum* vocari apud *Ciceronem* Acad. I, 3, & ab Aristone distingui ibid. II, 4. Hæc sunt fere, quæ ad librum septimum de suo attulisse Cl. Editorem, observavimus. Indicem Græcum *Perizonianum* iis plerisque auxit quasi postliminio, quæ *Schefferus* & *Kuhnius* in eum congesserant. Quantum observare potuimus, libere quidem nonnunquam dissentit Vir Cl. a *Perizonio*, sed ut ab omni verborum asperitate sibi temperet. Laudat quidem semel iterumque *notitias* patris *de morte Judæ*, sed ut, qui nesciat, suspicari non possit, esse eas *Perizonio* oppositas. Ad ipsum locum, qui infaustæ concertationi occasionem dedit, s. ad verbum ἀπήγξατο V, 9, ne verbum quidem ipse annotat: multo minus libellos, ab utroque viro doctissimo scriptos, (quod non una de causa factum multi, credo, velint,) novæ Editioni adjecit. Ita se instituit denique, ut appareat, sepultam illum velle & æterna nocte premi controversiam: quam animi æquitatem viro doctissimo gratulamur, & alteri, quod parare illum diximus, *Æliani* Operi faustam Lucinam precamur.

SANCTI PATRIS NOSTRI BASILII OPERA omnia, quæ exstant, vel quæ ejus nomine circumferuntur &c. Græce & Latine; opera & studio JULIANI GARNIER, Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri.

Tomus II.

Parisiis, typis & sumtibus Jo. Baptistæ Coignard, 1722, fol. max. Alph. 9 plag. 18½.

QUa doctrina & ingenio, quot Codicum MSS. ope adjutus, ad edendum *Basilium* accesserit doctissimus *Garnierius*, Presbyter & Monachus Benedictinus e Congregatione S. Mauri, abunde diximus, cum, quæ Tomo I Operis præstantissimi continentur, in his *Actis* mense Octobri A. 1722 pag. 465 seqq. ordine suo commemoravimus. Eodem nomine sese commendat, qui præsens nobis sistitur, Tomus II. In Præfatione, quæ huic præmissa est, excutienda sibi sumsit Vir doctus capita sequentia: §.I de Oratione secunda in Jejunium; §. II de Oratione septima decima in Barlaam, Martyrem; §. III de Homilia in sanctum Baptisma, seu de Spiritu S. §. IV de Homilia, quæ in Lacizis habita est; §.V de Homilia in humanam Christi generationem; §. VI de Homilia in pœnitentiam; §. VII de Homilia adversus eos, qui calumniantur nos, quod tres Deos colamus; §. VIII de Homilia, *de libero* arbitrio; §.IX de Homilia in illud: ne dederis somnum oculis tuis; §. X de Homilia tertia in Jejunium; quorum quidem scriptorum omnia, quamvis a Viris etiam doctissimis ea *Basilio* tribuantur, perperam tamen & non nisi per errorem eidem adscribi, multis in medium allatis rationibus probavit Cl. Editor De Asceticis vero *Basilii* cum §. XI sermonem instituit, statim circa initia observat, quod multa Asceticorum nomine hodie comprehendantur, quæ antiquis temporibus in eorum numero haud fuerint, deinde, quod alia illorum a *Basilio* profecta fuisse, credantur, quæ tamen alium plane autorem agnoscant. In evolvendo igitur præsenti, sua utique natura difficili, argumento ut ordine incederet Vir doctus, novem hujus §. partes seorsim constituere, ipsi visum est, quarum 1) sibi probandum suscepit, prævios tres Tractatus, scilicet Institutionem asceticam, sermonem asceticum, de renuntiatione seculi, & sermonem de ascetica disciplina, quomodo monachum ornari oporteat, ad *Basilium* pertinere; 2) recte sentire eos, qui, ut libellos de Judicio ac Fide, ita Moralia eidem adscribant; 3) in spuriorum numero ponendos esse breves

ves duos libellos, qui moralia sequantur; 4) utrarumque regularum, tam breviorum, quam longiorum, unum eundemque esse Autorem; 5) utrasque regulas & constitutiones monasticas uni eidemque Autori tribuendas non esse; 6) sane eos & vere judicare, qui *Basilium* Autorem faciant utrarumque regularum; 7) Constitutiones monasticas *Eustathio Sebasteno* posse adjudicari; 8) Epitimia in spuriorum numerum referenda esse; 9) tandem & ultima probare aggressus est, duas lucubratiunculas, quas pro novis *Combefisius* divulgavit, dignas non esse, quæ inter *Basilii* Opera numerentur. §. XII disputat de duobus de Baptismo libris, & proxime insequenti §. XIII de Liturgia, aliisque tribus Latinis Opusculis, quæ sub *Basilii* nomine circumferuntur, quorum omnia, dum a *νοθείας* suspicione liberari non possint, S. Patri temere afficta fuisse, contendit. Tandem §. XIV, qui omnium ultimus est, dissimulare non potest quosdam errores, quos in Præfatione subinde commisit, quæ præmissa fuit Operis hujus Tomo I, quorum quidem errorum adeo libere sese accusat Vir doctus, ut plus laudis, quam dedecoris, hac libera sua professione ab æquo omni hujusque rei intelligente æstimatore reportasse dicendus sit.

Hæc fere sunt, quæ intra Præfationis limites continentur. Sistitur Opus ipsum, quod, ut paucis omnia comprehendamus, præter Homilias de diversis, Ascetica complectitur & Homilias S. *Basilii*, quas e Græco in Latinum transtulit *Ruffinus*. Singula scriptorum quo ordine sese excipiant, commemorare, nimis prolixum foret. Sufficit nobis, indicasse, hoc secundum Volumen, æque ac primum, in duas divisum esse Partes, quarum prior genuinas *Basilii* lucubrationes complectitur, spurias & adulterinas exhibente Parte posteriori. Monendum vero nobis omnino est, quod & Cl. Autor silentio præterire non potuit, genuinis admixta subinde fuisse aliquot peregrina. Ita Homiliis, illis quidem germanis, quas a *Basilio* scriptas fuisse constat, insertas fuisse legimus duas Orationes, secundam nimirum de Jejunio, una cum Panegyri, quæ habita fuit in laudes Barlaami, Martyris, quarum tamen utramque

nomen Autoris mentiri, in Præfatione Vir doctus probaverat. Scilicet, inter genuinas referri illarum Orationum alteram, ideo ipsi videbatur, quia a Viris non ultimi nominis talis esse creditur, alteram, quia adeo elegans erat & polita, ut digna esset, quæ in numero germanarum locum haberet. Eodem modo nonnulla etiam accessere asceticis, quæ quamvis rectius rejicienda fuissent in Partem Voluminis posteriorem, ea tamen a genuinis ideo separanda non esse, censuit, quia, unam eandemque rem in asceticis omnibus tractari, animadvertit. Interim, ne vera incaute confundantur cum falsis, hic monuisse, juvabit, quod inter illa, quæ asceticorum nomine inscribuntur, Cl. Editoris nostri judicio, genuina sint & germana, ascetica tria Opuscula prævia, quæ supra nominavimus, libelli porro de judicio Dei ac de Fide, Moralia & regulæ, tam longiores, quam breviores, reliqua vero spuria & supposititia omnia, breves nempe duo libelli, qui post Moralia locum occupant, Epitimia & Constitutiones monasticæ. Parte Voluminis *hujus posteriori*, quæ Opera exhibet perperam attributa *Basilio*, continentur sequentia: Homilia de Spiritu S. Homilia in aliquot Scripturæ loca, dicta in Lacizis, in sanctam Christi generationem, de pœnitentia, adversus calumniatores S. Trinitatis; sermo de libero arbitrio, duo, quæ *Combefisius* edidit, Opuscula, duo porro de Baptismo libri, tandem Liturgia *Basilii*, cum libellis tribus Latinis, de consolatione in adversis, de laude solitariæ vitæ & admonitione ad filium spiritualem. Quibus vero adductus rationibus, hæc omnia in spuriorum numero ponenda esse, existimaverit Cl. Editor, fuse exposuit in præmissa Operi, nobisque supra laudata, Præfatione doctissima. Sequuntur *Basilii* Homiliæ, e Græco in Latinum a *Ruffino* conversæ, quæ, quamvis adjectæ fuerint spuriis, inter scripta tamen subdititia, monente Viro Cl. referendæ non sunt. *Ruffinianam* interpretationem Notæ excipiunt *Frontonis Ducæi*, Societatis Jesu Theologi, & *Federici Morelli* in aliquot Homilias animadversiones. Totum Volumen claudunt locorum Scripturæ sacræ, rerum & verborum, Indices copiosissimi. Tomi III ultimi argumentum dabimus Mense proximo Decembri.

LES MONUMENS DE LA MONARCHIE Francoise, qui comprennent l'Histoire de France.

i. e.

MONUMENTA MONARCHIÆ FRANCICÆ, quæ complectuntur Historiam Francicam; Autore Dom. BERNARDO MONTFAUCON, Monacho Benedictino e Congregat. S. Mauri.

TOMUS II.

Parisiis, apud J. M. Gandovinum & P. F. Giffartium, 1730, fol. Alph. 3 pl. 17, Tabb. æn. 63.

VOta nostra implere incipit diligentissimus *Montfauconius*, edendo secundum Tomum Operis amplissimi, cujus Tomum I hoc ipso anno in *Actis* nostris p. 49 recensuimus. Nostrum igitur est, & hujus rationem paucis minimum indicare. Opus autem esse non judicamus, hoc loco repetere, quæ de generali hujus Operis instituto, ubi de Tomo I agebamus, verbosius commemoravimus. Ad ea, quæ ad hunc ipsum Tomum propius spectant, statim accedimus. Negare non possumus, & in hoc Tomo varia monumenta deprehendi, e templorum fenestris & e tabulis, ex pictorum ingenio tantum confectis, depromta, quæ magnum usum rei publicæ literariæ non afferent. Nos quidem ut insigne vitium hoc Celeberr. *Montfauconio* non exprobramus. Præstat sane, superflua proferri, quam unicum omitti monumentum, cujus beneficio aliqua memoratu digna historiæ circumstantia possit explicari. At enimvero e re nostra esse existimamus, prætermissis ejus generis monumentis, ex iis tantum hoc loco quædam exempla proferre, quorum notitia usu suo in Historia Francica non caret. Sub initium hujus Tomi continuationem exhibet celebris monumenti, in quo depictum est, quomodo ab *Eduardo* Rege, *Haroldi* ministerio, *Wilhelmo*, Duci Normanniæ, regnum Angliæ delatum fuerit; *Haroldus* autem post *Eduardi* obitum regiam dignitatem sibi vindicarit; & tandem *Wilhelmus*, Normanniæ Dux, victo *Haroldo*, delatam sibi ab *Eduardo* coronam Regiam fortiter tuitus sit. Fragmentum hujus monumenti Tomo I jam exhibuit, cujus & in recensione nostra memi-

meminimus. Conjicit *Montfauconius*, hanc præstantissimam, quam in æs incidi curavit, picturam labori ipsius *Mathildis*, *Wilhelmi* conjugis, deberi. Varia hoc ipsum monumentum suppeditat, quæ faciunt ad illuminandam Normanniæ cum An-
p. 10. glia conjunctionis historiam. E. g. *Guilielmus Pictaviensis* refert, *Conanum*, Britanniæ Comitem, cum suis & Fœderatorum copiis a Duce Normanniæ profligatum fuisse; neque tamen dicit, quis fuerit postremus belli exitus. At in hoc monumento sequentia verba deprehenduntur: *Hic milites Willelmi Ducis pugnant contra Dinantes, & Conan claves porrexit.* Sub hac inscriptione repræsentatur armatus miles in urbis muro, fortassis ipse *Conanus*, qui claves, in extrema lancea sua appensas, porrigit, & ex Ducis Normanniæ parte eques, ipse forsan Dux, qui claves cum extrema lancea, cui vexillum ad-
11. hæret, recipit. Ex his *Montfauconius* conjicit, claves *Wilhelmo* porrectas obsequii tantum fuisse signum, urbem sub *Conani* potestate mansisse, bellum autem per pactum fuisse finitum; nempe sub hac conditione: ut *Conanus* arma poneret, & hominium pro Britanniæ Duce præstaret. Ceterum addit, se hac ratione, uti supra descripsimus, claves urbis offerri h. l.
110. primum videre. Ubi monumenta *Philippi II* exhibet; observat, eum primum flore lilii in *contra-sigillo* usum fuisse. Cumque in sigillo, quo anno regni octavo & decimo usus est, imberbis repræsentetur; concludit, *Philippum* apud Reges Francorum barbam deponendi morem introduxisse. Digna
158 seq. etiam sunt, quæ oculos lectorum morentur, monumenta, in quibus depictum est, quomodo pro peccatis suis *Ludovicus Sanctus* satisfacere debuerit. *Sanctus Ludovicus* verberibus corpus suum a Dominicano castigari curat, nudosque humeros junctis manibus patienter exhibet; quin etiam ossa mortuorum colligit, ut sepeliri possint, duo autem monachi adstantes nares manu obturant, ne tetro afficiantur odore. In-
166. signe sane hoc est documentum, quæ seculo tertio & decimo fuit, superstitionis. Inter ejusdem Regis monumenta profert exemplum *sportæ*, ut vocatur, *peregrinationis*, sive marsupii, in quo Principes Sanctorum reliquias ex ultramarinis regionibus

nibus deportarunt. Deprehenduntur in eodem insignia Principum & Procerum sæpius repetita, Ducum Britanniæ Drocensium, Drocensium Comitum, Flandrensium Comitum &c. Existimat autem, hoc, quod exhibet, marsupium fuisse *Petri Mali-Clerici*, Britanniæ Ducis, cujus insignia in marsupio frequentius apponuntur. Plura exempla nunc in medium non proferemus. Putamus enim, ex allatis jam satis superque constare, omni utilitate secundum monumentorum Franciæ Tomum non carere. Illud tantum addimus, quod celeberrimus *Montfauconius* sub finem hujus Tomi integram *de Ordine sancti Spiritus recti desiderii sive nodi* Commentationem adjecerit. Doctissimus Autor in suos usus hoc loco vertit Codicem MSC. avtographum, qui in Bibliotheca Regia deprehenditur, & statuta hujus Ordinis Francico idiomate scripta exhibet, & in quo omnia, ad hunc Ordinem militarem facientia, depicta sunt. Ex quo autem dedita opera de hoc Ordine, a *Ludovico* Andegavensi, Rege Hierosolym. & Siciliæ, instituto, ejusque monumentis, egit; observat, quod *Henricus III*, Franciæ Rex, ad hujus Ordinis, qui dudum defierat, exemplum, *Ordinem S. Spiritus*, tantopere celebratum, instituerit. p. 327–342.

JO. HILDEBR. WITHOFII SPECIMEN Emendationum ad GUNTHERI LIGURINUM.

Duisburgi, sumtibus Jo. Ovenii, 1731, 4.

Plag. 20.

NOvum producimus Criticum, eumque cum ab ingenio, tum a doctrina instructissimum: id quod cognoscere nobis licuit ex hoc ipso, quem modo nominavimus, libello. Cum enim in eo complura loca in *Guntheri*, Poetæ seculo XII clari, *Ligurino* (quod poema, Friderici Barbarossæ Imp. res gestas describens, decem libris, denuo editurus est, idque emendatissime,) vetustis suis mendis liberare aggrediatur; vix unquam dubitare posse credimus lectores criticos, quin rem acu tetigerit. Ac jucundum est cognoscere, quam versatus

ſit Cl. Autor in lectione Poetarum, non ſolum veterum illorum, ſed & medii ævi, quamque loca eorum parallela in numerato habeat, ubi iis opus eſt ad ſtabiliendam aliquam emendationem; quam item ſtudioſe perluſtrarit obſervationes ſummorum virorum criticas, ſibique reddiderit cognitiſſimas. Nec vero *Gunthero* ſoli medicinam hic adhibet, ſed aliis quoque, potiſſimum illis medii ævi, Poetis, *Aratori, Juvenco, Britoni, Iſcano Devonio, Paulino Petrocorio*, aliis. Nos paucis exemplis docebimus Lectores noſtros, Cl. *Withofium* elegantiſſimi hic ingenii edidiſſe ſpecimen, multasque disjeciſſe tenebras, quæ tamdiu obſederunt loca haud ignobilia præſtantiſſimorum ſcriptorum. *Pag. 50* pro *Barine*, quod mulieris cujusdam nomen eſt apud *Horatium Lib. II Oda 8*, reſcribit *Iberine*, *Juvenalem* ſecutus, qui verum hoc nomen exhibet eo loco, quo *Horatii* iſtum locum ab ipſo reſpici, dubitari vix poteſt. Atque ita ſatisfactum eſt Criticis, nominis illius *falſi*tatem agnoſcentibus quidem, ſed verum reponere *minime* valentibus. Similem operam navat *Horatio p. 53*, illum Odæ omnium primæ locum feliciter corrigens, qui nuper quoque mirum in modum exercitos habuit Criticos, pro *evitata* reſcribens *ſi vitata*, eoque pacto ſuam vitam ſuamque elegantiam reddens carmini primario. Sed ex *Guntheri* quoque emendationibus unam proferamus atque alteram. *Pag. 88* hoſce ejus verſus:

> *Ergo quod inſtigas jurando jure paciſci,*
> *Pone metum curæ, vel non juratus habebo,*

ita emendat: (*Pone metum*,) *curæ vel non juratus habebo.* Eſſe autem hanc phraſin: *curæ aliquid habere*, vere Latinam & optimis uſitatam ſcriptoribus; formulam item illam: *pone metum*, eodem modo crebro uſurpari a Poetis, docet doctisſime. *P. 95* hæc verba:

> — — *mentisque ferocia corda*
> *Conſilioque feras ſævorum frangere mentes*,

ubi *mentis* corrupte ſcriptum eſſe, facile apparet, ita corrigit, ut *monitis* reſcribat, & ſimul alia Poetarum loca proferat, quibus juncta videas *monita* & *conſilia*. Ac merito usque adeo cer-

certam haber hanc emendationem, ut, si quis dubitet, eum *fibilis excipiendum* ducat. *P. 137* æque feliciter sanat *Guntherum*, cujus hæc verba sunt edita: *missisque frequenter muneribus sceptrisque.* Noster vero *scriptisque* reponit, idque recte ab se fieri, non satis, sed abunde, probat. Pari acumine *p. 154* in *Calpurnii* Ecloga sexta *prædam nactus* mutavit in *prædamnatus*: *p. 155* in *Paulini Petrocorii* Vita Martini hæc verba: *ne nebula tentis peccati obductus, privetur lumine Christi*, ita emendat: *ne nube latentis.* Ibidem in *Avieno* pro: *Densa serena Toceus splendentia sidera cælo,* sic legi jubet: *Densa serenato ceu splendent sidera cælo.* Ultima tamen emendatio, quam *p. 158* huic *Ovidii* (*Amorum Lib. I Eleg. 8 v. 65,*) loco adhibet: *Ne te decipiant veteris quinquatria ceræ,* rescribens *pompa atria ceræ*, nobis quidem non placet, qui ipsimet Cl. *Withofio* considerandum permittimus, annon ita scripsisse Poeta credendus sit: *veteris plena atria ceræ.* Certe pulchrius ita verba fluunt, quam si cum *Lipsio* (*Elect. Lib. I Cap. 29,*) rescriberemus *veteri cincta atria cera.* Ceterum optamus, ut Cl. Autor ornatum suis & emendationibus & illustrationibus *Guntherum* Poetam brevi sistat orbi literato, cui satis cognitum est, quod ipse *p. 96* & *120* tradit, *Guntherum* illum esse *Poetam suo seculo majorem, & elegantia sua, venustate, facundia & naturali pulchritudine promeritum admirationem plausumque doctorum omnium.*

Hamburgische Kirchen-Geschichte.

h. e.

NICOLAI STAPHORSTII HISTORIA Ecclesiæ Hamburgensis Diplomatica.

Partis I Tomus II, III & IV.

Hamburgi, apud T. C. Felginer, Tom. II 1725, T. III 1727, T. IV 1731, 4.

Alph. 16, Tabb. æn. 14.

IDeam totius hujus egregii in Historia Ecclesiastica Operis dedimus Supplementorum Tom. VIII Sect. XI pag. 503, in

recensione Part. I Tom. I. Sequitur nunc Tomus II, qui duo
secula, nimirum XIII & XIV, Historiæ Ecclesiæ Hamburgensis
complectitur. Quod attinet Seculum XIII, si quis faciem Eccle-
siæ hujus ævi quasi in speculo quodam intueri optaret, vel sola
Historia Ecclesiæ Hamburgensis, prouti ab Autore nostro νῦν
ἐν ἁγίοις ex antiquissimis monumentis, & *Cap. I* hujus codicis li-
teris consignata est, ejus votum explere posset. *Potestas Pon-
tificis Romani* quod fastigium in civilibus æque ac Ecclesia-
sticis obtinuerit, testantur, quæ R. Capitulo Hamburgensi im-
p. 37. perata sunt, ut scilicet decimæ Pontifici debite solverentur,
52. Festum Corporis Christi ad votum *Thomæ de Aquino* in hac
civitate inposterum celebraretur, & jus littoris hactenus
38. usurpatum sub pœna excommunicationis abrogaretur. Pa-
ri modo Pontifex Rom. ex Canonico Hamburgensi creavit
Episcopum Razeburgensem, Imperatore non consulto, sed in-
16. vito, & in Concilio Bremensi denuo Clericis conjugium
44. a Nuncio Apostolico Guidone interdictum, libertas au-
tem vescendi carnibus tempore jejunii Decano Capituli con-
307. cessa est. *Superstitio* vero quanta fecerit incremen-
ta, probant cum monasteria, Hamburgi hoc tempore ædi-
ficata, ad D. Johannis pro *Dominicanis*, ad S. Magdalenæ pro
Franciscanis, tum numerus Festorum, quæ in gratiam Sancto-
rum instituta sunt, mirum in modum in hac Ecclesia auctus.
Franciscanorum, ut Cap. II docet, exstructum est Cœnobium a
11. Comite Holsatiæ Adolpho IV in honorem S. Magdalenæ,
cui gloriam victoriæ, contra Danos obtentæ, se debere sibi per-
570. suaserat. Hinc & ipse postea A. 1240 monasterium hoc in-
gressus est, sicuti Adolphus III, veste Monachorum Francisci
37. indutus, Kilonii sepultus est. Dominicanis etiam, quos
recipere Hamburgenses initio tergiversabantur, alterum ædi-
ficare concessum est; sicuti & Beguinis, hæreseos nota suspe-
ctis, *Domus Conventus* ad D. Jacobi exstructa est. Festa in ho-
norem Sanctorum ita creverunt Hamburgi, ut aliud alii cede-
re dierum festivorum penuria juberet: sic cultus solennis D.
Nicolai cessit S. Andreæ, sic Oswaldus Ægædio, & Ambrosius
Luctui Mariæ, teste Indice, ordine Alphabetico a B. Autore con-
cinnato,

cinnato, Præfat. p. 11 seqq. Altarium numerum eadem superstitionis ratio non parum auxit, id quod exemplum S. Annæ, cui tot locis hujus civitatis altaria consecrata sunt, ut vix crederes, evidenter demonstrat. *Ritus* quoque ad officium Missæ celebrandum in hac Ecclesia mire creverunt, instituta nova *Fratrum Calendarum* societate, auctis *Memoriis* & *Refectoriis* & *Balneis* ita dictis. Hæreticorum nomine quos persecuti sint Pontifices & ejus hyperaspistæ, exemplo suo docent Stedingenses, qui excommunicatione majori Satanæ traditi sunt, etiamsi nulla hæreseos vestigia in illis reperirentur, tantum p. 12.
quia Archi-Episcopo Bremensi restiterant, & ditioni ejus se subjicere recusabant. Ad *bellum sacrum*, uti dicebatur, continuandum etiam Ecclesia Hamburgensis sumptus ex Papæ voto suppeditavit, quin Hospitale S. Georgii ante portam in gratiam equitum sacrorum condidit. *Cap. II* hujus *Tomi* 58.
Lectori attento passim in oculos incurrit, quomodo seculo XIV cum tyrannide Pontificia, subinde latius grassante, idolomania & superstitiones regnarint. Archi-Episcopus Bremensis Dominicanos æque ac Franciscanos anathemate percutiebat, eo quod Magistratui Hamb. magis, quam Capitulo, obsecuti fuissent. Pontificem Romanum quamcunque occasionem augendi suam autoritatem captasse & arripuisse, prodit 561.
molesta Ecclesiæ Hamburgensi mutatio sedis Pontificalis, quam instituit Clemens V, dum eam Avenionem in Galliam transtulit. Cum enim illuc venissent, qui novum Archi-Episcopum Bremensem eligerent, Pontifex, ad quem lis de electione delata erat, occupatus negotio pacis, ut Regem Galliæ Philippum cum Rege Angliæ conciliaret, tantam electioni injecit moram, ut interea alter Candidatorum hujus Episcopatus, Florentinus de Brunckhorst, moreretur, Pontifex autem postea pro arbitrio suo plane alium eligeret, nempe Johannem, Archi-Episcopum Londinensem; qui ut gratiam referret in Concilio, quod 562.
Viennæ Allobrogum Pontifex indixerat, paratus comparuit, & ad Ordinem Templariorum supprimendum pro virili operam navavit. Cum inter Monachos Dominicanos & Ju- 565.
ratos Ecclesiæ Hamb. ad Divi Nicolai de jure sepulturæ con-

tentio oriretur, Nuncius ejus Apostolicus judex illis constitutus est. Episcopum Lubecensem contra Archi-Episcopum
p. 576. defendit, & ipsam civitatem diris devovit Clemens VI.
614. Ob lites cum R. Capitulo Gotofredum Archi-Episcopum constituit ipse, rejecto Mauritio, qui jam a Præposito & reliquis Canonicis, quibus jus eligendi competebat, erat electus.
616. Eadem via incessit in electione Archi-Episcopi *Ger-*
633. *hardi*. Non autem penitus Hamburgi tunc temporis defuisse, qui tyrannidi Pontificiæ resistere conarentur, idque ex ipsis Clericis, probat cum exemplum Engelhardi Arnoldi, egregii veritatis Evangelicæ testis, qui Hamburgi mortuus
667. est, tum quod Franciscani & præsertim Sarabaitæ civitatem excommunicatam contra Archi-Episcopum defen-
592. derint. Idolomaniæ incrementa arguunt novæ subinde institutæ Memoriæ in honorem Sanctorum, sacrificio Mis-
566, 572, sæ colendorum, nec non publicæ Pontificis literæ, qui-
583, 589, bus adorationem hastæ & clavorum, quibus Jesum crucifi-
620, 646, xum opinio erat, Archi-Episcopo Bremensi commendavit &
650, 660, peculiari Festo in omnibus Ecclesiis suis celebrandam præce-
662, 668, pit. Superstitionem indicat non exiguam, quod Co-
670, 627. mes Holsatiæ Adolphus IV Romam pedestri itinere petiit, ut a Papa Diaconus consecraretur, indeque reversus, tum Barnovii in Holsatia tum Hamburgi in templo Cœnobii, ab ipso æ-
571. dificati, missam celebravit. Memoratu digna etiam est superstitiosa peregrinatio, quam Hamburgenses quidam quotannis instituerunt ad adorandum sanctum Christi sanguinem, cujus guttulas in pago Havelbergensi Wilsnacho custo-
664. diri sibi imaginabantur, donec fraus detecta esset. Inter ritus hujus ætatis certiores reddimur de *Scolaribus*, uti
612. vocabantur, *dormitalibus*, quales isti fuerint, & de *Officio Refe-*
663. *ctorio*, cui bono institutum fuerit. Memorantur & alia, quæ brevitatis causa jam prætermittimus.

Sequitur *Tomus III*, mera complexus documenta, quibus historia Seculi XIII & XIV, antecedente Tomo comprehensa, confirmatur, quorum quamplurima dantur typis nondum exarata. Occurrit pag. 139 seqq. notitia de Bibliotheca templi

ad

ad Divi Petri, quæ quinquaginta ſeptem gaudet Codicibus MStis ab Autore B. recenſitis.

In *Tomo IV*, quo finito mox mortuus Autor, *Hiſtoria Eccleſiaſtica* Hamburgenſis Sec. XV, ab Autore B. ex Diplomatibus collecta, ſtatum Eccleſiæ hujus ævi triſtem ſatis nobis repræſentat. Idololatriam ſummum obtinuiſſe faſtigium, docent, quæ excerpſit ex libro antiquo, *Harte Boock* dicto, qui privilegia celebris mercatorum ſocietatis, in Flandria negotiantis, complectitur. Idem probat ſtudium officia Miſſæ Pontificiæ dicata conſervandi & ſtabiliendi novis remunerationibus; unde ſubinde novæ inſtitutæ ſint Memoriæ, Commendæ aliæque ſic dictæ Præbendæ; & præcipue quod autores non puduerit amplius publicis fundationum literis confiteri, beneficia hæc in Clericos ab illis conferri, ut meritis Sanctorum, ſtudioſe hoc nomine & divinitus adorandorum, ſalvarentur; cujus mali documenta hic occurrunt omnibus fere paginis, præcipue pag. 20, 25, 33, 47, 50, 62, 72, 102, 108. Equidem non defeciſſe & tunc Eccleſiam Hamburgenſem viros, qui ſatis ſenſerint errores, in doctrina ingraveſcentes, Concilium Hamburgi habitum, in quo Franciſcanorum deliria: *non licere tenere proprium, neminem perire, qui moribundus veſtitu Ordinis hujus induatur*, & alia, publice ſunt damnata, ſatis evincit pag. 16 ſeqq. non defeciſſe, qui ſenſerint intolerabile Pontificis Romani jugum, gravamina civium Hamburgenſium adverſus Capitulum pag. 92 indicant: deſtitutos autem eos fuiſſe viribus reſiſtendi malo, vel inde patet, quod imperium Pontificis, cum Pius II Eccleſiæ huic Regem Daniæ Chriſtianum I præficeret, & Præpoſiti jura ei conferret, patienter tolerarint, quin imo auxilia belli contra Huſſitas Pontifici ſuppeditarint. Interim aliorum exemplum etiam Hamburgenſes excitaſſe ad emendanda literarum ſtudia, elucet ex nova *Lecturæ*, uti dicebatur, in templo cathedrali inſtauratione & conſtitutione quidem hac, ut Theologiam docentes exercitia inſtituerent diſputatoria, & ex *Vicariis* ſemper adeſſent, qui Opponentium partes ſuſtinerent. Memorabilia Eccleſiæ Hamb. quæ Seculo hoc acciderunt, ſequentia B. Autor nobis ſup-

Marginal notes: p. 6 ſeqq. (beside "tis, complectitur. Idem probat ſtudium officia Miſ-"); 82. (beside "quin imo auxilia belli contra Huſſitas Pontifici ſuppe-"); 32. (beside "ditarint. Interim aliorum exemplum etiam Hamburgen-"); 33. (beside "Opponentium partes ſuſtinerent. Memorabilia Eccleſiæ")

ſuppeditat. Deſcribitur p. 25 puer, a porcis in infantia manibus mutilatus, qui literas pinxerit, p. 75 novum campanæ precatoriæ inſtitutum, a Calixto III, Archi-Epiſcopo Bremenſi, commendatum, & p. 98 hoſtia, quæ a muliere malitioſa ſub Cœnæ S. uſu ex ore ipſius clanculum ſublata, & in horto poſtea ſub radice braſſicæ defoſſa, tempore nocturno inſtar lucis ſplendere cœperit, &, ubi ſacrilegium magis magisque innotuerit, ab Imperatore Rudolpho II, tandem petita & Bibliothecæ Vindobonenſi commiſſa ſit.

JO. PETRI DE LUDEWIG, JCTI, FRIdericianæ Cancellarii, Reliquiæ MSStorum omnis ævi Diplomatum ac Monumentorum ineditorum adhuc.

Tomus IX.

Francofurti & Lipſiæ, 1731, 8 maj.
Alph. 2 pl. 3½.

ITa vero non abrupta (ut videbatur) ſuperiori Tomo, ſed aliis curis gravioribus per hos annos paulum intermiſſa fuit hæc *Reliquiarum* tela. *Juſtiniani M. Vita* & *Juris Publici Singularia*, ſcholæ item Academicæ, Reſponſaque Juris privati ac publici, animum Viri laborioſiſſimi adhuc ita occupatum tenuerunt, ut parum de continuanda hac Collectione cogitaret. Cum autem *Reliquias* in pretio eſſe non ſolum patriæ ac civibus, ſed peregrinis etiam populis intelligeret; noluit dulce hoc literarum otium deſerere, idque eo minus, quod nondum exhauſta ſit ſupellex, imo vix lacunæ in ejus tabulario ita factæ deprehendantur, ob nova ſubinde hujus generis incrementa. Conſtat hic Tomus Libris IV, quorum I continentur *XII Scriptores rerum Danicarum vetuſtioris ævi*. Accepti haud dubie illi erunt orbi literario propter indigentiam, quæ inſignis in ea hiſtoria. *Saxo* enim *Grammaticus*, cui in rebus vetuſtiſſimis unice credendum, ſcriptor eſt admodum fallax. *Huitfeldus* vir doctus rerumque peritus, ſed carior civibus ſuis, quibuscum loquitur in vernacula. *Meurſius* in-

vita

vita Minerva res *Danorum* aggressus, famam, quam in *Græcia* cultæ antiquitatibus sibi pepererat, conatu inconsulto in rebus ævi barbari fere perdidit. *Pontanus* eo quidem plenior, sed parum melior. Proinde in supplementum veniunt Annales, quos recensemus. I Chronicon ab A. 777 ad A. 1307 non Liber I.
est Autoris unius, quoniam ad A. 1046 scriptor aliquis provo- p. 22.
cat ad ea, *quæ ipse sermone acceperit a Rege.* A. 1284 Rex
Daniæ Codici Legum dicitur ex decreto Ordinum novas adje- 14.
cisse Constitutiones. Qua occasione quærit Ill. Editor ex rerum istius ævi ac oræ peritis, an extet hoc Juris Dan. Corpus?
& in quanam lingua? Simul digreditur in privati Juris Dani- 6 sqq.
ci historiam, quia *colligere notisque illustrare constituit veteres quasvis Leges Septentrionalium populorum*, i. e. Gothicas, quarum membranas possidet notæ vetustissimæ, Germanicas gentium diversarum, quæ jam habentur apud *Lindebrogium*, item Danicas, Suecicas, Uplandicas, Anglicas, Scoticas, Francicas, Normannicas &c. ut habeant tandem Germani genuinos fontes, ex quibus Juris patrii & Romani differentias hauriant. Ad id opus, quod jam aliquoties promisit, exhortatur omnes bonos, ut benevoli sint adjutores, dubitat tamen, ob incertam vitæ longioris in sexagenario spem, valde sollicitare viros eruditos. Simul laudat institutum in Daniæ regno consultissimum, quod decreta politica de commodis Reipublicæ, cum rationes eorum pro tempore ac pro re varient, vim juris nunquam obtineant, neque Corpus legum ingrediantur, sicut juris principia, quæ sunt æternæ veritatis. Laudat etiam, quod Novellæ Daniæ Regum omnes singulis fere annis conjunctim edantur. II Chronicon ab A. 1046, sive potius 1446, ad A. 1556. Anonymus hic Danorum Regum ex Oldenburg. stirpe vitas enarrat, Evangelio alias & institutis Lutheri valde infestus. Ad A. 1527 que-
ritur, in comitiis regni Fionensibus Jurisdictionem crimina- 61.
lem fuisse ademptam Episcopis. III Chron. ab A. 1241 ad A. 1410. IV Chron. ab A. 1210 ad A. 1286. V Chron. ab A. 1295 ad A. 1520.
In quo inter alia legitur: Daniam non agnoscere Romanum 124 & 131.
Imperium, neque Feuda Romana sive realia, (i. e. hereditaria) sed tantum personalia. VI Chron. ab A. 1130 ad A. 1300. VII

Chron. ab A. 1274 ad A. 1491. VIII Chron. ab A. 1104 ad A. 1468. IX Chron. ex antiquissimo fratrum Minorum Wisbyensium Diario est ab A. 686, sive potius 1028, ad A. 1400, sed nihil in eo quidem de legibus nauticis. X Chron. ab A. 1444 ad A. 1479. XI Chron. ab A. 1214 ad A. 1252. XII Chron. ab A. 1028 ad A. 1287. XIII Sequitur *Benzo de rebus Henrici IV Imp.* qui Scriptor Italicus, de rebus Germanicis & factiosæ Italiæ, per errorem typographi, in numero & sub rubrica Scriptorum Daniæ habetur. Scilicet ille nunc etiam primum in lucem profertur, novum-
p. 16. que in eo orbi literario nomen exurgit, gaudente Ill. Editore. Atqui ultra biennium *Benzo* jam celebratur ac publice circumfertur in *Menckenii* nostri *Scriptoribus Rer. Germ. Tomo I p. 958 sqq.* notulis valde necessariis D. *Jac. Aug. Franckensteinii* illustratus; ut hoc Opus non ad *Reliquias MSS.* sed ad *repetitiones editorum* referendum esse videatur. Præterea cum Vir Illustris exemplo usus sit minus accurato, lacunisque ac
22. mendis (ut ipse fatetur) deformi, simulque incuria scribæ pessime mutilato; depravationes, quarum innumeras observavimus, solummodo extantiores hic annotare licebit, adjunctis melioribus lectionibus & supplementis quibusdam ex *Menckenio*, quo facilius Lector judicet, utra utri præstet Editio.

Ludew. p. 218 lin. 4: *stultitia subjugatur*; insere, ex *Menck.* p. 957, A: *sapientiæ. Ludew.* ibid. l. 14: victrici *laceo*; *Menck.* ib. C: victrici *lauro. Ludew.* p. 222 l. 3: *Benzovius* catulorum; *Menck.* p. 960, A: *Benzo vice* catulorum. *Ludew.* p. 227 l. 8: *Hos primum ut fines; Menck.* p. 963, A: *Hospni ut Fineas. Ludew.* p. 228 l. 17: in laudem imperatoris. Et nos ergo &c. *Menck.* p. 964, A: in laudem *creatoris, qui contra hostiles impetus reddit terribiles aquilas Christianissimi* Imperatoris. Et nos ergo &c. *Ludew.* p. 231 l. 28: Teutonici: Κύριε ἐλέησον Relso. Sancte Pater &c. *Menck.* p. 966, A: Teutonici *kyrrie leyson helf, o Sancte Petre* &c. *Ludew.* p. 232 l. 27: Romanus, Teutonicis; *Menck.* ibid. C: Romanus *Senatus, Ascendensque equum cum equitibus Romanis,* Teutonicis. *Ludew.* p. 235 l. 12: sicut — — — — cernimus; *Menck* p. 969, C: sicut *fratres mei* cernimus. *Ludew.* p. 242 l. 25: *suis probris*; *Menck.* p. 975, A: *suis-*

suisque presbiteris. Ludew. p. 245 l. 25: cum deficientibus: Ordinate; *Menck.* p. 977, B: cum deficientibus: *Ideoque voce magna clamat Spiritus S.* Ordinate. *Ludew.* p. 247 l. 19: permaneat. Adhuc ita; *Menck.* p. 978, B: permaneat. *Peccatum vero ad mortem dicunt fore spurios ponere in pontificali honore. Quod quia divinæ atque hum. leges contradicunt, ideo non est orandum pro eo. Ad hac* ita. *Ludew.* p. 259 l. 30: velut *in parte Dei; Menck.* p. 986, A: *ut in ima parte diei. Ludew.* p. 262 l. 17: *Homodim; Menck.* p. 987, B: *Homo Dei. Ludew.* p. 275 l. 29: & quid — — — rex in; *Menck.* p. 995, A: & quid *Brennus* rex *Senonum* in. *Ludew.* p. 294 l. 6: se *lacerant; Menck.* p. 1005, C: *in cavernis & speluncis* se *quidam incarcerant. Ludew.* p. 322 l. 16: *mulliformi cogitata; Menck.* p. 1021, B: *multiformi cogitatu. Ludew.* p. 323 l. 21: *venite ad me omnes larvæ calamitatis.* Satis ridicule. *Menck.* p. 1022, A: *venite ad me omnes, qui laboratis, qui trepidatis. Ego autem a vobis auferam omnes larvas calamitatis. Ludew.* p. 325 l. 4: Hujus erant signiferi compitis — — — Sed &c. *Menck.* p. 1023, A: Hujus erant signiferi *saniores Episcopi, hanc firmant suis monitis in urbibus & compitis.* Sed &c. *Ludew.* p. 335 l. 8: *scribens; Menck.* p. 1028, D: *scrobes. Ludew.* p. 347 l. 8: tua *uva; Menck.* p. 1035, C: *tua leva. Ludew.* p. 351 l. 10: *æstavit; Menck.* p. 1038, A: *certavit. Ludew.* p. 355 l. 31: talis: Admiranda. Insere integram lineam ex *Menck.* p. 1040, D. *Ludew.* p. 369 l. 30: *patentibus; Menck.* p. 1048, A: *pontibus. Ludew.* p. 391 l. 14: constituit, *& omni causa; Menck.* p. 1060, C: constituit, *ut omnes in sacre fidei professione sentirent unum atque idem. Ea de* causa reliquit &c. *Ludew.* p. 394 l. 30: ab omnibus *Synodis; Menck.* p. 1062, C: ab omnibus *soluta est Synodus. Ludew.* p. 397 l. 26: insania. Ad vindicandam; *Menck* p. 1064, A: insania, *per excommunicatricem linguam sui preconis profluentis insania.* Ad vindicandam &c. *Ludew.* p. 399 l. 12: pravitates? Ubi sunt illi; *Menck.* p. 1065, A: pravitates? *Ubi sunt Colonienses Herimanni? Ubi sunt Aribones Maguntini?* Ubi sunt illi &c. *Ludew.* p. 405 l. 11: ad scelera, huic hære; *Menck.* p. 1067, D: ad scelera, *ad consilium scri-*

ſcripturæ feſtinus accelera, huic hære &c. *Ludew*. p. 410 l. pen. frater; *Menck*. p. 1070, C:*frutex*. *Ludew*. p. 414 l. 15: umbracula. Ab Henricis. Deſunt lineæ ſex, quas vide apud *Menck*. p. 1072, B. In tot errorum farragine nihilominus habentur quædam loca, leviora tamen & pauca, rectius apud Dn. *Ludewigium*, quam apud *Menckenium*, quæ bona fide annotamus. *Menck*. p. 968, D: ſecavit; *Ludew*. p. 234 l. 17: *cæcavit*. *Menck*. p. 971, D: *donetur*; *Ludew*. p. 237 l. 23: *dominetur*. *Menck*. p. 976, C: non eſt *abire*; *Ludew*. p. 244 l. 14: non eſt *ab re*. *Menck*. p. 980, D: *nati*. Deſunt hic male verba: *qui finita pugna non redibant domum indonati*; *Ludew*. p. 250 l. 17. *Menck*. p. 1011, A: non *veras*; *Ludew*. p. 303 l. 9: non *curas*. *Menck*. p. 1019, A: *ſine* neceſſitate; *Ludew*. p. 318 l. 9: *ſi de* neceſſitate. *Menck*. p. 1020, D: fuiſſet; *Ludew*. p. 321 l. 8: *fulſit*. *Menck*. p. 1038, C: *videm*; *Ludew*. p. 352 l. 17: *vilem*. *Menck*. p. 1044: *morbo* quidem *ſua*; *Ludew*. p. 362 l. 8: *morbi* quidem *ſunt*. *Menck*. p. 1047, D: *amicum*; *Ludew*. p. 368 l. 12: *fumitum*. Apud *Menck*. p. 1069, B, deſunt verba: *ibi ſacrificium. Ubi eſt ſimilitudo*, v. *Ludew*. p. 407 l. pen. *Menck*. p. 1070, A: cum *cano*; *Ludew*. p. 409 l. 21: cum *cæno*. Sed jam ſatis de his.

Liber II. *Libro II* eſt *Dav. Mevii Jus Publicum Pomeraniæ Suec.* ex MSC. Fuit libellus adhuc in Nobilium Pomeran. familiarum pene omnium manibus, nec jura Principum definit, ſed Procerum, omniaque confirmat fide atque allegatione legum
p. 23 ſq. provincialium pactorumque. Hinc Ill. Editor hiſtoriam tradit Juris publici particularis, ejusque fontes ac difficultates exponit. Laudat *Mevium*, quod ſimul Academiis ſimul tribunalibus ra-
27. ro exemplo utiliſſimus fuerit; fatetur etiam, *Meviano ſe debere Commentario ad Jus Lubec.* quod arcana ſibi pateant Ladalis & Germanici Juris differentiarum.

Liber III. *Liber III* comprehendit *LII Diplomata Brandenb.* quæ debemus L. B. de *Gundling*, nuper, non ſine magna literarum jactura, e vita egreſſo.

Liber IV. *Liber IV* eſt Appendix Rerum Danicar. nempe Anon. ab A. 931 ad A. 1218, cum Notis *Henr. Ernſtii*. Prodierat jam Soræ 1646, 8.

Libro

Libro V Diplomatarium miscellum Rerum Pomeraniæ, Misniæ, Thuringiæ, Saxoniæ &c. continetur, cui multa insunt eximia. Num. V in Bulla Sixti IV de A. 1476 dicitur: petiisse Marchiones Misn. ut ipsi de cetero ad Præposituram, Decanatus, Archi-Diaconatus &c. Misenensis Ecclesiæ nominare ac præsentare possint, eo quod Misenensis Episcopatus in eorum temporali dominio sit, & insigne castrum Misenense pleno ad eos jure pertineat, ad dignitates vero illas personæ assumantur Principibus suspectæ, habitantes plerumque in illo castro. Num. IX in Diplomate, quod Carolus IV A. 1361 Monasterio in *Compostolis* (lege: in *Campo Solis*, vulgo *Sonnen-Feld*) Herbip. Diœc. dedit, ita legitur: *aut etiam dicti monasterii pauperes aut rusticos ad judicium, quod usitato nomine* Demto *dicitur* — — — *audeat evocare*. Ill. Editor *Demto* ab Anglica voce *Deme* vel *Demin* (Judex, Prætor,) vel ab hodierna *demmen* sive *dempsen, domare*, i. e. lites componere, derivat. Sed inauditum atque insolens hoc verbum fuit ævo omni, nedum Caroli. Nonnemo nostrum, qui meditatur *Opus de Judiciis Veterum Germanorum*, & plurima eam in rem collegit, nunquam hoc, sed alia omnia vocabula judiciorum se legisse testatur. Scribendum judicamus pro *Demto Centa*, quæ vox in Franconia & circum de Judiciis criminalibus non solum ævo Caroli, sed etiam nostro, est longe usitatissima; quamobrem in nostro etiam Diplomate *quatuor casus* (vulgo *die Cent-Fälle*) eidem judicio reservantur. Levior num. XIV error deprehenditur, sed qui Dn. *Ludewigium* in stuporem rapit. Nam in privilegio insigni, quo Ludovicus IV Imp. A. 1329 oppidanis Misniæ jus acquirendi Feuda equestria indulget, legitur: *Nobilitantes præfatos cives ac oppidanos universos ad qualibet bona feudalia.* Ad quæ verba Præfatio ita notat: *Stupendum est hoc, quod Imperator omnes cives Misniæ nobilitaverit.* Ast non nobilitati sunt cives nostri, sed *habilitati* gratia Imperiali ad Feuda capessenda. Postremo loco adjiciuntur libelli, inter Anecdota referendi. Num. XXII enim sunt acta legationis Wilhelmi Ducis Sax. ad Carolum VII R. Galliæ, de A. 1459, in gravissimo negotio, scilicet propter successionem Bohemi-

Marginalia: Liber V. — p. 659 sqq. — 672. — 35. — 681. — 36. — 708 sqq.

hemicam. Legati egregiis documentis jus Principis sui pro-
p. 713 sq bant in regnum Bohem. simulque in Ducatum Luxenburg. &
conf. 729 sq Comitatus Chinensem & de Rupe, petuntque regium auxilium, praecipue, ut Rex contra vim & insidias Burgundi gwardiam
734. in Ducatu & Comitatibus illis retineat, donec causa Bohemica sit transacta. Numero XXIII autem est Instrumentum de venditione Ducatus & Comitatuum illorum Regi Gall. facta pro 50000 scutorum auri. Res quidem caruit eventu, nihilominus aestimamus haec monumenta Historiae patriae, plurisque aestimaremus, si curatius edita fuissent. Aut enim omnia nos fallunt, aut hinc inde mixta sunt inepte atque misere verba Oratorum Wilhelmi ad Regem, & verba Notarii, sive culpa ea sit scribae, sive typographi. Certe ad Oratores adhuc pertinent, quae in Instrumento p. 725 usque ad finem Tomi habentur; ad Notarium vero, quae in oratione Legatorum p. 714 a verbis: *Ex his igitur caussis* &c. usque ad p. 720 leguntur.

Condonanda haec & alia Viro Illustri ac diligentissimo, qui dum quampluriinis in hujus vitae brevitate monumentis publice prodesse nititur, ipse solus praeesse omnibus nequit, sed multa alienis oculis manibusque credere cogitur. Casus atque infortunium est, quod plerumque opera ineptorum hominum adhuc usus fuerit, qui turpi quadam ignavia non semel gratiam laudemque boni consilii macularunt & dehonestarunt. Precamur ei in posterum felix adjutorium, &, ut *rerum ac verborum Indices*, quos primis *Reliquiarum* Tomis utiliter adjectos probaverunt, postea vero deficere doluerunt eruditi, porro annectantur, magnopere desideramus.

HISTOIRE ROMAINE DEPUIS LA FONDATION de Rome.

i. e.

HISTORIA ROMANA INDE A FUNDATIONE Urbis Romae, cum Notis Historicis, Geographicis & Criticis, Tabulis aeneis, Chartis Geographicis & multis Nummis authenticis; Autoribus Patribus CATROU *&* ROUILLE, *e Soc. Jes.*

TOMI

Tomi XVI.

T. I–XII Lugduni in Galliis, apud Ant. Boudet, 1725.
T. XIII–XVI Parisiis, apud Jac. Rollin & Soc. 1730, 4 maj.
Alph. 52 Tabb. æn. prope 100, præter textui impressas.

ETsi Opus hoc jam gratiam novitatis pæne exuerit; non committemus tamen, ut plane indictum nobis maneat, maxime cum aliquot demum ejus Tomi anno superiore lucem viderint. Dici non potest, quanta fuerit omnium libri, qualem Gallia nondum viderat, per subscriptionis leges imprimendi expectatio, quanto cum plausu Tomos XII priores exceperint Jesuitarum inprimis amici. At cum his Tomis vix annos ab urbe condita sexcentos & septem absolvissent, & adhuc anni circiter centum in Republica libera describendi superessent, quinquennio fere post quatuor alios Tomos haud minores edidere Autores, quibus historiam ad A. Urbis 705 deduxere, ad res C. Julii Cæsaris procedentes, & in Pompeji cæde in Ægypto patrata finientes. Quanquam nondum finiisse Opus dici possunt, etsi multis visum prolixius, quam res postularent, qui & Imperatorum nobis Historiam promisere, laborem haud dubie ita, ut hactenus fecere, partituri, ut *Franciscus Catrou* historiam inprimis componeret, consilia aperiret, insertis passim magnatum orationibus, minime quidem prolixitate tædiosis, prælia inprimis terra marique gesta diserte exponeret, & nihil eorum, quæ notatu digna videntur, omitteret, & *Julianus Rouillé* notas subinde Operi adderet elegantes, quibus quicquid ubique dubiorum moveri potest, accurate explicat ac solvit; quæ cuncta ab utroque figuris æneis, nummis inprimis haud inelegantibus, illustrantur. Nos uti Autoribus de prolixitate, linguæ Gallicæ usu, quem nonnulli paulo nimis solicitarunt, & aliis, quæ iis objecta sunt, litem facimus omnino nullam, suum cuique judicium relinquentes; ita ex Præfatione luculenta nonnulla etiam afferemus, quæ ad Autores inprimis pertinent, quibus usi sunt. Antiquissimis temporibus penes Pontifices scribendæ Historiæ Romanæ potestatem fuisse dum observant, notant simul, eosdem religionis amore

multa admiscuisse prodigia & fabulas, quas *T.Livius* religiose pariter retinuerit, *Dionysius* vero Halicarn. ex Antiquit. suis Rom. plerasque ejecerit. Nostris tamen *Livium* potissimum sequi, adhibita quidem ubique justa Critica, constitutum est, maxime cum unus omnium res Romanas a fundatione urbis ad restaurationem Imperii sub Jul. Cæsare descripserit elegantissime, etsi & a nonnullis Patavinitas ipsi imputetur, ab aliis omissionum ac scientiæ militaris perexiguæ, ac Chronologiæ defectus, quodque nomina sæpe alia cum aliis confundat, accusetur. Jacturam totius decadis & alias lacunas, in *Livio* obvias, suppleverunt feliciter *Dionysius* Halicarn. quo nemo majorem lucem intulit seculis Romæ primis & obscurioribus; *Polybius*, qui procul omni ornatu, quem ab Oratoria petere Historici solent, Philosophus tamen & rerum pæne omnium a Scipione Africano gestarum *αὐτόπτης* ac socius erat, scitissime descripsit; *Appianus*, qui in rebus Carthaginis, Syriæ, Parthorum & Hispaniæ, vita inprimis Hannibalis, *migrationibus* & moribus Celtarum, & in ultimis bellis civilibus populi Romani Nostris multum profuit, etsi Criticis ob siccitatem styli male audiat; *Dio Cassius*, cujus tamen major usus Nostris in Historia Imperatorum erit; *Plutarchus*, cujus vitæ illustrium Romanorum cum Græcis comparatæ, multum utilitatis præstiterunt Autoribus nostris; *Diodorus* item *Siculus*, quem tamen rarius secuti in notis sæpe refutarunt, & *Zonaras*, quem non negligendum plane putarunt in rebus, quas ex optimis MSptis, quibus sub Alexio & Joanne Comneno uti potuit, protulit, ut *Sallustium*, quem Nostri *Livio* præferunt, & *Jul. Cæsarem* nunc taceamus. Quod ad Chronologiam, multum sibi in annis Urbis designandis profuisse testantur *Marmora Capitolina*, quæ & *Fastos Consulares* & *Tabulas triumphales* vocant alii, sub *Paulo III* A. 1545 Romæ effossa, & ab eruditis illustrata, quod in iis Consules quovis anno creati nominarentur, autorem tamen eorum nec *Verrium Flaccum*, nec *Pomponium Atticum* solum fuisse sibi persuadent. Nec minorem curam habuere Geographiæ, in veteribus *Ptolemæum*, *Melam*, *Plinium*, *Strabonem*, in recentioribus *Cluverium*, *Ortelium*, *Brietium*, &

& *Kircherum* inprimis ſecuti, & varias Tabulas Geographicas, a celebri quodam Academico denuo deſcriptas, paſſim inſeruere.

COPIA DI LETTERA &c.

h. e.

APOGRAPHUM EPISTOLÆ ALETHOPHILI cujusdam, ſcriptæ ad amicum; in qua continentur variæ Obſervationes Criticæ, pertinentes ad Hiſtoriam Romanam, a R.R. P.P. CATROU & ROUILLE, Soc. Jeſu Presbyteris, Gallice condi cœptam.

Sine loco & Conſule, 4.
Pl. 8 & dimid.

SOlent plerumque, qui Annalibus literariis condendis operam adjungunt, non majoris tantummodo molis Operum, ſed & levioris quandoque ponderis ſcriptionum rationem haud plane inconſulto habere; ſi quidem illæ ita comparatæ ſint, ut ex earundem notitia ad poſteros transmiſſa aliquis redundare fructus poſſe exiſtimetur. Iidem vero ſimul etiam non negligunt ſedulo commemorare, quæ cauſa autorem quemcunque ad ſcribendum impulerit, quemque is in publicum prodeundi finem conſtituiſſe ſibi profiteatur. Utriusque huius, non tam inſtituti laude digni, quam potius officii, partes & nos itidem hac vice explere ſtudebimus. Equidem hoc a nobis ne quæſo poſtulent Lectores, ut ſive Autorem præſentis *Epiſtolæ*, ſive impreſſionis locum ac tempus conjectando eruere inſtituamus. Poſtremum ex mox referendis ipſi facile colligent rerum ætate proxima in literata civitate geſtarum haud prorſus expertes. Locum vero definite cognoviſſe parum admodum, ſi quid judicamus, negotii, quod hic agitur, intereſt. De Autore denique hariolentur, ſi velint, ipſi nimium curioſi; ſive etiam poſſint, veſtigiis jam modo proponendis adjuti. Luſtra aliquot abierunt, ex quo monachus aliquis Italus, *Granara* nomine, cepit *Hiſtoriæ Romanæ a gentis initiis*

ad Imperii usque occasum Italica lingua ſcribendæ conſilium; aſſumtis in ampliſſimi laboris ſocietatem quibusdam amicis. Perhibetur primus Operis Tomus jam integris decem abhinc annis Cenſorum Romæ carceribus exſolutus preloque paratiſſimus. Percrebuit interim, ut fit, ejusmodi inſtituti rumor ad Gallos; quos inter, dum Autor Italus ab illo perficiendo emittendoque prohibetur varii generis cauſis, inventi ſunt duo Societatis Jeſu Presbyteri, *Catrou* & *Rouillé*, qui, æmulo ſtudio, eandem telam vernacula ſibi lingua pertexendam ſuſciperent. Hi, quod ait *Alethophilus* noſter, *Granaræ* debitas laudes prærepturi, omni opera hoc egerunt, ut emitterent in vulgus, quam poſſent, feſtinatiſſime *Hiſtoriæ Romanæ Syſtema*, quomodocunque compoſitum. Paucorum illi annorum ſpatio duodecim integra Volumina typorum beneficio exhibuerunt, non niſi res ab urbe condita ad annum usque 607 inter Romanos geſtas complexa; ſi eodem tramite percurſuri ſint, vix octodecim adhuc aliis Voluminibus penſum, quod ſupereſt, *exhaurire valentes*. Translatum interea hoc Opus ultra Alpes mirificum non ſolum plauſum, imo vero ſummam admirationem excitavit apud quamplures Italos, Gallici nominis magis, atque par fuerat, ſtudioſos. Male hæc res admodum habet *Epiſtolæ* noſtræ conditorem, quod ſolida cauſa deſtitui ipſi videatur applauſus iſte atque admiratio, cœco primum impetu concepta, & vulgi, antecedentem gregem ſequi conſueti, more ac ſtudio diffuſa latius. Igitur ut meliora doceret Italos ſuos, proponere ipſis voluit *Obſervationes* iſtas *Hiſtoriæ Romanæ Criticas*, quibus probe ponderatis, mirari deſinerent in poſterum, de *Granaræ* autem Opere proxime edendo optime ſperarent, quam primum is emiſerit *Scriptionem de Origine Romæ Urbis proluſoriam*, occaſione dubiorum, circa hoc argumentum ab illuſtri *Scipione Maffeo* in Commentatione *de Italis primitivis, ſive Etruſcorum Latinorumque Originibus*, quam Latine a pereximio Collega quodam noſtro redditam ſuperiori *Menſe Junio p.* 277 commemoravimus, erudititiſſime motorum, elaboratam. Hic finis eſt, Lector, *Epiſtolæ* præſentis, quæ ſive ipſum *Granaram*, ſive quendam ipſi admodum amicum, & univerſi inſtituti gna-

gnariſſimum, autorem habeat, nobis quidem perinde eſt. Jam vero par fuerit, & de ipſis quoque *Obſervationibus Criticis*, more noſtro, quædam ſummatim referre. Primo loco hoc ſtatim offendit *Alethophilum*, quod nimii prorſus fuerint Duumviri Galli in adſpergendis ad calcem narrationis ipſiusque textus notis ampliſſimis. Hoc autem, quicquid Autores ipſi de neceſſitate hujus rei dixerint in Præfatione, tum vanum, ac ad oſtentandam unice, licet utplurimum ἀτόπως, priſcæ eruditionis copiam comparatum, tum ſuperfluum, atque exigui maximam partem momenti negotium Noſtro quidem videtur; quæ ne gratis dixiſſe exiſtimari poſſit, exemplis admodum luculentis comprobat. Accedit, quod una interdum nota ab altera, paginis aliquot interjectis collocata, prorſus iterum convellatur, cum contraria plane antea dictis exhibeat, alia vero, quæ omnino nihil ad rhombum faciunt, contineat; v. c. ubi injecta ſuo loco *Fauni*, priſci illius Latii Principis, mentione, in addita nota lectores de *Faunis* ſatis incommode admonentur, quos Deos ſylveſtres credidiſſe, & in lucis conſuluiſſe Italos antiquos accepimus. Idem porro, quod notas, ipſum quoque contextum haud raro deturpat, Noſtro judice, contradictionis moleſtæque repetitionis vitium. Quis denique ferre poſſit lector paullo intelligentior immanem fere priſci ævi nummorum copiam profuſam, qui tum ubique proſtant in Antiquariorum libris, tum quandoque etiam nihil minus probant, quam cujus probandi cauſa adducuntur. Quæ quidem ita facta eſſe Noſtro videntur, ut ſingula obelum effugere vix poſſint, neque iniquum adeo ſit majoris accurationis deſiderium, imo vero potius optandum, ut non tam de ampliſſimis quoad externam ſaltim molem Commentariis publice proponendis ſolliciti magis eſſe velint *Patres Galli* in poſterum, quam de illis limandis poliendisque exquiſitius, ut in mediocri etiam corpore major virtus appareat. Nos vero quemadmodum de cenſuræ hujus æquitate exiſtimare volumus ipſos Gallici Operis lectores; ita hoc tacere non poſſumus, excidiſſe hinc inde *Alethophilo* quædam, quibus abunde prodiderit, ſe non extra omnes partes poſitum aut plane æmulatione vacuum

Ttt 2 Ἐπιχει-

Ἐπίκρισιν hanc composuisse. Ceterum Cl. *Granara Historiam Romanam*, Italico sermone scriptam, atque nuper demum singulari scheda publice iterum promissam, avide exspectamus.

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI JOANNIS BAPTISTÆ BRASCHII, Episcopi Sarsinæ, Comitis Bobii, Ecphrasis Iconographica de tribus Statuis in Romano Capitolio erectis A. 1720, dicata Em. ac Rev. D. D. S. R. E. Diacono Cardinali, JULIO ALBERONIO, sumptibus D. ANSOVINI URBANI typis edita.

Romæ, ex typographia Komareck, 1724, 4.
Alph. 1 pl. 5 Tab. æn. 1.

AUtor Reverendissimus, qui & seculum præsens ornat & sæpius artem typographicam præclaris suis Operibus honoravit, elaboratissimam & demorsos sapientem ungues de tribus illis Statuis Commentationem Doctori *Ansovino Urbano* dederat in donum, ut faceret de illa, quicquid potius cordi foret. Viri, qui de ingeniis & eorum fœtibus historicis Romæ judicia ferre norant, librum, perlectioni ipsorum permissum, esse dignum, qui in lucem ederetur, judicarunt ad unum omnes. Impulsus horum studiis fuit D. *Urbanus*, ut eum juris faceret publici, & Eminentissimo Purpurato Patri *Julio Alberonio* dedicaret. Materiem & occasionem limatissimo scripto tres illæ suppeditarunt Statuæ, quas in Tabula III Fig. 1, 2, 3, vides expressas. (TAB. III. Fig. 1, 2, 3.) Hasce in sumptuoso ædificio, quod in atrio sinistro ad lævam ædium Capitolinarum introrsus patet, ad augendam Capitolii majestatem summus Pontifex Clemens XI, dignitate & doctrina ad omnem ætatem inclytissimus, A. 1720 erigi, & ab Autore spectari, suisque illustrari data occasione Commentariis, jusserat. Sic facta est accessio ad descriptiones Capitolii, a viris doctissimis, & haud ita pridem a Cel. *Montfauconio* in *Diario Italico* Cap. XIII p. 169 sqq. susceptas. Excerpemus ex *Ecphrasi* more nostro potiora, ac, ut ea, quæ publi-

publico Romæ ornamento inserviunt, notitiæ serviant omnium, conjungemus in recensione compendium ejus cum reliquis, quæ *Melchior a Briga* in Epistola adjecta p. 201 sqq. monuit. Ex utroque enim latere Statuarum, de quibus mentionem facimus, sub eodem peristylio sese oculis objiciunt duo simulacra, amiculis, ad talos descendentibus, amicta. Amicula adeo tenuiter arcteque corpori inhærent, ut nuda esse videantur simulacra. Repertum fuit utrumque A. 1710 in urbano nobilis familiæ de Verospiis prædio prope forum Sallustii, ubi olim fuerant horti Sallustiani, non longe a porta Quirinali. Ipsa esse originis Ægyptiacæ, persuadent hieroglyphica, utriusque simulacri dorso impressa. Quod a sinistra positum, marem refert, & zona quadam cingitur, notis hieroglyphicis referta, quas R. P. *Melchior a Briga*, decus Ordinis Jesuitarum, ingeniosissime exposuit in folio, cui inscriptio: *Farcia Isiaca Statua Capitolina*, quam hisce *Actis* nostris inseruimus *A. 1722 Mens. Nov. p. 536.* Simulacrum, a sinistra positum, feminæ potius reddit speciem, quam maris. Ad calcem libri p. 201 sqq. apparet Epistola ejusdem *Melchioris a Briga*, anno 1723 Florentiæ ad Autorem de duabus illis figuris Ægyptiis marmoreis scripta, qua ille declarat, eas fuisse elegantissime descriptas a doctissimo Præsule *Francisco Blanchino*, sese autem Romæ rogatum, ut mysticos characteres illius zonæ exponeret. Intellexit idem, postquam *Isiaca Fascia* interpretationem adornaverat, eam sine artis hieroglyphicæ rudimentis præsidiisque non posse percipi. Quare, cogitasse se, addit, de conscribenda Ægyptiorum Theologia, eique adjungenda eorundem Astronomia, incertus, quando ultimam cœpto manum liceat admovere, quod ut ei feliciter eveniat, merito propitiam viro ad summa nato apprecamur valetudinem. Miratur idem, esse, qui utraque Statua exteriori Deam Isidem repræsentari existimet, cum sexus masculus in altera satis pateat. Materiam Statuæ utriusque Ægyptiæ habet pro durissimo Sienite lapide, qui Græcis πυροποικιλος appellatus sit, quibusdam quasi ignis maculis distincto, teste *Plinio* Hist. Nat. L. XXXVI Cap. 8. Maculae non ignem modo, sed nonnullæ etiam earum vi-

trum pellucidum aeremque craſſiorem, aliæ aquas cæruleas; aliæ fuſcum telluris colorem, repræſentant, ut ita uno lapide dominatus *Oſiridis* ſeu Solis, cui Obeliſci erant ſacri, in quatuor elementa, autore *Kirchero*, ſignificaretur. Igitur, Statuas eſſe ſymbola *Iſidis* vel *Oſiridis*, Autor negat, ſiquidem illi color albus, huic niger, fuerit proprius, propendens potius in eam ſententiam, Ægyptium exhiberi Sacerdotem. Id porro conficit ex vittis brevioribus ad utramque aurem pendentibus, nullo charactere variegatis, totidemque aliis a tergo ad talos demiſſis, quibus hieroglyphica inſcripta. Brachia pendula, & femori affixa, loqui morem ſtatuariæ antiquiſſimum; namque Dædalum omnium primum, teſte *Diodoro Siculo*, manus & brachia a reliquo corpore ſejunxiſſe. Forma procera & gracilis perhibetur quadrare in Sacerdotem, abſtinentiæ ciborum & cœleſtium rerum curæ intentum. Atria templorum in Ægypto ad docendam juventutem ſtatuendis ejusmodi ſimulacris fuiſſe deſtinata, addit Vir præſtantiſſimus; *ipſa vero Romam* fuiſſe paſſim translata, tum ex amore in ſacra Iſiaca Antonino, Hadriano & Commodo maxime probata, tum ad delubrorum, domorum atque hortorum ornamenta. Epiſcopus Reverend. *Braſchius* paucula de duobus ſimulacris Ægyptiis attulit p. 4 ſq. viresque eo latius explicavit in enodandis Statuis tribus ceteris. De hiſce non omittendum, quod ex tribus diverſis locis ante annos 190 circiter a Cardinali *Paulo Æmilio Ceſio* fuerint conquiſitæ. Differendum primo de figura ac ſpecie uniuscujusque ſeorſim. Addemus ad poſtremum ex *Braſchio* expoſitionem, qui lectoris animum allicit verbis ſeſamo ac papavere ſparſis, percellit verſibus Poetarum, in loco allatis, iisque acutiſſimis, & retinet intextis antiquitatis Romanæ ſpeciminibus luculentiſſimis, torporemque abſtergit doctrinarum varietate, v. c. de diademate & coronis veterum, de Dacia antiqua & Mauritania, ac utriusque Regibus, Regumque illorum hiſtoria. Rariora iſthæc Emblemata apud Autorem ipſum ſunt videnda. Statua media præfert feminæ, florentis ætate, imaginem. Gravitatem, honeſtatem ac majeſtatem communi copula hic conjunctam adſpicis. In capite

caſſida

caſſida militaris, cui ſuperimpoſitum adhæret ſchema Sphingis, quod plumis expanſis juxta ac elatis, & a ſummo ad imum per conum ipſius galeæ defluentibus, eſt tectum. Ipſa inſidet ſolio regali. Tergo hæret affixum mediocre tergi reclinati ſtatumen. Subter ſubſellio clypei, loricæ, galeæ, pharetræ, ſagittæ, paludamenta complicata & alia belli inſtrumenta jacent. Symbolum ubique fulget urbis victricis, quæ eſt cum imperio. Brachium dextrum ad manum a cubito inde eſt detectum. Cubitus ſiniſter innititur ſtatumini, tergo quod reclinanti oppoſitum. Veſtimentum conſpicis abſolvi tunica interiori, ad terram deſcendente. Pectus tenui & ſinuoſa zona præcinctum. Scapulas a collo usque ad pectus contegit indumentum, ab eadem interula ſeu tunica interiori diſtinctum, variis rugis undulatum & ſupra brachium dextrum compluribus fibularum globulis adſtrictum. Ea videtur eſſe quædam exomidis ſpecies, vulgo dictæ *Mozzetta*, ante pectus clauſæ, qualis in effigie Palladis obvia eſſe conſuevit. Collum nudum & monilibus vacuum. Internodia manuum armillis carent. Capilli ſub caſſide latent revoluti. Aures patent, nec ullus inde pendet luxuriæ ſplendor. Vultus eſt elegans, pectus modeſtum. Humeri, fortitudinis plus, quam voluptatis, indices, amplo teguntur velamine, quod veſtibus incumbit inferioribus. Incertum eſt Autori, ſitne epitogium, an chlamys, an paludamentum. Ipſum certe a collo per humeros ad terga defluit, ſiniſtrum obvolvit brachium, infraque revolutum per corpus, laciniarum fluctibus luxurians, per genu ac crus dextrum dependet, atque tandem ſupra lævam coxendicem in rugas collectum definit. Siniſtra oſtentat pugionem, vaginæ gemmatæ inſertum, cui alias nomen eſt *parazonii*. Capulus introrſum ad corpus vergit; cuſpis extrinſecus proſpectat. Dextera præfert ramum lauri, in modum circuli vel corollæ complicatæ. Digitus index ad ſtylobatam ſubjectam intenditur. Obtutus oculorum eodem paullulum reſpicit. Pes uterque detectus; ſed more Romano indutus caligas. Dexter introrſum flexibilior magisque retractus; ſiniſter ad extima ultra limen pladiſphærii porrectus. A parte exteriori ejusdem ſtylobatæ eminet

net cælata feminæ mœrentis figura, alta tres palmos. Caput usque ad frontem contectum, & lævæ innixum, dextera super genua recumbit. Ipsa sedet humi in squalore inter sulcos & sterilitatem. A tergo feminæ huius lugentis tenuissima ars adumbravit bellicam supellectilem variam. Ipsa induta est tunicam talarem, cujus fimbriæ terram contingunt, renibus præcinctam,& ad manuum internodia constrictam. Injecta est tunicæ alia diplois, per corpus totum extensa. Pedes in extremis oris prominentibus ostendunt calceos. Statua secunda a dextris utriusque feminæ collocata,& ex marmore nigro Ægyptio seu Luculleo facta, insistit erecta basi saxeæ exiguæ quadrangulari. Ipsa æquat XIII palmorum altitudinem. Caput est nudum, lemnisco seu fascia circumcinctum. Singula designant marem,eumque Regem. Capillos habet breves,villosos, impexos. Mystax prominet hirtus, intonsus & deorsum retortus. Barbam cernis æque villosam, minus amplam, a genis & mento serpentem magis ac cito deficientem, quam *late* sparsam. Aures utrimque patent, inauribus vacuæ. Facies ætatis provectæ index. Corpus nervosum validumque. Obtutus humilis. Tunica interior de collo per corpus diffluit, utrumque genu superat, a lateribus clausa, ad lumbos beneficio zonæ latioris præcincta exsistit. Femoralia sunt perampla, tibialibus conjuncta, & ad talos usque protensa. Pedibus calcei circumdati, qui femoralium sunt ex materia. Solearum orbita, superius revoluta, adstringitur *vinculo coriaceo*, eleganter scalpto. Utrique humero inducta est chlamys regia seu paludamentum, quod supra humerum dextrum vincit fibula gemmata. Cetera oculis sat patent. Tertia tandem Statua, ad sinistram feminæ galeatæ collocata, altitudinis, materiæ, formæ gestusqne est ejusdem. Capilli tamen apparent magis hispidi, mystax densior, barba densa, inculta, contracta. Tunica hinc inde ad extrema laterum est aperta. Figura mascula utraque est mutila; secunda brachio uno; tertia utraque tantum manu. Caput utrimque apertum. Hæc ad simulacra, quorum formam Autor Cap. 2,3, fuse edisserit. *Sic oculos, sic illa manus, sic ora gerebant.* Juvat nunc breviter percensere Autoris

men-

mentem de ſenſu & ſcopo iſtarum Statuarum. Prima, feminam galeatam repræſentans, ſymbolum omnino eſt urbis dominæ ac victricis, de hoſte triumphantis. Regio devicta exprimitur per figuram mulieris mœſtæ, ad ſtylobatam rejectæ. Sphingem fuiſſe ſolertiæ & ſagacitatis ſignum, galeam virtutis, paludamentum expeditionis bellicæ ac imperatoriæ, lauream triumphi, pugionem poteſtatis, conſtat facile inter omnes. At pugio, alias dextra geſtari ſolitus, hic occupat ſiniſtram; laurea contra dextram. Pax enim & triumphus bello eſt potior, ſeu, uti Autor exponit p. 43, finis medio nobilior. At unde conſtat, notari hac Statua Romam, victore Trajano de Rege Daciæ Decebalo triumphantem? Sagaciſſimus Autor id ex habitu feminæ ſqualidæ ac devictæ colligit, ac ex Columna Trajana. In hac enim Dacia inſtar mulieris exhibetur, veſtitæ tunica manicata, ſinuoſa, ſuccincta & ad talos demiſſa, ac lineo capitis tegumento. Idem hic habitus. Idem comprobatur porro ex figura clypeorum exagona vel ovali, ex draconis ſigno, quo Daci pro vexillo uſi, aliiſque momentis. In- p. 51. texit Autor nonnulla de antiquitate inſignium gentilitiorum, de quorum origine vix quicquam certi determinare licet, niſi inſignia vexillorum, imaginum, annulorum, mo- 48 ſqq. nogrammatum, vaga & fixa, ordinata in figuram clypei, & nonclypeata, diſtinguamus. Memorat Autor Reverend. porro bella Romanorum cum Dacis, exorſus inde a Daciæ ſitu & Augu- ſti ævo Cap. 7. Addit duas Trajani expeditiones Cap. 8, 64 ſqq. quas exornat Inſcriptionibus veterum in Trajanum factis. Conjectat dein Cap. 9, Statuam, victoriæ indicem, erectam fuiſſe in thermis Trajani, de quibus exquiſitiſſima, nec non de ejus foro inexſpectata profert. Additur comparatio hujus Statuæ cum ſculptura columnæ Trajanæ, & inſtituitur digreſſio de ritu ponendi bene meritis Statuas Cap. 10. Subjunguntur 90 ſqq. tandem geſta & fata Decebali Cap. 11. Exponuntur Cap. 12 acta Carthaginenſium, nec recentiora Vandalorum in Africa negliguntur fata. Progreditur Autor Cap. 13 ad Reges Numidiæ, & in ea eſt conjectura, ſecunda Statua exprimi victum Syphacem, tertia debellatum Jugurtham. Favet con- 124 ſqq.

p. 23. jecturæ historia, habitus Regum, sagum purpureum, fibula chlamidis in dextro humero, cum Orientales in sinistro
25 sq. ope ejus chlamidem constringerent, nudum caput Afri-
27. canorum, mystax & barba Africanæ terræ. Pergit Autor fata Syphacis enumerare Cap. 14; Genealogia Regum Numidiæ inseritur ac exponitur Cap. 15; inprimis Jugurthæ adduntur fata Cap. 16. Operæ etiam pretium est, res gestas & fortunam Marii repetere ex Cap. 17. Syllæ, qui Jugurtham penitus devicit & captivum duxit, vitam vides enarrari Cap. 20. De brachiis & manibus abscissis agitur Cap. 19, 21. Neutri, Jugurthæ & Syphaci, amputatæ supplicio manus. Unde Cap. 22 colligitur, artificem sculptorem manus deficientes voluisse supplere alio marmore vel metallo. Fortassis alii augurabuntur, incuria & sævitia hominum accidisse illam mutilationem; alii contra conjectabunt, defectum manuum designare ademtam potestatem regiam. In Capite 1 §. 20 p. 11 latet erratum descriptoris. Legendum enim ibi est: *Dipnographia, qua de conviviis; Hymenographia, qua de conjugiis & nuptis agit: Endymatographia, qua de vestibus & indumentis pertractat: Dulographia, qua de servis loquitur.* Sed hic nævus pro nihilo est reputandus, si respicimus ad opes ingenii, undiquaque locupletissime exsplendescentes. Ceterum de libro nostro illud notamus, etsi prelo jam A. 1724 sit absolutus, publici tamen juris factum vix ante annum esse.

FRANCISCI ANTONII SPADA, SACERD. S. Theol. & U. J. D. Antelucanæ Vigiliæ, sive Exercitationum Libri III.

Viennæ, typis Joannis Petri van Gehlen, S. Cæs. Reg. Maj. Aulæ & Universit. Typographi, Liber I & II 1725 & Liber III 1729, 4. Alph. 3½.

JUventutis ingenuæ commodis qui ita inserviunt, ut & provectiores ætate utilitatem inde capere possint, non ultimam, sine dubio, laudem merentur. Huic curæ maxime invigilasse videtur harum nobilissimus *Vigiliarum* Autor, dum librum

brum hunc, in charta satis nitida, excudi curavit. At longe ille majorem olim fructuosioremque laborem aggressus fuerat, quo prius de naturali hominum societate, dein vero de Civili prudentia, posteaque de universo Jure, ac tandem de vera Ecclesia, sermo instituebatur: ut adeo & *Philosophum* gravissimum, & *Politicum* egregium, & eximium *JCtum*, & *Theologum* ὀρθοδοξότατον se præbuisset Nobiliss. *Spada*, qui scriptionem istam adeo continuo prosecutus erat, ut pauca ad absolvendum excellentissimum Opus deesse viderentur. *Sed proh dolor!* inquit ipse Autor in Præfatione libri nostri, *facto quodam nupero ex Italia itinere, cuncta intercidere & nulla profuit diligentia, nullæ impensæ, nec summorum Virorum autoritas; nil enim Ferrariæ, ubi in maximum hoc infortunium incidi, aliquid intentatum reliqui; hinc animum pene despondi, nullumque aliud solamen erat, nisi de iisdem rebus sermones cum amicis habere sæpius.*

Ex hisce sermonibus, quos inprimis cum Nobili adolescentulo Hungaro, *Josepho Czobor*, Comitis *Marci Adami Francisci Czobor de Czobor, Szent, Mihalii Arcium, & Dominiorum Sassin, Holies, Ellesho, Szomolanii, Visenez & Joko hereditarii Domini* &c. filio, vel prima juventa ad virtutis exemplar composito, sæpe Autor, cum utroque mensæ accumbens, conseruit, quasi tabulis e naufragio servatis, exædificatum hoc Opus est, quod, testante Sciagraphia, sive *Indice* præmisso, tribus libris constare debuit, ita ut *Liber I, de Natura Hominis deque Civili Societate*, contineret Exercitationes quatuor: *unam* de Facultatibus Humanæ Naturæ, *alteram* de Justitia Hominum Naturali, *tertiam* de Vita beata Sapientis, *quartam* de Civili Disciplina; *Liber II, de Ortu & Progressu præcipuarum aliquot Europæ Civitatum*, quinque sisteret Exercitationes; 1) de Civitate Romanorum; 2) de Civitate Lacedæmonum & Atheniensium; 3) de Civitate Venetorum; 4) de Hebræorum Civitate; 5) de præcipuis Europæ, quæ nunc florent, Civitatibus; *Liber* denique *III, de vero Historiarum usu*, Exercitationes complecteretur octo; 1) de præcipuo Historicorum fine; 2) de recta Historiarum methodo; 3) de

ratione temporum; 4) de Populorum moribus & ingeniis; 5) de quatuor Monarchiis; 6) de Historia Legum; 7) de Historia Naturali; 8) de Historia sacra.

Sed frustra sis, L. B. si hæc omnia in *Vigiliis* hisce, quas jam manibus versamus, quæras. Integer *Liber III, de Historiarum Usu*, nuspiam apparet, & vel sinistro quodam fato iterum interceptus, vel adhuc nobis exspectandus est; *Libri II* quoque Exercitatio 5, *de præcipuis, quæ nunc florent, Europæ Civitatibus*, solam exhibet *Germaniam*, sed justæ molis Volumine & magno conatu ab Autore nostro, licet, ut ipse in Epistola ad *Germaniæ Proceres* fatetur, *privato & externo homine*, expositam. Reliqua satis recte se habent: verum instituti & legum, quibus utimur, ratio singulas Exercitationes sive Philosophicas, sive Politicas, sive Historicas, recensere nobis haud permittit, facturis alioquin operæ pretium & rem, tum eruditione Nobilissimi Autoris, qua plerosque ordinis sui scriptores antecellit, tum singulari industria, quam *colligendis* contrahendisque tot Civitatum Historiis adhibuit, condignam. Dabimus tantum specimina quædam, ex ipso libro excerpta, unde vel de stylo, vel de philosophandi ratione, vel etiam de Civili doctrina & Historica scientia Autoris nostri utcunque judicium ferre, Lector, possis.

Libro I Exercitat. 1, quæ *de Facultatibus humanæ Naturæ* agit, statim ab initio quæstio est: quomodo mens humana corpori immersa, in materia veluti sepulta & rebus externis obruta, ad cognitionem veri eluctari queat? Hanc quæstionem satis scientifice Nobilissimus Autor noster expedit, *cum igitur*, inquiens p. 2, *ipsæmet rerum externarum imagines, perturbationes cupiditatesque oriri faciant; efficax requiritur mentis motus, ne illis, ut sæpissime accidit, trahatur; qui licet primo tædium laboremque oriri faciat; si tamen in contemplatione reflexioneque persistat, jam affectiones ipsas, quin verum agnosceret, impedimento sibi fuisse percipiet; unde illas aversatur ac fugit; cumque alio excitari motu adversaque incipiat affectione percelli, ac ipsam veritatem velut a longe salutare, suavi quadam solidaque oblectatione afficitur;*

qua-

quare ad ipsum assequendum verum magis magisque, ut bonum, impellitur; partim igitur pravis affectibus, ut navis in medio mari perculsa ventis, in scopulos incidit vitiorum; partim lumine rationis illucescente, coercitaque ventorum, vitiosarum scilicet perturbationum, vi, portum respicit veritatis; aliisque, veluti propitio Zephyro, ipsa mentis navicula ducta motibus, illum appellere satagit.

In *Libro III*, qui *de Germania, cum Veteri, tum Nova*, tractat, contra *Pufendorfium*, sub *Severini de Monzambano* nomine latentem, ut qui non erubuerit Germaniæ Civitatem *Corpus irregulare* dicere, adeoque *Monstrum* appellare, acriter Autor disputat, atque tandem p. 65 σοφῶς rem ita definit: *Nos igitur Constitutionem ipsam, Leges, sancitasque Paces, Feudorum nexum, ipsamque Territorialem potestatem, velut partem toti subordinatam, attendentes, certam atque regularem agnoscimus formam Monarchiæ atque Aristocratiæ cinno temperatam; adeo, ut mixtione sua nec Majestati Regiæ aliquid detrahi, nec Ordinibus in participatione publici Regiminis deesse quicquam, proportione quadam Geometrica, videatur.* Ejusdem Libri p. 247 miratur, ex *Lutheri* doctrina non tot sententias, quot capita, in singulis mysteriis insurrexisse: *Cum non summus Pontifex, non Traditio, non Patrum autoritas, Conciliorum sanctiones, quicquam momenti facerent: sed statim Purgatorium, sacrosanctum Missæ Sacrificium, Vota, pro figmentis habita: nullus Monachorum Ordo, nullæ Leges, nec Sacramenta, præter Baptisma & Cœnam Domini, nulla denique in terris Ecclesia, cui infallibilitatem Dominus largitus fuisset; sacer duntaxat Codex, suo sensu intellectus, Fides esset.* Hunc Codicem sacrum vernaculo sermone vertisse ait *Lutherum, ut suo commodo ad hæreses firmandas detorqueret:* eundem ipsum *seditiones Rusticorum*, per Sueviam atque proximam Germaniæ partem, quæ Danubio alluitur, *non improbasse*, p. 249 asserit, ut quæ *effectus dogmatum Lutheri* essent. Sed hic *Spadam* non Historicum, non Philosophum, non JCtum, sed Theologiæ cultus sui Doctorem atque Sacerdotem, agere voluisse putamus.

Ceteroquin in Historia, præsertim gentium exterarum, labi facile est; adeoque condonandum Autori, præter alia, quod p. 129 originem factionum *Guelphorum* atque *Guibellinorum* ad prælium, prope *Würtzburg* commissum, refert, cum prope *Weinbergam* dicere debuisset. Illud magis dolendum, quod per omnem scriptionem tot tamque fœdi errores irrepserint, ut vix paginam legas, qua non Latinitas alicubi exulare videatur: cujus mali tamen culpa maximam partem ad Typographum pertinet, qui pessimis modis & librum & Autorem tractavit, unde ex solo Libro III, sub finem, *136 sphalmata graviora*, in Indicem expurgatorium relata videas, quæ & ipsa aliquando non in melius, sæpe in pejus etiam, mutata mireris, e. g. fol. 3 lin. 3, *advertunt* leg. *advertunt*; fortasse *animadvertunt;* fol. 48 lin. 33, *Teeloniorum*, leg. *Thelonorium*, pro *Teloniorum;* fol. 119 lin. 2, *Ravennensi*, leg. *Ravennatensi*, pro *Ravennate.* Interim persuasi sumus, librum hunc, ob rerum varietatem, a multis avide lectum iri, & juventuti, præsertim Hungaricæ, magno usui futurum.

JOH. FRIDER. CHRISTII DE NICOLAO MACHIAVELLO Libri tres; in quibus de Vita & Scriptis, item de Secta ejus Viri, atque in universum de Politica nostrorum post instauratas literas temporum ex instituto disseritur, Historiæque Civilis & Literariæ passim ratio habetur. Partim jam primum editi, partim iterum cusi auctiores.

Lipsiæ & Halæ, apud Joh. Christoph. Krebsium, 1731, 4.
Plag. 21.

NOn eorum tantum, qui in literis versantur, sed, quicunque honestatem & virtutem amant, omnium laudibus illi merito judicantur dignissimi, qui, bonæ mentis & pietatis quodam ducti stimulo, afflictam misere turpiterque prostratam optimorum hominum causam erigere, & suæ restituere integritati, conceptasque de illis opiniones vulgi, iniquas nimis & adversas, idoneis firmisque rationibus convellere, & malevolorum

lorum occurrere calumniis instituerunt. Multiplicem hi, quem expectare possint, præstantissimi laboris sui fructum habent. Quandoquidem enim per se præclara & plena gloriæ res est, communi & inveterato plebis imperitæ odio liberare manes bene meritorum de re publica civium, populares tandem e medio tollere rumusculos, utque debitam rerum excellenter gestarum viri boni laudem ferant, efficere; ex eorum, qui recti aliquem sensum habent, numero nemo est, qui non ad omnem natos honestatem, prosequendosque omnium amore istos famæ alienæ propugnatores existimet. Quod si ita est, quo animo excipiendus tibi sit Clarissimi doctissimique *Christii*, cui Historias extra ordinem docendi in hac Academia nuper munus datum est, liber præsens, quo æstimandus pretio, haud difficulter, Lector, intelliges. *Nicolai Machiavelli*, summis orti parentibus, Secretarii Florentini, viri eloquentissimi, omni studiorum genere, rerum maxime civilium peritia, ornatissimi, & scriptorum fama insigniter nobilitati, quam contemtum passim & contumeliarum aculeis petitum in hoc usque tempus nomen fuerit, quantum insultatum ei ab indoctis non minus, quam sagacioribus, quanta denique opinionum monstra exprobrata ei palam ac refragante nemine, non ignorat, nisi qui rerum, quæ inter eruditos geri solent, prorsus caret notitia. Quæ obtrectandi & calumniandi libido cum latius in dies serperet, fureretque vehementius, jamque eo processisset insaniæ, ut, qui *Machiavellum* nominaret, is hominem nominare omnium turpissimum crederetur profligatissimumque; factum hinc est, ut in sinistri hujus judicii societatem vel ii ipsi traherentur, qui, pro ingenii sui perspicacia, cognoscere, si voluissent, meliora poterant. Et, quamvis dissimulari non possit, suos, ut fieri solet in causa vel desperatissima, hinc atque illinc hominem Florentinum defensores nactum, *Albericum Gentilem*, *Lipsium*, *Scioppium*, *Naudæum*, *Conringium*, *Schuppium*, *Amelotum*, *Wicquefortium*; horum tamen alii aggressi opus hoc timidius, alii sustinere non potuerunt atrocissimum adversariorum impetum, nec, quibus ad perorandam hanc causam opus erat, instructi fuerunt subsidiis. In eorum, qui ex reliquorum judicio suam secure de *Machiavello* formare solent sententiam, ipse se olim fuisse numero fatetur

præ-

præstantissimus hujus Operis Autor, & ad lectionem librorum *Machiavelli* eo magis consilio conversum, ut certius ipsi constaret de erroribus Autoris, quam ut bonæ frugis hic dicta quædam observaret. Evenit tamen res longe aliter, quam visum ipsi antea fuerat, &, lectitatis a capite ad calcem libris *de Republica & de Principe*, exactisque ad veræ Politicæ legem verbis omnibus, jam mitius sentire cœpit de Viro probo ac integro, &, injuriam ei factam ab illis omnibus, qui famam ejus in discrimen adducere penes credulos laboraverant, jam exploratum habuit certissime. Postea longius progressus, & diligenter omnia circumspiciens, rem arbitratus est suspectam admodum, hominem, in summa olim dignitate constitutum, & post mortem etiam diu magnorum virorum laudibus celebratum, subito, velut signo dato, ut rationem redderet doctrinæ suæ, in jus vocatum, &, indicta causa, tumultuario judicio, statim condemnatum etiam. Nam, si libris illis re vera aliquid veneni inest, quidni viventi æque, ac mortuo, damnosi fuerunt? His itaque aliisque multis præsidiis munitus Cl. *Christius*, tentare aliquid pro dignitate *Machiavelli*, &, quicquid ad tuendam ejus existimationem videretur pertinere, libro complecti cœpit integro, experturus, num ejus rei forte gratiam inire possit ab intelligentibus. Ne vero, quibus aures occlusæ, ingenium obtusum, & obcœcatus sensus est, ad condemnandum, quam absolvendum, proniores judices, facinus clamare capitale audeant, hominem defendere omnium mortalium, ut illi quidem existimant, sine controversia perditissimum; ipse, salutis suæ non immemor, in tutelam se commisit Viri, penes quem maxima est in Saxonibus autoritas, Perillustris *Henrici Bunavii*, cui literis, observantiæ plenissimis, sacrum esse jussit hoc, quicquid est laboris boni & laudabiliter suscepti, summumque causæ universæ patrocinium arbitriumque detulit. Prodromum eorum, quæ hanc in rem animo conceperat, *Præparationem* nempe *de doctrina Machiavelli*, ante biennium in cathedram produxerat, haud mediocri tunc exceptum plausu; jam eundem, auctiorem longe, & externo quoque habitu ornatiorem, cum reliquis hujus argumenti partibus, junctim in lucem exire jussit, ita quidem, ut trium librorum spatio universerv-

versum harum vindiciarum opus absolverit. Nos, cum manifesta passim in hac Commentatione magnæ eruditionis & industriæ prorsus singularis vestigia animadvertisse nobis visi simus, e re Lectorum judicamus, eorum, quæ docte & præclare hic commemorata sunt, momenta præcipua strictim hic exponere, ut constare possit cuilibet, quam non levi armatura nec præpostero consilio pugnam Autor Clariss. contra tot formidabiles *Machiavelliani* nominis obtrectatores instruxerit. Ut generatim scias, quem secutus sit in scribendo ordinem, & quid boni insit libris singulis, principio statim monemus, de Prudentiæ Civilis conditione hodierna, multum postponenda pristinæ, de variis ejus sectis, & diversis eam docendi modis, porro de invidia principi Politicorum, *Machiavello*, facta aliquo abhinc tempore, ejusque causis, & inopportunis defendendi virum bonum rationibus, denique, id quod primarium est, de vita, moribus & scriptis *Machiavelli*, diligenter actum esse Libro I; inde ad convellendos errores eorum, qui pessimarum opinionum reum egerant *Machiavellum*, progressum Libro II Autorem doctissimum, postremo veras *Machiavelli* de civili prudentia sententias enarratas copiose, ipsisque ejus verbis confirmatas Libro III. Universi operis hanc sibi Noster formam scripsit, elegantem, ut vides, & huic satis accommodatam argumento. Sunt vero singula hæc ita ab ipso pertractata, ut omni ex parte satisfecisse suo dicendus sit muneri. In memorandis Florentini hujus fatis versatur diligentissime, longiusque abest a communi Biographorum more, qui ex aliis qualiscunque notæ scriptoribus, nullo adhibito temporum ordine, corradere obvia quæque, multum inter se dissona, & commentitiis narratiunculis fallere bonos lectores solent. Scriptoribus usus est fide dignissimis, horumque passim profert testimonia; dissidia Historicorum, pro ingenii sui acumine, feliciter componit, errores aliorum, nimis interdum joculares, studiose corrigit, &, quæ partes sunt Historici potissimæ, in ipsas rerum gestarum causas perspicaci judicio inquirit. Cum hujus loci non sit, quicquid fatorum contigit *Machiavello*, vulgo non adeo incognitum, dicendo repetere; breviter tangemus ea saltem, quæ de scriptis ejus singularia hic & præ ceteris memoratu digna obve-

p. 17. nere nobis pervestigantibus. Recte notat errorem *Jul. Negrii*, qui, differre quicquam libellum *Machiavelli*, quem inscripsit *i duoi Decennali*, negaverat, ab Opere *Disputationum ad Livium*, cum ille, carmine scriptus, non nisi rerum per annos viginti ab A. 1494 gestarum historias contineat, hoc, prosa oratione composi-
16. tum, potiora prudentiæ civilis capita exponat. Miram inprimis *Machiavelli* in fabulis seu Comœdiis condendis artem prædicat, harumque nonnullas Romæ actas refert ipsius jussu Pontificis, ex *Mandragola* vero acerbissimum cucullatorum, quos bene hic
18. depexos dederat, ipsi odium contractum. Contra *Varillasium*, pessimæ notæ nugatorem illum, docte monet Noster, nec morionem Johannis Medicei, Cardinalis, postea Pontificis, fuisse *Machiavellum*, nec scriptam ab eo exstare Comœdiam, quam dixerit *Sanitiam*, sed errorem hunc ex eo ortum, quod male interpretatus sit
19 & 21. scriptor ille verba *Jovii*. Nec immerito eundem *Jovium* reprehendit, qui de libello *Machiavelli de Principe* hanc tulerat sententiam, *optimum* in eo *principem formari*, cum illis potius confirmandi imperii præcepta hic sint tradita, qui modis vel violentis,
20 seq. vel omnino injustis, in suprema regni jura involarunt. In cujus libri postquam mentionem incidit, certiores nos facit, in ea se cum *Alber. Gentili* & *Scioppio* sententia versari, non tam serio de suppeditandis urbis Florentinæ Principi consiliis, quibus regnum Italorum invaderet, cogitasse *Machiavellum*, quippe quod in illa Italicarum rerum conditione nemini vel mediocriter sano in mentem venire poterat, sed illud potius ab eo actum, ut callide invidiam conflaret genti Mediceæ, & viam illi sterneret ad interitum. Quod ipsum tamen consilium, cum fuerit eventus periculosissimi, & reapse consultori suo pessimum, non impetrare a se potuit Clar. Autor, ut laudibus extolleret; quin, ipsum *Machiavellum* piguisse postea laboris sui, &, ne typis exprimerentur, quæ scripserat, cavisse solicite, probat *Varchii*, scriptoris Florentini,
22 seq. testimonio. Editiones Operum *Machiavelli* hic multas, sed eas saltem præstantissimas, nominatim profert, &, quo singulæ pre-
23 seq. tio sint æstimandæ, accurate decernit. Quibus subjungit indicem Anecdotorum hujus scriptoris, & in his numerat Comœdias tres, *le Moschore*, *il Segretario*, & *la Sporta*, porro Epistolas ejus bene mul-

multas, de constituenda Republica Florentina ad Leonem X Pont. Max. librum, & Commentarios rerum sui temporis, quos paullo ante mortem *Franc. Guicciardino*, usuro illis in suis Historiarum Commentariis, dedisse dono dicitur. Singula hæc Etrusco sermone scripta sunt, uti & libri ejus omnes, qui exstant publice. Versiones Operum *Machiavelli*, tam Latinæ, quam Gallicæ & Germanæ, vario tempore variæ prodiere, sed altera altera elegantior. Omnium pulcherrimam Autor noster perhibet exercitatissimi in hoc scribendi genere *Ameloti* Gallicam, quæ, notis brevibus, at frugi plenis, locupletata, lucem adspexit Amstelodami A. 1683. Ceterum, non adeo suspectam primis temporibus fuisse doctrinam *Machiavelli*, nec post mortem defuisse ei laudatores suos, tam ex iis, quæ honorifice de eo scripsit *Jovius*, quam ex *Ant. Vaccæ*, *Jo. Latomi*, & aliorum, Carminibus, memoriæ ejus consecratis, manifestum putat Autor doctissimus. Primum eorum, quorum importunis accusationibus in quæstionem postulari cœperunt insontis *Machiavelli* manes, *Innocentium Gentilettum* dicit, qui librum suum non, ut putarunt nonnulli, *Antimachiavellum*, sed *Commentariorum de Regno aut quovis principatu recte & tranquille administrando Libros tres*, inscripsit. Prodiit hic liber primum sermone Gallico, postea Latino etiam & Germano; cui ipsi versioni ab Interprete præmissus est *Antimachiavelli* titulus. Secuti *Gentilettum* magno numero alii, *Jo. Molanus*, *Jo. Laur. Lucchesinius*, *Thomas Bozius Eugubinus*, & *Petrus Ribadeneira*, Hispanus, quorum scripta hic recensentur, & in eorum numerum conjiciuntur, quæ majori partium, quam veritatis, studio sunt composita. Nec parum attulit ad commune *Machiavelli* odium, quod ipsi *Innocentio IX*, Pontifici Romano, mirum in modum displicerent, quæ scripserat ille passim in libris suis curiæ Romanæ commodis adversa. Quo factum est, ut ipse consilium caperet, suis eum scriptis refutandi, operique huic manum admoveret, postea vero, susceptis sacri Imperii curis gravioribus, negotium hoc perficiendum relinqueret *Ant. Possevino*, qui tamen ad eam spartam plus animorum, quam doctrinæ, attulit. Ultimo loco scriptorum quorundam, quorum alii hominem eruditum magis, quam eloquentem, alii eloquentem magis, quam

p. 24 seq. 25. 26 seq. 28 seq. 30 seq. 36,38,39. 37,40.

eruditum, judicaverant *Nicolaum*, dissidia ita componit Autor pereximius, ut neutri horum assensum præbeat, sed, cum eloquentiæ laude summam *Machiavello* conjunctam fuisse eruditionem, exquisitis manifestissimisque documentis evincat. Summa hæc Libri primi & eorum, quæ spectant ad vitam *Machiavelli* & scriptorum ejus historiam. Jam Libro secundo, cui *Disquisitio* titulus, ad rem ipsam propius convertitur Autor, &, productis, quotquot unquam importunis clamoribus suis orbem literatum impleverunt, *Machiavelli* adversariis, auditisque horum accusationibus, causam boni viri, jam capitis fere condemnati, vehementissime defendit, & criminationes omnes felicissime convellit. Nimis prolixum foret, criminum, quibus compellatus est ab inimicis, singulorum hic proferre nomina, quippe quæ innumera fere sunt, & omnino tam deformia, ut mirari satis vix possis hominum, a quibus excogitata sunt, malitiam & morositatem. Cave tamen, in diluendis illis, credas, Autori nostro opus fuisse dolo quodam aut cuniculis. Nihil hic legas, quod *virum bonum* & honestatis studiosum scripsisse pœniteat. Aperto ubivis marte pugnavit, & inter media hostium tela versantem *Machiavellum* solus virtute sua præstitit incolumem. Cumque omnis defensionum vis ac nervus in eo maxime vertatur, ut ex ipsis Autorum, quos defendimus, dictis perspicue cognosci possit, alia omnia ab ipsis prolata, quam quorum fuerant accusati; ejus rei Autor singularem habuisse rationem dicendus est. Etenim hoc cumprimis in eo judicamus laude dignissimum, quod ipsis *Machiavelli* verbis, quæ alere scilicet venenum dicebantur, usus est ad abolendam calumniam, eademque dextra admodum & concinna interpretatione ad integritatem suam revocavit. Quo factum est, ut nemini, comparanti hæc verba cum criminationibus aliorum, obscurum jam esse possit, alia privato odio, alia superstitione quadam, alia partium studio, alia denique inscientia interpretum, & olim, & nostris temporibus, fuisse *Machiavello* exprobrata. Ac, ne forsan, quam par esset, iniquior videri posset in *Machiavelli* adversarios, omnia, quibus illi muniverant accusationem suam, argumenta accurate percenset, &, ubiubi fieri potuit, ipsa eorum verba expromit, hisque statim occurrit ar-

mis fortissimis, ut decernere facile lectores possint, rectene senserint de *Machiavello*, qui tantis eum ludibriis insectati sunt, an ipse melius, qui ejus tuendam causam susceperit. Unicum satis sit hic annotasse specimen, commemorabile præ ceteris, & scitu jucundum etiam. Persuasum fuit non *Gentiletto* tantum, sed ipsi etiam *Conringio*, propugnatori *Machiavelli*, fuisse eum a partibus Cæsaris Borgiæ, pessimi post hominum memoriam Principis, & de factis ejus nefariis ac improbis sensisse, quam virum bonum decebat, benignius, propterea quod eum in libro *de Principe* imitandum proponeret iis, qui gubernacula reipublicæ tractarent. Factum hoc eo in loco a *Machiavello*, negare non potuit Autor doctissimus; sed, eo id factum animo, negavit, ut testatum faceret suum erga Cæsarem studium. Usum hoc exemplo, recte docet, non tanquam laudabili, & quod imitari deceat Principes bonos & moderate se gerentes in imperio, sed ad quod conformare se debeant tyranni, perversis artibus rerum summam consecuti, & unicum regni sui fulcrum habentes crudelitatem. Hos ipsos si non laudavit *Machiavellus*, sed communi potius odio dignos putavit; nec eos profecto laudasse existimandus est, ad quorum se illi mores & instituta componunt. Dicere aliquem scelerum omnium & flagitiorum exemplum unicum certissimumque, id, si quid judicamus, nihil minus est, quam laudare. Et, ne forte dubitare quis posset, fuisse eum re vera facinorum illorum, quæ contra jus fasque commiserat Borgia, judicem rigidissimum, excerpta nobis quædam ex *Machiavelli Decennali primo* sistit Clar. *Christius*, quibus nihil dici potuit in Cæsarem & patrem ejus, Alexandrum VI, acerbius & concitatius. Ea cum maximum ad tuendam causam *Machiavelli* momentum afferant, bona Lectorum venia, cum ipsa Cl. Autoris interpretatione Latina, perquam eleganti & numerosa, ad verbum huc transscribemus. In Alexandrum, patrem Cæsaris, graviter satis dicta putes illa:

p. 68 seq.

69, 70, 71.

Malò Valenza, e per haver riposo
Portato fù fra l'anime beate
Lo spirto di Alessandro glorioso:
Del qual seguiro le sante pedate
Tre sue familiari e care ancelle,
Lussuria, Simonia e crudeltate.

Latine hæc Clar. *Christius*:

Jacuit Valentinus, simul ut quiesceret
Tandem, ad beatas ivit umbras scilicet
Animus prælti Sexti trux & inquies.
Inhæret his comitum trias vestigiis
Sanctarum, & huic semper patri fidelium:
Libido turpis, ambitus, crudelitas.

Nec minus vehementer in utrumque, tam patrem, quam filium;

Poi che Alessandro fù dal cielo occiso,
Lo stato del suo Duca di Valenza,
In molte parti fù rotto e diviso.
Baglion, Vitelli, Orsini, e la semenza

Di Monte Feltro in casa lor ne girò,
E Marco prese Rimino e Faenza.
Insino in Roma il Valentin seguirò
E Baglion, e l' Orsin, per dar gli guai,
E delle spoglia lor si rivestirò.
Giulio sol lo nutri di speme assai,
E quel Duca in altrui trovar credette
Quella pietà che non conobbe mai.

Eleganter hæc Interpres:

Rhamnusiæ Sextum manus ceciderat,
Et filio quæsita regni portio
Statim inter hostes est divisa plurimos.
Baleonûm & Ursinûm & Vitelliûm manus
Monte Feretano quisque suam petit domum;
Ariminum Venetus capit & Faventiam.
Romam sequuntur hinc Valentinum ilicet
Ursinus ac Baleonus: ut male urerent
Ducem, ejus exuviis insignes ambo erant.
Nil profutura spes tamen est a Julio
Objecta, & hic, quam reddidit nulli integram,
Speravit invenire in altero fidem.

Denique parum amice scripta videntur:

In tanto il Papa, dopò molte offerte
Fe di Furlì e della rocca acquisto,
E Valenza fuggì per vie coperte.
E benche e' fusse da Consalvo visto
Con lieto volto, li pose la soma
Che meritava un ribellante a Christo;
E per far ben tanta superbia doma,
In Hispagna mandò prigione e vinto
Chi gia fè tremar voi, e pianger Roma.

Jungimus his itidem Latinam interpretationem:

At Pontifex, cum ad ultimum paciscitur,
Lucratus est rupem cum Livii foro.
Custodiam Cæsar fefellit clanculum.
Qui, sit licet vultu receptus optimo,
Mactatus est per Consalvum tamen malo,
Quo dignus hic, rebellis in Christum, fuit.
Deinde, ut dometur contumax superbia,
Captivus est & vinctus usque in Iberiam
Avectus. Olim vester, O cives, metus,
Tuisque, Roma, sæva pestis ossibus.

Eodem modo in reliquis versatur Autor noster, & manifestis ubique rationibus Adversariorum tela retundit, eam tamen simul defensioni suæ cautionem adhibet, ut nihil propugnet, nisi quod per veritatis severam legem

legem liceat, sitque interdum, ubi graviter peccatum a cliente suo intelligit, vel tacentibus ceteris, accusator ipse acerrimus. Libro III, qui *Judicium* inscribitur, multa continentur ex intimis prudentiæ civilis penetralibus deprompta. Hæc lege, quisquis de diversis Politicorum studiis variisque sectis edoceri cupis. Sunt ista tam accurate, tamque erudite, hic disputata, ut nescias, an doctrinam magis & ingenium, an magis studium & industriam Clar. Autoris admirari fas sit. Monarchomachorum præcepta singula hic velut in nuce exhibentur, &, qualem illi in republica libertatem appetant, quam longe absint ab effrænata licentia, quamque sint bonarum legum studiosi semper, verbis admodum perspicuis exponitur. Quibus præmissis, in eo totus est Noster, ut, convenire cum his omni ex parte ipsa *Machiavelli* præcepta, libertatis hunc fuisse amantissimum, regnumque populare prætulisse Monarchico, neque adeo novi quicquam, sed antiquissimas doctrinas ab eo traditas, probet ex libris ejus omnibus, eo maxime, quem scripsit *de Republica*. Latius hæc persequi, non est instituti nostri, sed, ut ipsi in dicta Autoris curatius inquirant, suasores sumus Lectoribus. Ad calcem Operis adjecta sunt probatissimorum scriptorum, *Jovii, Varchii, Editoris Operum Machiavelli Anonymi, Privati, Lipsii, Alb. Gentilis, Baconis de Verulamio, Boccalini, Scioppii, Naudæi, Ruperti, Bosii, Schuppii, Lentuli, Conringii, Becmanni, Ameloti de la Houssaie, Wicquefortii,* atque *Bælii,* de vita *Machiavelli,* doctrina, scriptis, moribus & rerum civilium scientia, testimonia, brevioribus Cl. *Christii* notis illustrata; quibus denique copiosi tam Scriptorum, quibus usus est Autor in Opere universo, quam rerum, quæ tractantur hic, Indices accesserunt, sed, quod dolemus, hinc atque illinc mendis deformati. Eorum tamen culpam, turpe fuerit, in Autorem conjicere, cum nec fabricari ab ipso, per negotia forte graviora, nec recognosci hi Indices, per absentiam, potuerint.

ELOGIUM GOTTLIEB CORTII.

Ingentem jacturam fecimus die VII Id. Apriles hujus anni, hora tertia ante lucem, amisso ex consortio nostro pertinacis industriæ Viro, *Gottlieb Cortio.* Natus erat Bescoviæ, ignobili inferioris Lusatiæ oppido, a. d. III Calendas Martias A. 1698, a *Petro,* mercatore, ejusque civitatis judicii Assessore. Sine ullis ergo majorum imaginibus veluti novus homo in doctis inclaruit, cujus rei a puero statim haud obscura signa dedit. Ita enim de eo testatur in Programmate, quo eum ex Schola sua Lipsiam dimisit, *Polanus* a. d. XII Calend. Octobr. A. 1715, cum in schola patria, in qua Rectore *Godofredo Schulzen* prima rudimenta posuerat, tum Landsbergæ ad Wartham *Polano, Benickio* illo tempore Con-Rectore, nunc, isto defuncto, Rectore doctissimo, & *Keidelio* omnes commilitones antecelluisse, quibus pererudita Dissertatione de *Intemperantia & Temperamento Literarum* vale dixit. Ex quo jam omnes sibi magna quæque pollicebantur; neque eos fefellit augurium. Urbem enim nostram a. d. III Non. Octobr. A. 1715 delatus, sedecim annorum tiro in Musarum castris tam strenuus militavit, ut tribus annis post a. d. VI Cal. Dec. A. 1718 primam in Philosophia lauream, summosque honores A. 1720 a. d. XV Cal. Martias consequeretur. Quibus se haud indignum mox demonstravit tribus Disputationibus, *de Usu Orthographiæ Latinæ* conscriptis, quarum prior a. d XVI Cal. Decembr. aditum ad Sophorum Cathedram superiorem, posteriores locum inter eosdem obtinendum Nostro conciliarunt prid. Cal. Maj. A. 1721 & a. d. IV Id. Jun. A. 1722. Adhuc

omne suum studium posuerat in assequenda rerum divinarum notitia, de quibus ad frequentem concionem ex suggestu sæpius verba fecerat; nunc præter Theologiam eidem contubernio admovit Themiden, quæ a. d. IV Non. Octob. A. 1724 de *Origine & Jure Sceptrorum* Francofurti ad Viadrum summo cum applausu disputantem Doctoris jure ornavit. Neque defuit industriæ merces. Rex enim noster Potentissimus ei demandavit munus Jura extra ordinem in Philurea nostra docendi, quod a. d. III Id. Decembr. A. 1726 Oratione *de Optimis mediis interpretandi Jus Romanum*, quam domi se invito festinabundus oblitus erat, ex memoria habita auspicatus est, præmisso Programmate, in quo *l. 37 pr. D. de negotiis gestis* explicuit. Explebat, quod nactus erat, officii partes, bis in septimana ex eo tempore *Heineccii*, Celeb. apud Francofurtenses Antecessoris, *Antiquitatibus Juris Romani ad Justiniani Institutionum libros IV* enarratis, ac defensis publice duabus Disputationibus, altera *de Jure, quod natura omnia animalia docuit*, A. 1727, Respondente *Schellbassero*, Lipsiensi, altera *Vindiciæ Prætoris Romani & Juris bonorarii*, A. 1730, Respondente *Joanne Richey, Michaelis*, Hamburgensis Gymnasii Professoris longe celeberrimi, filio optimo, quorum uterque prodiit ex scholis ejus, quas proximis annis sesquicentum adolescentes fere semper frequentasse novimus. Et quis eum non sectetur, quem amico literarum commercio dignum habuerunt seculi nostri doctissimi, *Altmannus Arntzenius, Bentlejus, Bergerus, Buddeus, Buderus, Burmannus, Cannegieter, la Croze, d'Orville, Drackenborch, Duckerus, Fabricius, Garellius, Gesnerus, Gronovius, Gundlingius, von der Hardt, Hoffmann, Iselii, Leyserus, Muratorius, Montefalconius, Schelhornius, Schminckius, a Sommersberg, Triller, ab Uffenbach, Vinhold, Wasse, Wieling, Wolff*, alii? Hos quippe in partes ejus traxerat summa Critices peritia, quam præter memorata loquuntur *Epistola Critica ad C. A. Heumannum de Emendationibus Curtianis, Tom. VII Sect. II Supplement. Actor. Erud. propositis, Lipf.* A. 1719, 8; *Satyræ Menippeæ cum Nostri notis, Lipf.* A. 1720, 8; *Ciceronis Epistolæ, ut vocant, ad Familiares, cum ejusdem animadversionibus, ib.* A. 1722, 8; *Sallustius cum copiosissimo Commentario ab eodem, ib.* A. 1724, 4; *Lucanus ex ejusdem recensione, ib* A. 1725, 8, prodromus majoris Operis, quod, rebus necessariis ad id negotium jam comparatis, hoc anno typis per se exscripsisset, si fata permisissent. Ita etiam interceptus est in Libri decimi *Epistola* 35 *Plinii*, cujus magna pars prela *Waesbergiana* jam evasit; & quæ alia meditantem mors prævenit, quorum alia speramus confecturum esse Clar. *Longolium*, cui id negotii a defuncto sæpius datum fuit. In primis Dissertationes *de Usu Orthographiæ Latinæ* & auctiores & additis, quæ de duobus posterioribus Vocalibus dicenda restant, junctisque reliquis ejusdem Autoris scriptis, quæ parvæ molis sunt, partim editis partim ineditis, vulgandi est animus, quantum ei temporis ab emendando & illustrando *Suetonio*, quem ab aliquot annis cum multis MSStis contulit, erit residui. Ceterum, quamvis aliquot ante obitum mensibus honestissimam virginem *Rochiam*, mercatoris Penikensis non incelebris nec infelicis, filiam duxerit auspicio haud infausto, improlem tamen dimisit mœstissimam viduam. Nos, pro eo, quo viros, in literarum studiis versantes diligenter, prosequimur, amore ardentissimo, bene precamur defuncti manibus, &, ut alii, tam illustre imitati exemplum, æquali studio ad reparandas vetustioris ævi bonas literas se convertant, vehementer exoptamus.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXXI.

SANCTI PATRIS NOSTRI, BASILII, Opera omnia, quæ exstant, vel quæ ejus nomine circumferuntur &c. Græce & Latine; opera & studio Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, e Congregatione S. Mauri.

Tomus III.

Parisiis, typis & sumtibus Jo. Baptistæ Coignard, 1730, fol. maj. Alph. 9 plag. 17½.

QUa Lectori fide obstricti tenemur, eam liberaturi, tertium & ultimum exhibemus Operum S. *Basilii* Tomum, qui anno superiori opera & studio *Monachorum Ordinis S. Benedicti, e Congregatione S. Mauri*, Parisiis prodiit. Scilicet cum Cl. *Garnierius*, eruditus ejusdem Societatis sodalis, *Basilii* Editor, in eo esset, ut post Tomorum I & II editionem, tandem pararet ultimum, mors præmatura tertio Junii die anni 1725 præclaros ejus conatus interrumpebat. Ne igitur aut doctissimis defuncti lucubrationibus plane privaretur, aut de labore, optime quidem cœpto, non vero exacto, justam conquerendi causam haberet Respublica literaria, sui utique muneris existimavit Monachorum Societas, Operi manum admovere, & tandem ad finem illud perducere. In Præfatione præmissa excussa leguntur nonnulla capita, quæ ad doctrinam *Basilii* pertinent: Præfationem excipit Vita *Basilii*, tribus supra quadraginta Capitibus descripta, quibus, quæ ge-

ſta, quæ ſcripta ab eo fuerint, ſervato temporum ordine, cum cura exponuntur; accedit porro Elenchus Codicum MSS. ad quos exacta & emendata fuerunt *Baſilii* Opera, quæ in præſenti Volumine continentur; præter Elenchum exhibetur novus Epiſtolarum *Baſilii* ordo, in duas partes diviſus, quarum prima ordinem tradit Epiſtolarum, cum antea vulgato comparatum, altera ordinem antea vulgatum ſiſtit ad novum reductum; tandem Index earundem ſequitur Alphabeticus. Jam cum ad Operis argumentum accedimus, ut paucis omnia comprehendamus, præter librum de Spiritu ſancto, qui ad Amphilochium, Iconii Epiſcopum, ſcriptus eſt, illud conſtituunt *S. Baſilii* Epiſtolæ & Appendix ſermonum viginti quatuor de moribus, per *Symeonem Magiſtrum* & *Logothetam* ſelectorum ex omnibus *Baſilii* Operibus. Epiſtolæ quidem, quæ ſecundum ordinem temporum nunc primum diſpoſitæ ſunt, in tres claſſes diſtributæ leguntur, quarum I Epiſtolas continet ante Epiſcopatum ſcriptas ab A. 357 usque ad A. 370, *quibus adduntur* nonnullæ dubiæ, ſed quæ hoc tempore exaratæ videntur; II eas complectitur, quas Epiſcopus ſcripſit ab A. 370 ad annum usque 378; III tandem Epiſtolas exhibet nulla temporis nota ſignatas, cum pluribus dubiis & nonnullis ſpuriis. Quatuor vero & viginti ſermones, qui in Appendice continentur, agunt de virtute & vitio, de doctrina & admonitione, de caritate in Deum & proximum, de eleemoſyna, de divitiis & paupertate, de avaritia, de peccato, de *pœnitentia, de oratione*, de jejunio, de morte, de triſtitia & animi dejectione, de patientia & longanimitate, de futuro judicio, de imperio ac poteſtate, de ingluvie & ebrietate, de ira & odio, de invidia & malevolentia, de temperantia & incontinentia, de humilitate & inani gloria, de proſpera & adverſa fortuna & de prudentia, de anima, de honore parentibus exhibendo ac de ſenectute atque juventute; quibus acceſſit Liber de vera Virginitatis integritate ad Letojum, Melitinenſem Epiſcopum, non quidem a *Baſilio* ſcriptus, ſed qui Autorem habet Epiſcopum *Baſilio* æqualem, vel certe ſupparem. Opus claudunt *Frontonis Ducæi* in Librum de Spiritu S. notæ & animadverſiones cum locorum S.

Scri-

Scripturæ, rerum & verborum, Indicibus. Nihil addimus, nisi quod præstantissimis Editoribus, qui, quam præclare de Ecclesiarum, Græcæ & Latinæ, Patribus mereri pergant, præsenti etiam specimine Viris doctis abunde probarunt, labore jam laudabiliter perfunctis, more antiquo acclamemus: *Feliciter!*

ACTA SANCTORUM JULII, EX LATINIS & Græcis aliarumque gentium monumentis, servata primigenia veterum Scriptorum phrasi, collecta, digesta, Commentariisque & Observationibus illustrata a JOANNE BAPT. SOLLERIO, JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO, & PETRO BOSCHIO, e Soc. Jesu Presbyteris Theologis,

Tomus VII.

Antverpiæ, apud Jacobum du Moulin, 1731, fol.
Alph. 10 pl. 5, Tabb. æn. 6.

HUjus quoque Tomi Synopsin, ab ipsis Autoribus publici juris factam, pro more nostro repetemus. Est vero hæc: *Est hic ultimus prænotati mensis Julii Tomus, mole par ceteris, non item dierum aut Sanctorum numero, ordine secundus supra trigesimum, tres solos ultimos mensis dies XXIX, XXX & XXXI complexus, quibus referuntur Sancti propriis suis nominibus solum octoginta octo, Anonymi vero trecenti & octoginta quatuor, præter varios non expresso numero manipulos; Sanctorum nominatorum paucitatem supplent illustriores Sancti aliquot, de quorum præclarissimis gestis plura pertractanda fuerunt, ut mox docebimus. Solita est ad ordinatam claritatem virorum divisio, per receptos in Ecclesia gradus,* Ecclesiasticum *nempe,* Monasticum & Secularem, *ultimam porro classem constituentibus Sanctis feminis, sub titulo* Sexus Feminei, *servato etiam ubique de more regionum ordine.*

EX STATU ECCLESIASTICO.

In Oriente solus inter antistites sanctos occurrit Con-

ſtantinus, *iſtius nominis Patriarcha Conſtantinopolitanus, ab aliis ſynonymis poſterioribus, etiam Patriarchis, orthodoxia ſua, tanquam characteriſtica, diſcretus. Eſt & ſolus etiam in Africa* Firmus, *Tagaſtenſis Epiſcopus, qui, in Faſtis vetuſtioribus plane ignotus, S. Auguſtino debet, quod in Romano hodierno locum obtinuerit: firma nempe voluntate nec mentiendi, nec hominem, apud ſe occultatum, vel morte intentata, prodendi. De Romano Pontifice* Felice *II lites & controverſiæ: ut non inepte ſignum dixeris, cui contradiceretur; pluribus ejus famam, ſanctitatem ac martyrium lacerantibus, paucioribus cauſam ejus, tanquam ferme deſperatam, meticuloſe tuentibus, abſterritis nempe libello aliquo ſupplice, cujus ſuppoſititiam præfationem mirum eſt tot viris doctis imponere potuiſſe. Everſa ea ſatyra, expenduntur explicanturque omnia, quæ a nonnullis ſanctis Patribus de ejus in S. Liberii locum ſubſtitutione ac deinde ceſſione, paulo acerbius dicta odioſe congeruntur: certe & conſtans in Eccleſia cultus, & fides integra, & martyrium, aliorum auctoritate merito vindicantur.* Calimerus *Mediolani Ordini ſuo non geminus, ſed unicus, reſtituitur, tam inſigni veneratione a ſucceſſoribus Epiſcopis habitus, ut ex iis unus altare aureum ei erexiſſe memoretur.* Petrus, *Ravennatium Præſul, multis tenebris a Rubeo aliisque involutus, atque e ſerie locoque ſuo non recte depulſus, ex Agnelli probatiori Chronologia ſic reſtituitur, ut non* Junior, *ſed* Senior *plane primusque iſtius nominis poſtliminio oſtendatur, geſtis ejus meliori etiam ordine ex eodem Agnello diſpoſitis, praeunte ejus illuſtratore Bacchinio.*

E Gallia bina Eccleſiæ ſidera, Viri vere magni, Tomum hunc ornant, Germanus, *Autiſſiodorenſis, &* Lupus, *Trecenſis, Epiſcopi, Apoſtolicis temporibus digniſſimi. Ille ex duce ſeu gubernatore provinciæ, viro potente, conjugato ac ſuperſtitioſo venatore, ſtupendo prodigio ferme invitus in clerum primum adſcitus, tum Presbyter ordinatus, & paulo poſt, univerſo populo poſtulante, Epiſcopus conſecratus, ſimul & exemplum gregis factus, atque incredibili pœnitentiæ & auſteritatis genere, vitæ rationem exorſus eſt, quam inter labores prope immenſos ad extremum*

mum usque spiritum constantissime tenuit; non uni Autissiodorensi Ecclesiæ, sed toti ferme Galliæ, Britanniæ & Italiæ natus. Suos incredibili labore instituit; Britannos e Pelagianorum luto eripuit, Armoricorum gratia Ravennam progressus, ibi gloriosum vitæ finem invenit, vel mortuus ad sedem suam triumphantis in morem reductus. Singula accurate describunt Constantius soluta, S. Hericus ligata oratione, quibus admiranda & genere & numero prodigia subjunguntur. De reliquiis, id miraculo proximum, quod vel vilissima ad ipsum spectantia summo ubique in pretio habita sint & porro habeantur. Quæ omnia operose & accurate eruderata sunt ac dilucide illustrata. Huic suppar, ut cœpi dicere, nec inferioribus gestis, virtutibus ac miraculis illustris, Lupus *ille, Trecensium suorum adversus ferum Attilam prodigiosus defensor, hodieque pretiosis suis reliquiis eorum patronus, Sidonio Apollinari laudatissimus. Celeberrimæ cum S. Germano in Britanniam expeditiones, Vitæ plures de eo scriptæ, uti ætas, parentes, educatio, tum vita ejus monastica, dimissa non invita uxore, secuta in ipso Episcopatu vita asperrima, labores, discipuli, secessus non unus, summa apud omnes autoritas & veneratio, tempus obitus & insignia miracula, ceteraque ad Sanctum spectantia studiose expendenda fuerunt. Non adeo splendida sunt, quæ de* Genevæo, *Dolæ in Britannia Armorica Episcopo, traduntur, uti & de* Prospero, *Aurelianensi Antistite. Idem dixeris de duobus Metensibus Episcopis,* Expletio & Gosselino, *quorum hic vix ut Sanctus agnosci potuit. Magis emicuit* Guilielmi, *Briocensis Præsulis, infracta fortitudo in tuendis Ecclesiæ juribus adversus ducem, summum cleri osorem, indeque* Mauclerc *sarcasmo inustum. Gesta præclara, exsilium, relictumque perpetuum monumentum, de viri sanctitate abunde testantur.*

Unum Anglia Episcopum suggerit, sedis Cantuariensis egregium vindicem, Tatwinum, *ob susceptam peregrinationem Romanam, unde Pallium retulit, ceterasque meritas prærogativas; æterna idcirco apud suos non minus, quam ob insignem sanctitatem, memoria dignus.*

EX STATU MONASTICO.

Huc referendi CCCL *Anonymi Monachi Martyres, furentium Acephalorum totidem victimæ, in Historia Ecclesiastica notissimæ.*

Porro ordinis hujus in hoc Tomo Sanctorum paucitatem egregie compensant gemini augustissimi Jesu nominis cultores eximii, eoque nomine Ordinum religiosorum fundatores, Joannes Columbinus *Senis*, Ignatius de Loyola *Romæ. Ille laicæ ferme familiæ institutor, mirabili, ut ita dicam, metamorphosi, ex avidissimo lucri trapezita, factus est venator animarum non minus quæstuosus, tam inaudita morum totiusque vitæ mutatione, ut prodigio simile fuerit, in tam humili vitæ genere nobiles sectatores uancisci potuisse. Hinc novus in Ecclesia Ordo, a nominis Jesu perpetua prope invocatione* Jesuatorum *dictus. Fundatoris ipsius genus, ætas, Ordinis primordia, exercitia, habitus, progressus, mutationes, oppugnationes, exstinctio: tum vero gesta Sancti & miracula, corporis diuturna incorruptio, aliaque eodem spectantia: demum & monialium Jesuatarum institutum perseverans, ejus origo & leges ordinate discutiuntur explicanturque. Non minor adhibita diligentia in colligendis, eruderandis illustrandisque monumentis omnibus, ad alterum eximium Sanctissimi nominis præconem* Ignatium *spectantibus. Hic, ab illustri loco natali* de Loyola *dictus, ex seculari militia, Societatis seu militum Jesu ductor ac fundator, in sacra sua militia etiamnum vivus, a celebri Exercitiorum spiritualium libro, quam acriter impugnato, tam gloriose defenso & approbato, cursum suum exorsus est. Hinc peregrinatio Hierosolymitana, studia literarum a veterano prope milite inchoata, Lutetiæ paucorum sociorum aggregatio, unde initia novi plane Apostolici Ordinis Romæ approbati; ejus per orbem in Indias usque propagatio, acerrimæ persecutiones superatæ, quas inter effulsere favores Pontificii & Cæsarei, variorumque Principum, in Germania præsertim, socios adversus hæreses certaturos postulantium; quibus omnibus tenella religio suffecit, dirigente* Ignatio, *inter obloquia, criminationes, calumnias atque angustias, divina virtute*

tute mirabiliter fulto. Quorum omnium accuratà redditur ratio, vitaque de eo a Ribadeneira scripta, ex Maffejo, Orlandino, Bartolo, avthenticisque archivi Romani documentis mirifice juxta ac copiose elucidatur. Tum vero gloria ejus posthuma non solum egregiis monumentis, verum & plurimis perpetuisque ad hac tempora miraculis solide confirmata est.

In Gallia Imiterius, *Jurensis Monachus, in loco, Cellulæ dicto, latere solitus, solam nominis & sanctitatis famam reliquit. Nec multo notior est vita, quam duxere germani fratres, apud Treviros solitarii,* Bantus *ac* Beatus, *ille ibi antiquo cultu illustris, hic non minori veneratione in Cartusia Confluentina, quo ejus sacrum corpus delatum est, celebrari solitus.*

Neothus, *regio sanguine in Anglia ortus, Monachus primum Glastoniensis, inde solitarius, præclarissimis multis, tum naturæ, tum gratiæ, dotibus ornatus, stupendis etiam prope miraculis ac prophetiæ dono gloriose effulsit.*

Apud Belgas cultu magis, quam rebus gestis, Antverpiæ notus est Hathebrandus, *illuc translatus ex Frisia, ne Iconomachorum pateret injuriis. Dantur lectiones de vita, in quibus id vel præcipue mirandum, virum pauperem plura cœnobia condere potuisse, sed quorum hodie vix supersunt vestigia.*

EX STATU SECULARI.

Inter Orientales Callinicus *Gangræ in Paphlagonia martyrii lauream consecutus est:* Joannes *autem miles sub impiissimo Juliano certavit. Quibus adde* Mamantem & Basiliscum. *Miles alter* Eudocimus, *dictus* Justus, *magnis post obitum signis refulgens, miro modo Constantinopolim translatus est.* Fabius, *non* Fabianus, *& ipse miles, singulari fortitudine Cæsaream Mauritaniæ illustravit.*

Romæ celebratissimi Persæ Martyres, Abdon & Sennen, *non uni Dissertationi materiam præbuerunt. Insignes ibidem Martyres,* Simplicius, Faustinus, & Beatrix. Onesimus *porro & socii ex Vasconia Martyres Puteolis, easdem ferme controversias renovant, quas alibi difficile fuit evolvere. Ad similes scopulos explorandi etiam fuere* Fantius & Deodata, *pro quibus cer-*

certant Syracusani Siculi cum Taurianensibus Calabris. Justinus *confessor Tuderti colitur*, Terentius *vero inter patronos Faventinos. At* Rufinus *Martyr Assisii aut triplex est, aut ita confusus, ut, quem hoc die velint Assisienses, non facile quis explicuerit.*

E Septentrione Olavus, *Rex Norvegiæ & Martyr inclytus, etiam apud ipsos acatholicos, si non debitum cultum, saltem illustrissimam sanctitatis famam promeritus est, Apostolus suorum non minus dicendus, quam princeps: qui immensos labores, fidei Christianæ inter suos propagandæ causa susceptos, passasque ab eisdem diras persecutiones, martyrii tandem laurea gloriose coronavit; mirificis clarus miraculis. Quæ omnia ex reconditis Norvegiæ monumentis accersere, quam operosum fuerit, facile intelliget eruditus Lector.*

EX SEXU FEMINEO.

Martha, *Christi Servatoris hospita, satis nota est ex Evangelio: ejus in Provinciam adventus, iisdem, quibus sororis Mariæ Magdalenæ, obnoxius est difficultatibus, quas tales non censemus, ut Tarasconenses vetustissima sua possessione deturbandi sint.* Julitta, *Martyr Cæsareæ in Cappadocia, S. Basilium encomiasten nacta est, quemadmodum & celebres Tuburbitanæ in Africa,* Maxima, Donatilla & Secunda *S. Augustinum. Major longe difficultas fuit in iis elucidandis, quæ de* Lucilla, Flora & Eugenia *mira admodum & tantum non incredibilia memorantur, eis non absimilia, quæ de* Luceja *virgine &* Auceja, *Rege barbarorum, dedimus* xxv *Junii: ut ferme dubius hæreas, sintne ambæ historiæ confundendæ.*

Helena, *vidua, Martyr in Suecia, a S. Brynolfo, Scarensi Episcopo, multis titulis laudari merita est; peregrinatione Hierosolymitana, virtutibus, martyrio, miraculis & perenni fonte in Zelandia Danica illustris.*

Atque hi sunt præcipui Sancti, de quibus in hoc Tomo agitur: reliqua docebunt soliti Indices, tum nominum Sanctorum, tum Chronologicus, Historicus, Topographicus, Onomasticus & Moralis.

HENRI-

HENRICI SCHARBAU, V. D. M. APUD Lubecenses, Observationes sacræ.

Lubecæ, sumtibus J. Schmidii, 1731, 4.

Alph. 1 pl. 6½.

PErgit plurimum Reverendus Autor obscuriora sacri Codicis loca vel illustrare vel a pravorum interpretum injuriis vindicare, ac nunc *Parergis* suis *Philologico-Theologicis*, quæ *A. 1729 p. 277 sqq.* laudavimus, subjungit ejusdem generis Dissertationes quindecim. In *prima* demonstrat, maledictionem terræ, *Genes. III, 17, & V, 29*, memoratam, non esse consecutam finem in diluvio. Scilicet *Sherlokius*, Episcopus nunc Bangoriensis, in egregio illo libro, quem empactæ *Antonio Collino* nuper opposuit, novam hanc sententiam protulit ac defendit, maledictionem illam terræ a Deo factam post diluvium cessasse, restitutamque esse terram pristinæ felicitati & ubertati, idque vi novæ benedictionis Noacho factæ ejusque posteris. Noster vero communem propugnat interpretationem, qua illa maledictio ad animam & corpus, imo & ad futuram vitam pertinet. Nec vero suæ solum sententiæ fulcra lectorum ob oculos sistit, verum etiam argumenta *Sherlokiana* sigillatim refellit. Inprimis §. XV urget, maledictionem, quam Deus iratus terræ annuntiarit, adhuc eam premere, neque adeo inde a diluvii tempore cessasse. *Diss. II* Mosem considerat balbutientem *Exodi IV, 10.* Observari hic jubet, pulchritudinem corporis raro cum facundia conjunctam reperiri, ideoque minus mirandum esse Mosis linguæ vitium, quod teste Scriptura is fuerit facie formosissima. Deinde *Petrum Petitum* refellit, ex illo Mosis vitio concludentem inepte, Mosi fuisse temperamentum melancholicum. Denique animadvertit, si Mosem cum Christo comparemus, hunc fuisse facundissimum, ac balbo Mose dignam fuisse insuavem ac duram legis doctrinam, Christi vero suaviloquentiæ congruere doctrinam gratiæ ab eo mortalibus traditam: piamque hanc meditationem pluribus persequitur. *Differt. III* de desiderio Pauli agit Pentecosten Hierosolymæ celebrandi, *Actor. XX, 16.* Duo hic expendit

Cl. Autor, primum an locus hic justo sit patrocinio peregrinatoribus religiosis, deinde, utrum de Judaica, an de Christiana Pentecoste loquatur Apostolus. Et prius quidem negat, adductis & Patrum Ecclesiæ locis illa itinera damnantium. Posteriore loco ostendit, omnino Judaicum festum significari. *Diss. IV* symbolum *alarum gallinæ, Matth. XXIV, 37*, considerat, istumque dicendi modum tum ex ethnicorum veterum, tum ex Rabbinorum scriptis, tum denique ex aliis sacri Codicis phrasibus non multum diversis, studiosissime illustrat. *Diss. V* ad *1 Corinth. IX, 9: Non obturabis os trituranti bovi*, docet, hanc legem a Paulo proferri non per accommodationem aliquam, (quæ *Surenhusii* est sententia,) sed Paulum sensu maxime proprio hanc legem adducere ad thesin suam probandam confirmandamque. Ostendit hinc plures doctorum Ecclesiæ cum bovibus similitudines. *Diss. VI* ex antiquitate sacra veteris Testamenti clariorem reddit *mensuram fidei*, a Paulo memoratam *Rom. XII, 3*. *Differt. VII & VIII* harmoniam exhibet fatorum gestorumque Petri & Pauli. Uterque scilicet 1) difficili manuum labore victum quærebat; 2) utrique contigit nominis mutatio; 3) uterque mentis cæcitatis pœnam luit, Petrus lacrymis oculorum, Paulus squamis oculorum; 4) uterque initio Apostolatus sui virum illustrem convertit, Petrus Cornelium, Paulus Sergium; 5) uterque in ecstasin incidit, cum sibi prædicandum esset Evangelium inter ethnicos; 6) uterque miraculum in sanando claudo patravit; 7) uterque in periculo fuit in mari; 8) uterque miraculose liberatus est e carcere; 9) uterque malum quendam hominem miraculosa pœna affecit, Petrus Ananiam, Paulus Elymam; 10) utriusque res occasionem præbuerunt miraculis, Petri umbra, Pauli sudarium; 11) uterque mortuum resuscitavit; 12) utrique contigit vinciri catenis; denique 13) uterque mortuus est martyrio. *Diss. IX* disserit de locis tribus, *Marci VI, 8, Matth. X, 9, & Lucæ IX, 3*, quorum primo Christus discipulos jubere videtur uti baculo uno; ceteris duobus usu baculi iis prorsus interdicit. Hic, relictis aliorum sententiis, *Dan. Heinsii* explicationem profert & approbat. Ceterum, per ῥάβδον non bacu-

baculum viatorium, sed tesseram hospitalitatis significari, assentiendum putat *Joanni Albæ*, Hispano, cujus hanc sententiam firmare studet pluribus. *Diss. X* verba Christi, *Lucæ XII*, 49, dicentis, *ad ignem jaciendum in terram se venisse*, ità interpretatur, ut credat, loqui Christum de igne verbi divini in universo orbe accendendi, simulque respici sacrificium passionis Christi, itemque effusionem Spiritus sancti. *Diss. XI* illud elogium contemplatur, quo Christus *Hebr. III*, 2, dicitur *in tota domo fidelis*. Hic vocabulum πιςὸς non de *fideli*, sed de *fiduciario*, interpretatum *Cloppenburgium* posteaquam refutavit, docet, duplici respectu Christum se præbuisse fidelem, primum in causa Dei apud homines agenda in terra, deinde in causa hominum agenda apud Deum in cœlo. Supersunt quatuor Dissertationes, pari industria elaboratæ, quarum argumenta tantummodo exhibebimus, ne simus justo longiores. Nimirum *Diss. XII* Cl. Autor agit *de divino insectorum exercitu, Joel. II*, 25; *Diss. XIII* de phrasi *Actor. IX*, 15: βαςάζειν τὸ ὄνομα τῦ Χριςῦ; *Diss. XIV* de illa phrasi *Lucæ I*, 32: ὗτος ἔςαι μέγας; *Diss. XV de sororio conjugum titulo:* ubi & locum illum 1 *Corinth. IX*, 5, illustrat: *Annon & mihi licet sororem aliquam circumducere?*

JO. GEORGII WEBERI, VINARIENSIS Concionatoris Aulici, Consiliarii Eccles. supremi, & Superint. Generalis, Doctrina tutior de descensu Christi ad inferos.

Lipsiæ, in officina Brauniana, 1731, 8.
Plag. 5½.

CUm celeberrimus quidam Professor Jenensis *descensum Christi ad inferos* proprio sensu accipi debere, nuper iterata suæ sententiæ professione publica negasset, ac simul Summe Reverendum Autorem admonuisset, ut tandem aliquando ederet, quam promiserit, contrariæ ejusdemque a nostris Theologis comprobatæ sententiæ defensionem, non diutius cessandum is ratus, libellum hunc emisit in publicum. Tutiorem

autem omnino esse communem nostratium doctrinam de isto argumento, quinque efficere conatur argumentis, quæ studiosissime pertractat totidem in Capitibus. In primo urget autoritatem S. Scripturæ. Etsi enim nullus Evangelistarum descensus Christi in infernum mentionem faciat, tamen alia sacri Codicis loca in promtu esse eum commemorantia, & quidem *Psal. XVI, 10, Hoseæ XIII, 14, Eph. IV, 9, & 1 Petri III, 19*: ex quo ultimo vel solo cum *sufficientissime* probari posse ipsi videatur realis Christi ad inferos descensus, hunc locum pluribus persequitur, discedentesque a sua sententia interpretationes confutat, ita tandem concludens, *quamdiu non probetur ex Scripturis, descensum Christi significare statum exinanitionis, nec destruantur Theologorum nostrorum interpretationes locorum Biblicorum modo memoratorum, tutiorem esse sententiam adhuc in Ecclesia receptam.* *Capite II* urget autoritatem Symboli Apostolici, cui licet sero insertus sit articulus ille, & in Nicæno quoque Symbolo prorsus omissus, *doctrinam tamen* illam semper in Ecclesia viguisse merito credi, cum a silentio horum Symbolorum ad ipsius rei negationem non valeat consequentia. Refellit etiam eos, qui putant, ex eo, quod in Athanasiano Symbolo mentione sepulturæ omissa dicatur Christus *descendisse ad inferos*, sequi, eo loco *descendit ad inferos* positum esse pro *sepultus est*. *Capite III*, tutiorem esse sententiam communem, ex eo probat S. R. Autor, quod ea in *Formula Concordiæ* exhibeatur clarissime. Etsi enim etiam orthodoxorum nostrorum Theologorum nonnulli in dubium aliquando vocaverint descensum illum proprie dictum, nunc tamen, dogmate illo publice declarato, non licere secus sentire. *Cap. IV* ostendit, ob id quoque tutiorem esse hanc sententiam, quod Ecclesiæ, antiquæ pariter ac recentioris, doctores, perpaucis exceptis, eam foverint. *Brentium* quidem non satis accurate explicuisse hunc descensum, sed ei ideo tribuendam esse indulgentiam, quod ante publicam Ecclesiæ definitionem tam ambigue fuerit locutus. Excusari idem oportere *Erasmum Sarcerium*, doctrinam illam de Christi ad inferos descensu novo plane modo interpretatum: Itemque *Æpinum*, & *Flacium*,

cium, & *Graverum. Amicus nobis est Graverus*, inquit, *sed magis amica veritas. Capite ultimo* communem illam, quam diximus, sententiam ideo tutiorem esse docet, quod ea majestatem Christi ad nostrum solatium magis extollat, quam minuat. Quod quidem argumentum non solum disertissime prosequitur S. Rev. Autor, sed etiam piis illustrat meditationibus. Illud addimus, doctorum nostræ Ecclesiæ eorum, qui singularem operam huic fidei articulo navarunt, insignem peti posse ex hoc libello notitiam.

GEORGII GOTTFRIDI ROSCII, ECCLEsiæ Vetsoviensis Pastoris, de Fide & Officiis Christianorum ex Augustana Confessione Dissertatio. Cui subjiciuntur in THOMÆ BURNETII de Fide & Officiis Christianorum librum Notæ & Castigationes; quas excipit Confessionis Ecclesiæ Anglicanæ Collatio cum Augustana Confessione.

Lubbenæ, apud Georg. Vossium, 1731, 4.
Alph. 1 pl. 1.

INter varii generis argumentique scripta, quæ occasione celebrati ab Evangelicis superiori anno secularis festi in honorem *Aug. Confessionis* distributa in publicum fuerunt, præsens etiam Clar. *Roscii* Commentarius locum occupat, non plane infructuosus. Legerat is forte posthumum *Thomæ Burnetii de Fide & officiis Christianorum* libellum, nostris quoque in oris post editionem Londinensem recusum, & annotarat propriis usibus, quæ ipsi obelo digna videbantur. Hæc typorum beneficio vulgare festivitatis, quam diximus, solennia ipsi suadebant, præmissa de simili argumento ad limpidiora Deique verbo *Burnetianis* magis consona *Aug. Conf.* placita Commentatione; quæ novem omnino *Articulis* absolvitur. Prioribus quinque *de fidei Christianæ fundamento & objecto; mediis* porro *atque ordine salutis;* denique *de errore, hæresi, hæreticis & schismaticis*, ad *Augustanæ Formulæ* normam luculenter differitur; reliqua quatuor Capita *de officiis Christianorum*,

tum in genere, *tum in specie*, *de singularibus* etiam *quibusdam Christianorum officiis*, ac tandem *de Ecclesia ejusque regimine*, perspicua methodo præcipiunt. *Castigationes* libri *Burnetiani*, quæ sequuntur, ad filum autoris institutæ, plurima bona exhibent, quibus summatim evincatur, doctissimum Anglum parum admodum a *Naturalismi*, quod vocant, vitio abfuisse; quod uti nos quidem in disceptationem neutiquam vocamus, ita veremur, ut ubique Cl. *Roscii* animadversiones satis solide *Burnetium* stringant atque convellant. Sed hæc jam omittimus. Tertio demum loco ad singulos *Confessionis Anglicanæ*, quæ integre proponitur, articulos amica ejusdem cum *Augustana Confessione consonantia* ad oculum quasi demonstratur.

SYMPHOREMA CONSULTATIONUM ET Decisionum Forensium, in quibus causarum plurimum illustrium aliarumque insignium Historia recensetur, cum addita Deductione & Decisione juridica. Accessere Symphoremata alia duo, sententiarum Augusti Judicii Cameralis recentiorum maximeque notabilium, & Miscellaneorum Juris Publici, quæ ad forensia negotia pertinent, rariorum; Opus doctrina varia, Juris cum publici, tum privati, Feudalis ac Statutarii Germanici, tum & forensi & historica notitia instructum, cum argumentis materiarum, Indicibus & Præfatione editum studio & cura GEORGII MELCHIORIS DE LUDOLFF, Archi-Dicasterii Imperialis Cameræ Assessoris.

Francof. ad Mœnum, apud Jo. Benj. Andreæ & Henr. Hort, 1731, fol.

Alph. 13 pl. 10.

VAriis jam Operibus publicam rem literariam, forensem inprimis, auxit Autor Celeberrimus. Nam, ut nihil dicamus de duobus ejus Tractatibus, jam dudum inter JCtos celebratis, *de*

de Introductione Juris Primogenituræ, & *de Jure Feminarum illustrium*, quos jam tum edidit, cum in officio ac ministerio Serenissimorum Saxoniæ Ducum viveret, multo plura dedit, postquam A. 1711 Senatorum Ordini in Imperiali Cameræ judicio adscriptus fuit. Hinc enim mox publico dedit *Commentationem Systematicam de Jure Camerali*, jam tertia vice anno superiori cum augmentis nonnullis editam, quam secuta est A. 1715 *Collectio sententiarum ab A. 1588 ad 1688*, tum *Historia Sustentationis Cameræ* A. 1721, & *Observationes Forenses* A. 1730. Adscribitur etiam eidem libellus, cui titulus: *Schlendrianus*, in quo ea, quæ in foro sunt externa, non sine sale contra Pseudo-Practicos, assumto nomine *Guilielmi Franckenberg*, A. 1722 descripsit, qui libellus utique plus continet doctrinæ, quam præ se fert titulus, & lectu est admodum jucundus. Jam vero prodiit Opus *Consultationum Forensium*, cujus modo titulum integrum exposuimus. Quemadmodum vero reliquis scriptis suis luculentas & lectu dignas Præfationes præmisit Autor, ita huic quoque Operi de causis instituti sui usuque Symphorematum præsentium & de notitia scriptorum, tam veterum, quam recentiorum, qui de negotiis forensibus in Judicio Camerali sunt commentati, eleganter præfatus est. Titulus Symphorematum Cl. Autori ideo placuisse videtur, quod non omnia, quæ toto hoc Opere continentur, Nostri lucubrationibus debeantur, sed quædam ejus tantum studio collecta exhibeantur, quod facile intelligent, quibus perspectum est felix ejus ingenium, quippe qui, quamcunque sequatur methodum, modo proponendi & eloquendi utitur perspicuo, in allegationibus atque aliis, quæ ad rem non multum faciunt, minime luxuriosus, semper idem. Numerantur in Symphoremate I Consultationes XLVI, quanquam re vera contineantur eo plus quam quinquaginta, cum sub eodem numero aliquando plures occurrant. Dignum inprimis opus lectione & maxime laudabile, in quo variæ materiæ plurimum illustres aliæque insignes, in Archi-Dicasterio decisæ, leguntur, quibus narrationes historicæ ac genealogicæ, cum documentis inprimis notatu dignis, tum vero Deductione juridica, opera non perfunctoria, neque

que

que tamen nimis abundanti, pertractata, subinde accesserunt. Symphoremate II continetur delectus variarum sententiarum Judicii Cameralis recentiorum & maxime notabilium; Symphorematí vero III Miscellaneorum, ad varias Juris publici materias facientium, copia insignis inserta est, ut vel sola hac parte commendabile existat Opus. Unicuique Symphoremati additi sunt Indices necessarii, ex quibus materiarum summa intelligitur.

PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS.

hoc est,

TRANSACTIONES PHILOSOPHICÆ, quibus referuntur molimina, studia & labores Virorum ingeniosorum nostri temporis in variis Orbis partibus. Volumen XXXIII pro annis 1724 & 1725.

Londini, apud W. & J. Innys, 1726, 4.
Alph. 2 pl. 14, Tabb. æn. 13.

DE iis, quæ ad annum 1724 referuntur, diximus in *Actis* anni superioris p. 411 & seqq. nunc dicemus de ceteris, quæ ad A. 1725 spectant. Primo loco hic *Num. 386* pro mensibus Januario & Februario occurrit *Desagulierii* Dissertatio de figura Telluris; in qua refellere conatur *Cassini* de figura Telluris sententiam, qui diametrum æquatoris minorem statuit ea, quæ per polos transit. Deducit nimirum ex hypothesi *Cassiniana*, lineam directionis gravium ad libellum aquarum non esse debere perpendicularem contra experientiam, & præterea monstrat, mensuras, unde *Cassinus* figuram Telluris colligit, esse insufficientes ad differentias graduum terrestrium in Meridiano detegendas. *Johannes Ranby*, Chirurgus, ex sectione ostreæ, jussu illustris Præsidis *Slonii* facta, varias observationes affert. Duos distinctos in ea ventriculos deprehendit, (sit ita, Academiam Regiam Scientiarum Parisinam contrarium defendere,) ex quorum altero intestinum duodenum immediate descendit. *Hallejus* tandem describit observationem Mercurii A. 1723 d. 29 Octobr. in Sole visi a se, *Jacobo Bradlejo*,

lejo, Georgio Grahamo, Maraldo & *Manfredio*, ac inde deducit, quæ ad theoriam Mercurii perficiendam conducunt. In fine prædicit idem phænomenon ad diem ultimum Octobris A. 1736. *Num. 387* pro mensibus Martio & Aprili *Desagulierius* continuat Dissertationem de figura Telluris. Tota fere absolvitur continuatio demonstratione, quam dedit *Keillius* in libro, A. 1698 adversus *Burneti* Theoriam telluris conscripto, ostensurus, quomodo figura ejusdem ex legibus gravitatis & vis centrifugæ deducatur. Deinde breviter recenset experimenta, eum in finem instituenda, ut tam *Newtoniana*, quam *Cassiniana* hypothesis ad examen revocetur. *Paulus Dudlejus* exhibet historiam naturalem balænarum ac inprimis ejus speciei, quæ vulgo sperma ceti appellatur. Describit autem balænas, quales reperiantur in oris novæ Angliæ, & singularia quædam recenset, quæ alibi frustra quæsiveris. *Johannes Ranby*, inquisiturus in ductum excretorium glandulæ renalis, quem ad uterum in feminis, ad epididymides in maribus tendentem detexisse sibi visus *Valsalva*; ejus loco deprehendit arteriam, quæ ex aorta egressa, ramum alterum in glandulam renalem, alterum juxta arteriam spermaticam in testiculum emittit. Uni tamen observationi non fidens, definire minime audet, utrum *Valsalva* arteriam spermaticæ sociam cum ramo in glandulam renalem tendente pro ductu excretorio habuerit, nec ne, quod in cadaveribus arteriæ sint sanguine vacuæ. Ultimo loco recensetur *Mauritii Antonii Cappeler*, Medici Lucernensis, Prodromus Crystallographiæ, qui Lucernæ A. 1723 in 4 prodiit.

Num. 388 pro mensibus Majo & Junio *Desagulierius* ulterius continuat suam de figura Telluris Dissertationem. Nimirum *de Mairan* in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinæ A. 1720 reconciliare nititur observationes, ope penduli de vi gravitatis prope æquatorem imminuta factas, ex quibus figuram Telluris deducit *Newtonus*, cum figura Telluris, quam eidem tribuit *Cassinus*. Noster igitur ostendit lapsus, quos idem commisit, ne quis inde objectiones adversus ipsius demonstrationes petere possit. *Isaacus Rand* exhibet

catalogum quinquaginta plantarum exoticarum, Societati Regiæ oblatarum. *Nettleton* communicat obſervationes de altitudine barometri in diverſis elevationibus ſupra ſuperficiem terræ. Obſervat, faſtigia montium altiora deprehendi cœlo pluvio, quam ſereno, nec non paulo ante ortum Solis, quam in meridie, cœlo ſereno, ita ut angulus uno tempore aliquot minutis major reperiatur, quam altero, quem altitudo montis ſubtendit. Differentiam iſtam aliquando 30 minutorum annotavit, cum initio Septembris & menſe Decembri eandem altitudinem inveſtigaret. Unde patet, refractionem omni tempore non eſſe eandem. Cum altitudo Mercurii eſſet 29 dig. 78 dec. in altitudine 102 pedum ſubſedit ad 29. 66. Similiter cum eadem eſſet 29. 48; in altitudine 140 ped. deprehenſa 29. 32. Erat eadem 29. 50, cum in altitudine 236 ped. arctaretur 29. 23. Erat illa 29. 81, cum Mercurius in altitudine 312 ped. deſcenderet ad 29. 45. Erat denique illa 30. 00, cum in altitudine 507 ped. eſſet 29. 41. Ex *Actis* literariis *Sueciæ A. 1724* Trimeſtr. IV transſcriptum eſt experimentum, in argentifodina Salana circa adſcenſum Mercurii in barometro inſtitutum. Scilicet *Andreas Celſius* juxta limen putei Reginæ *Chriſtinæ* d. 28 Aug. A. 1724 Mercurii altitudinem obſervavit 30 dig. & 38 cent. pedis Suecani, qui eſt ad Pariſinum regium ut 1000 ad 1096, ſeu ut 125 ad 137 quam proxime. Cum ad profunditatem 636 pedum ſe demiſiſſet, Mercurius ad 30 dig. 98 cent. adſcendit. Poſtero die aere ſereno & *tranquillo ad baſin* templi urbis Salæ, haud procul a fodina diſtantis, Mercurius *hæſit* 30 dig. 36 cent. altus, ad altitudinem vero 145 ped. in turri templi ad 30. 23.

Num. 389 pro menſibus Julio & Auguſto primo loco occurrunt *Newtoni* reſponſiones ad animadverſiones Anonymi Galli in Epitomen Chronologiæ, quam, cum Abbate *de Conti* communicatam, & in linguam Gallicam translatam, ipſo inſcio ac invito ediderat Anonymus. *Carolus Neumannus* deſcribit camphoram, quam ex noſtrati thymo vulgari denſam, cryſtalliformem & in omnibus qualitatibus cum Orientali conſpirantem, nec niſi odore differentem, obtinuit, & quæ cuncta experimenta

menta, huc usque cognita & pro justo examine excogitata, æque ac Orientalis sustinet. Nomine camphoræ non speciem, sed genus denotari, existimat, sicuti nomine salis, olei, spiritus: camphoram enim ex omni vegetabili parari posse, existimat. Unde porro contendit, camphoram quoque Orientalem perinde ac camphoram thymi destillando ex arbore camphorifera parari, & alias quoque plantas Europæas, copioso oleo essentiali prægnantes, æque ac thymum camphoram daturas esse. Definit autem camphoram per ea, quæ de camphora thymi ipsi innotuere, per siccum quid, album, pellucidum & fragile, valde acute olens, non solum in igne, sed etiam in aere subcalido prorsus volatile corpus, quod ratione mixtionis ex copia principii inflammabilis rarefacti, pauca aquositate, & subtilissima terra intime inter se unitis constat. *Georgius Grahamus*, horologiopœus, describit experimenta, ope acus magneticæ inclinatoriæ A. 1723 instituta. Longitudo acus erat $12\frac{1}{10}$ dig. in medio latitudo erat digiti dimidii, prope extremitates vix particulæ decimæ unius digiti; crassities circiter $\frac{1}{10}$ dig. In meridiano magnetico observavit tum tempus vibrationis, tum inclinationem acus, & continuam in singulis deprehendit varietatem. *Josephus Atkinson* describit tumorem singularem, & *Desaguliertus* experimentum, quo ea illustrantur, quæ de figura Telluris in anterioribus demonstraverat, & evincitur, si vel maxime terra talem figuram haberet, qualem ei tribuit *Cassinus*, eam tamen in motu vertiginis eandem conservare non posse. Idem describit experimentum de globorum plumbeorum cohæsione. Globi unius pondus erat libræ unius; alterius vero librarum duarum. Segmentum, quo se mutuo contingebant, erat circiter $\frac{1}{4}$ unius digiti, & pauculo medullæ ossium illitum. Cum bilibri appenderetur pondus 16 librarum, cohæsio non tollebatur: aucto tamen pondere, globus inferior a superiori avellebatur. Quoties autem experimentum repetebatur, toties cohæsio diversa deprehendebatur. Experimentum deinde alio adhuc pacto instituit. *Steigertahlius* nævum maternum singularem describit, & ultimo loco Historia cœlestis Britannica *Jo. Flamstadii*, tribus Voluminibus con-

tenta, recensetur, de qua a nobis dictum est in *Actis* A. 1727 p. 337 & seqq. Addi potest ibidem dictis, quod in Volumine primo etiam contineantur Observationes *Guilielmi Gascrignii*, qui primus telescopia ad instrumenta Astronomica applicavit, & micrometro simplicissimo, ex cochleis constante, ista instruxit, excerptas ex literis ad *Crabtrium* datis una cum hujus Observationibus. Celebratæ sunt observationes utriusque ab A. 1638 usque ad A. 1643. Addi præterea potest, quod in Volumine secundo contineantur tabulæ ad calculum loci fixarum & planetarum ex observationibus facilitandum, quodque in Volumine tertio compareant tabulæ, in quibus absque calculo ex data adscensione recta & distantia a polo reperitur stellarum longitudo & latitudo, quodque Catalogus fixarum contineat 3000 fere, ac in eodem contineatur variatio adscensionis rectæ & distantiæ a polo, dum longitudo uno gradu variatur, unde adscensio recta & distantia a polo per duo secula præterita & proxime futura determinari potest.

Num. 390 pro mensibus Septembri & Octobri primo loco occurrit *Jo. Phil. Breynii* Dissertatiuncula de agno vegetabili Scythico, *Boranetz* vulgo dicto. Existimat vir doctissimus, agnum hunc eodem artificio ex radice alicujus vegetabilis formari, quo homunciones ex Mandragoræ & Bryoniæ radicibus formantur, qui vulgo ab agyrtis *Alraunen* dicuntur. *Job. Brown* animadversiones quasdam affert in ea, quæ numero antecedente de camphora docet *Neumannus*. Monet scilicet, esse quoque in Anglia eodem modo ex thymo destillatum, quod hactenus improprio satis thymi volatilis nomine dictum fuerit; sed se non videre, cur verius camphora thymi dici possit, cum multa diversa sint camphoræ & hujus producti chymici phænomena, quæ prolixe recenset. Monet sub finem, *Johannem Manel*, Chymicum, sibi ostendisse oleum majoranæ coagulatum, & se, institutis experimentis, deprehendisse, quod multum inter se conveniant. *Josua Wassius* effectus fulguris describit singulares. In cadavere nimirum pastoris, qui fulmine tactus vitam finiit, & humi prostratus una cum quinque ovibus repertus est, plurima deprehensa sunt vulnera, cra-
nium

nium in plures partes mire diffractum, vestimenta prorsus dilacerata. Ovium non nisi eidem proxima sub capite vulnus conspicuum habuit. In vicinia utriusque pedis observabantur foveæ admodum profundæ, diametri quinque digitorum, quales efficiuntur a globo ferreo ex mortario exploso. Eodem tempore, quo tragicus hic casus accidit, nonnemo observavit globum igneum per aerem volantem, magnitudine capitis humani, & in aere prope templum urbis in quatuor frusta dissilientem. *Muschenbroekius* in Epistola ad *Desagulierium* describit experimenta de viribus magneticis : quæ uberiora proposuit in Opere, a nobis in *Actis* A. 1730 p. 148 laudato. *Huxhamus* refert, quæ de variolis anomalis epidemicis observavit, admodum prolixe, ut integram hujus morbi historiam cum curatione tradat.

Num. 391 pro mensibus Novembris & Decembris *Johannes Strachey* corrigit, quæ minus recte de stratis diversis in Carbonariis Somersetensibus *Num. 360* retulerat, & nonnulla ibidem prætermissa addit. *Neumannus* docet, falsum & fallax esse experimentum probandi Spiritum vini Gallici, quod tanquam arcanum insigne venditant negotiatores in Hollandia, Anglia, Hamburgi, Dantisci, alibi. Reperit, liquorem illum arcanum, quem instillant spiritui vini probando, esse solutionem Martis in acido vitriolico, veluti ex Marte cum Spiritu vitrioli soluto & aqua diluto paratum, Spiritum vini Gallici non tingi colore cæruleo, instillatis aliquot illius guttis, nisi quando ope ramentorum ligni quercini flavedo eidem fuerit conciliata, aut Spiritus vini in dolio novo ex istiusmodi ligno parato diu satis servatus fuerit. Hoc pacto enim in Spiritu frumenti successit experimentum. Succedit idem, si ramentis quercini ligni gallas substituas. *Robertus Payne* describit symptomata producta a furca per anum infelici casu in intestina immissa, cum quis alvo adstrictus malo medelam afferre tentaret, ac deinde ex tumore purulento feliciter rursus extracta. Mensis fere elapsus erat, antequam dolores in inferiori abdominis parte sentiret æger. *Daniel Turnerus* depingit insecta, duobus in casibus per urethram emissa. Simile fuit lumbricis per anum exclusis in casu primo, longitudine

quatuor digitorum ; in casu autem altero termitis quædam species. Tandem *Henricus de Saumarez* novam describit machinam dimetiendi viam navis multo quidem accuratius, quam modo vulgo usitato fieri solet.

COMMERCIUM LITERARIUM, AD REI Medicæ & Scientiæ Naturalis incrementum institutum, quo, quicquid novissime observatum, agitatum, scriptum vel peractum est, succincte dilucideque exponitur. Anni MDCCXXXI Semestre prius.

Norimbergæ, sumptibus Societatis, 1731, 4.
Alph. 1 pl. 9½.

QUem scopum præfixum habeant in commercio literario communi stabiliendo Viri quidam eruditi, in binis Consultationibus non solum ipsi significarunt, sed & nos in his *Actis Mense Januario* anni currentis pag. 30 monuimus. Stadium igitur hoc, quod decurrere statutum fuit, alacriter sunt ingressi, atque nunc anni 1731 Semestre prius orbi literato exhibent. Quemadmodum autem singulis hebdomadibus specimen, unica comprehensum philyra, luci publicæ exponitur, ita in hoc semestri viginti sex leguntur specimina. Quibus addita est recensio synoptica potissimorum momentorum, quæ fuerunt adducta, sive plenius de iis relatum, sive indicatum fuerit, ubinam uberior tractatio invenienda sit; ut & Index rerum & personarum. Et, quamvis rerum, de quibus referendum ipsis est, ea sit conditio, ut liberum & arbitrarium ordinem postulare videantur, comparebunt tamen sub tribus potissimum classibus omnia, ita, ut sub I nova, ad hunc scopum pertinentia, sub II Observationes, & sub III Recensiones novorum scriptorum exhibeantur. Atque hæc methodus in sequentibus Semestribus constanter servabitur.

Jacob Bruckers Kurtze Fragen ꝛc.
hoc est,
HISTORIA PHILOSOPHICA EROTEMATICE tradita; Pars prior. Autore JACOBO BRUCKERO.

Ulmæ,

Ulmæ, apud D. Bartholomæi, 1731, 12.
Alph. 2 pl. 5.

MEthodo erotematica cum applaudentibus quamplurimis usi essent *Hübnerus* & Cl. *Heinsius*, ille in civili, hic in Ecclesiastica Historia tradenda; Plur. Reverendus Autor, Ecclesiæ Kaufbyrensis in Suevia Theologus, in animum induxit eodem modo pertractatam exhibere Historiam Philosophicam. Idque eo fecit cupidius, quod videbat, deesse juventuti literis dicatæ justum hujus Historiæ Compendium. *Buddei* enim & Cl. *Genzkenii* hoc de argumento libros, etsi laude dignissimos, Synopses tamen magis, quam Compendia, esse Historiæ Philosophicæ, judicat. Duo autem hic potissimum sibi proposuit. Nam primo de vita Philosophi cujusque tradit cognitu digniora, istamque cognitionem reddere studet legentibus utilem cum ad sapientiæ, tum ad virtutis augendos profectus. Deinde doctrinas singulorum Philosophorum, haustas ex monumentis fide dignis, systematice considerat, ut vera ipsorum doctrinæ ratio possit perspici. Ac singula, quæ narrat, munit testimoniis optimorum scriptorum, adhibitis etiam in consilium viris proximæ, imo & nostræ ætatis, qui in hac Historia studiose elaborarunt. Non enim credulum se præbet, sed rite omnia examinat: quo fit, ut multa in dubium vocet, quæ habebantur certissima; multas etiam narrationes in censum fabularum rejiciat, quibus fidem habuerant viri doctissimi. Ceterum duas in Partes divisit hanc Historiam, quarum priorem hic exhibet, inde ab antiquissimo ævo progressus ad illam ætatem, qua homo factus est Dei filius. Prima hæc Pars (cui Prolegomena præmisit, in quibus & naturam Philosophiæ & utilitatem Historiæ Philosophicæ multiplicem describit,) tres libros habet: quorum *primus* Philosophiam Barbaricam considerat, hoc est, Hebræorum, Chaldæorum, Persarum, Indorum, Arabum, Phœnicum, Ægyptiorum, Æthiopum, Celtarum, vetustiorum Romanorum, Scytharum, Getarum, & Thracum. Nonnulla ut hinc repetamus, (breviter enim recenseri par est Compendia disciplinarum,) in historia Hebræorum copiose refellit fabulas doctorum virorum de Patriarcharum systematica philosophandi ratione, de philosophicis columnis Sethi, de Caini, Salomonis, Jobi Philosophia. Chaldæorum ac Persarum Philoso-

losophiam superstitione corruptissimam fuisse, judicat: de principe eorum Philosopho, *Zoroastre*, omnia esse incerta, arbitratur, adeoque & oracula ipsi tributa rejicit pro supposititiis. *Locmannum*, Arabum Philosophum, eundem esse putat cum *Æsopo*. Philosophiam Ægyptiorum censet longe minorem esse fama sua. *Numam*, observat, imperite referri in classem Philosophorum, eosque errorem commisisse Chronologicum, qui statuerunt, addictum eum fuisse dogmatibus *Pythagoræ*. Libro *secundo* contemplatur infantiam Philosophiæ Græcæ. Hujus igitur ætatis Philosophiam dividit in *Poeticam* & *Politicam*. Occurrunt hic *Orpheus*, *Linus*, *Musæus*, *Epimenides*, *Hesiodus*, *Homerus*, aliique. *Homerum* Noster e Philosophorum numero prorsus ejicit: tantum abest, ut cum multis eum referat inter Philosophos primarios. Politici Philosophi ipsi sunt celebriores legislatores, itemque septem illi sapientes. Ac de septem quidem illis satis longus est, fabulasque de ipsis vulgatas doctissime confutat. *Tertio* in libro dogmaticam tractat Græcorum Philosophiam, *quæ viguit in* scholis Ionica, Socratica, Cyrenaica, Megarica, Eliaca, Platonica, Peripatetica, Cynica, & Stoica. Nobis nunc libet cognoscere, quid tradat de Peripateticis. Vitam hic *Aristotelis* curate persequitur, simul alios nominatim laudans, qui in describenda ejus vita & Philosophia multum operæ studiique posuerunt. Intentus quoque est interpretationi nominis *Peripateticorum*. *Aristotelem* fuisse mortis Alexandri M. autorem, probari posse negat. Ingenio eum ac doctrina fuisse eminentissimum, concedit. Atheismi eum non injuria suspectum esse, censet. In Philosophia ejus notat obscuritatem, itemque studium exagitandi refutandique ceteros omnes Philosophos. Logicam ejus, Physicam, Ethicam, & Metaphysicam compendiose describit. Sectatores item ipsius recenset: & primo quidem loco *Theophrasti* vitam accurate exponit, multas simul refellens vulgi literati fabellas. Ut alteram quoque Partem hujus Operis, in qua historiam Philosophiæ & Philosophorum inde a Christianæ religionis ortu usque ad hanc nostram ætatem pertexet, Cl. Autor brevi in lucem emittat publicam, haud dubie optabunt, qui, quam fructuosum pariter atque amœnum sit hocce literarum genus, agnoscunt.

INDEX

※)(o)(※

INDEX AUTORUM,

Quorum libri aut inventa hoc Volumine recensentur.

I Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

II Libri Juridici.

III Libri Medici & Physici.

IV Libri Mathematici.

V Libri Historici, Geographici &c.

De

VI Libri Miscellanei.

Castel-

INDEX

❋)(o)(❋

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

De Ca-

Fabu-

Juris

M.

Mungali

T.

V.

E R R A T A.

Pag. 3 lin. ult. pro causæ *lege* causa; *pag. 63 lin. 12 lege* definienda; *pag. 270 lin. 19 lege* Codicum, *& lin. 20 lege* A. 1720 didicit; *p. 325 lin. 9 lege* febris; *ib. lin. 10 lege* igne; *& p. 461 lin. 31 lege* Petavio.

